CVRSVS PHILOSOPHICVS

Ad mentem Doctoris ſubtilis

IOANNIS DVNS SCOTI

ORDINIS MINORVM

Pro Tyronibus Scotiſtis planiori ſtylo exaratus, ac in tres Partes aptè diuiſus.

Auctore Reu. Adm. P. F.

LIVIO RABESANO DE MONTVRSIO


Vicentino, Ord. Min. Reg. Obſer. Almæ D. Antonij Prouinciæ ex Miniſtro, Philoſophiæ, ac Theologiæ Lectore Generali, Sanctiſſimæq; Inquiſ. Vincen. Conſultore.

PRIMAE SECVNDAE PARTIS

Volumen alterum complectens Libros duos

DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

Cum duplici Indice Locupletiſſimo, altero Summarum, ac Capitum Textus, Diſputationum, ac Quæſtionum, altero verò Rerum Notabilium.



VENETIIS, M. DC. LXXIV.

Apud Nicolaum Pezzana.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI FRATRI

FRANCISCO MARIÆ
RHINI DE POLITIO,

Totius Ordinis Minorum Miniſtro Generali Vigilantiſſimo.

EPISTOLA DEDICATORIA.

MAiori iure cuiquam non potui volumen iſtud poſtremum mei Curſus Philoſophici, quaſi coronidem aliorum, quàm Tibi, Reuerendiſſime Pater, gaudium, & Corona noſtra, conſecrare. Poſteriores curæ meliores, & ad optimum ſpectabant, & meæ ſupremæ ad faſtigium pertinebant. Tu, Reuerendiſſime Pater, Optimus, & es, & videri potes, propter eximias virtutes ânimi, quę in te, velut ex compacto confluxerunt, vt tamquam gemmæ in theſaurum concurrerent, inuidente Cœlo, quod cùm abundet ſideribus, quę ſunt inanimata, te abundare videat virtutibus, quę ſunt animatę meritis, quibus coruſcas, & illuſtras orbem. Nec oportet eas numerare: nulla tibi deeſt, nec deeſſe vellet, ne opinionem virtutis amitteret. Iàm verò dignitas tua tanta eſt, vt omnes honores ſcholaſtici adoleſcentem, lucidi adultum, ſplendidi ſenem ſint conſecuti. In ſcholis

Scotum egiſti, acumine, ſubtilitate, profunditate donec ad lauream præclare iubilationis perueniſti, qua potitus ad gradus Magiſtratum Religioſi Ordinis euectus, adeptus es ſummos, & difficiles, inter quos fuit præfectura Hieroſolomytana, in qua ita te geſſiſti, vt pietate Chriſtianorum animos caperes, & comitate Barbarorum allıceres, qui tequaſi hominem è Cælo lapſum venerati Fidei catholicæ teſtimonium tuæ admiratione virtutis reddiderunt. Floruiſti in ſacro illo loco, vbi caro Chriſti floruit, vt fructus vberimos Ordini noſtro redderes Generalis electus, nullo deficiente ſuffragio: ſummo plauſu iuſtam electionem indicante. Par tuis virtutibus theatrum nactus expandiſti radios, & ſolem repræſentaſti. Agnouit illius ſplendorem Hiſpania, & in Oriētem verſa te coluit & in partem ſuæ Monarchiæ aſſumpſit, & ad ſupremos honores deſtinauit quos ſuo tempore geſturus es opportunè ad Religionem, & politicem, in qua vnus vtrāque paginam facis. Nec verò quiſquam mihi obijciat alienum eſſe argumentum: Nàm illud maximè in te quadrare comperitur. Honores enim in te generantur, non creantur: Nàm quod creatur fit ex nihilo. At verò honores tui ex aliquo, immò ex magno merito in te fiunt, atque adeò generantur. De indè cum tot ſint, & alij ſuccedant alijs, vt omnes habere poſſes neceſſe erat, vt aliqui corrumperentur, ac eſſe deſinerent, vt locum darent maioribus ſuccedētibus. Igitur conuenit tuæ dignitati argumentum. Eo tu fruere tamquam teſtimonio, & meriti, & dignitatis tuæ ad Ordinis noſtri, & totius Eccleſiæ ornamentum. Vale.

Reuerendiſſimæ Paternitatis tuæ

Addictiſſimus filius, & ſeruus

Frater Liuius de Monturſio

Digitized by Google

Approbatio Patris Carelli.

Cum aliàs iuſſu Reuerendiſſimorum Patrum Superiorum Generalium Ordinis Noſtri pro tempore exiſtentium perlegerim, & approbauerim alias Partes Curſus Philoſophici A. R. P. Liuij de Montorſio, noſtræ Almæ Prouinciæ S. Antonij inſignis Theologi, & Exprouincialis, ac Sanctiſſimæ Inquiſitionis Vincentiæ Qualificatoris; nunc Demùm eodem iuſſu verbatim, & adamuſim explorauerim etiam vltimam Partem eiuſdem Curſus, inſcriptam nimirùm de Generatione, & Corruptione, contigit amplius admirari Operis Excellentiam, vtilitatem, ſubtilitatem, Auctoris in docendo facilitatem, in interpretando Textum Ariſtotelicum præſtantiam, atque ad Scoti mentem genuinam conformitatem. Quapropter non immeritò dixerim: Finis coronat opus. Typis tradatur: in lucem prodeat, & talem, ac tantum Auctorem diù ſeruet ſuperſtitem Deus, & incolumem, vt ſtudioſis adhuc prodeſſe poſsit in Theologicis ad ipſius Optimi Maximi maiorem gloriam. Datum in Conuentu noſtro S. Franciſci Scledi Die prima Septembris 1673.

Fr. Hieronymus Carellus de Scledo Lectòr Generalis, & Prouinciæ Pater.

Approbatio Patris Feramuſcæ.

Scio reperiri quamplures, illud Horatianum affirmantes; Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci. Scio, & plurimos eſſe, qui faſtidiunt, nec niſi nictante oculo dignantur libros, quantumuis perutiles, videre, niſi Orexis, appetentiauè in ipſorum animis, quodam veluti ſale, & condimento iucundarum rerum, & ſententiarum excitentur: Quod ſi ita eſt, & ſic res ſe habet, vos omnes ad quorum manus hæc vltima Pars Curſus Philoſophici R. A. P. Liuij Rabeſani de Monturſio ſuæ Prouinciç Exprouincialis, Sanctæ Inquiſitionis Vicentiæ Qualificatoris, necnon Theologi inſignis, & verè vndequaque Herois, peruenerit, obnixe hortor oculos in ipſam, & in totum Curſum coniicere; mixtum enim vtile dulci, orexim, appetentiaue, nedum verum, & mentis ſubtilitatem ſpectando Rabeſanum Scotum ſectantem, Aquilam ingenii acumine ad ſublimia volantem, imitari reperietis, itaut de ipſo dicere poſsitis.

More Aquilæ, pennis aſcendere nititur aſtra Liuius, atquè oculis ſolaria lumina figit. Aduerſus ſuperans radios, quò tendere contra Ingenii nequeunt hebetes ſine acumine, multi. Legite ergo, & perlegite omnes quotquot eſtis Tyrones, & Magiſtri opus hoc aureum quidem, quod & ego cum inoffenſo, iuſſu Reuerendiſsimi Patris noſtri Vicarii Generalis, pertranſirem pede, nihil in quo non redoleat ſumma catholicæ Fidei matutitas, nihilque in quo non reſplendeat Auctoris grauitas, & doctrina, reperetim, omnibus perdulce quidem profiteor, atque vt tali dulcedine reſſertum propino; necnon vt typis dari poſsit, nedum dignum, & vtile, verùm, & neceſſarium cenſui, ac cenſeo. Datum in Diui Blaſii Conuentu huius Ciuitatis Vicentiæ Die 20 Semptembris 1673.

Frater Hieronymus Feramuſca Lector, & Prædicator Generalis, ac D. Antonij Prouinciæ Diffinitor actualis.

Licen:

Scotum egiſti, acumine, ſubtilitate, profunditate donec ad lauream præclare iubilationis perueniſti, qua potitus ad gradus Magiſtratum Religioſi Ordinis euectus, adeptus es ſummos, & difficiles, inter quos fuit præfectura Hieroſolomytana, in qua ita te geſſiſti, vt pietate Chriſtianorum animos caperes, & comitate Barbarorum allıceres, qui te quaſi hominem è Cælo lapſum venerati Fidei catholicæ teſtimonium tuæ admiratione virtutis reddiderunt. Floruiſti in ſacro illo loco, vbi caro Chriſti floruit, vt fructus vberrimos Ordini noſtro redderes Generalis electus, nullo deficiente ſuffragio: ſummo plauſu iuſtam electionem indicante. Par tuis virtutibus theatrum nactus expandiſti radios, & ſolem repræſentaſti. Agnouit illius ſplendorem Hiſpania, & in Oriētem verſa te coluit & in partem ſuæ Monarchiæ aſſumpſit, & ad ſupremos honores deſtinauit quos ſuo tempore geſturus es opportunè ad Religionem, & politicem, in qua vnus vtrāque paginam facis. Nec verò quiſquam mihi obijciat alienum eſſe argumentum: Nàm illud maximè in te quadrare comperitur. Honores enim in te generantur, non creantur: Nàm quod creatur fit ex nihilo. At verò honores tui ex aliquo, immò ex magno merito in te fiunt, atque adeò generantur. De indè cum tot ſint, & alij ſuccedant alijs, vt omnes habere poſſes neceſſe erat, vt aliqui corrumperentur, ac eſſe deſinerent, vt locum darent maioribus ſuccedētibus. Igitur conuenit tuæ dignitati argumentum. Eo tu fruere tamquam teſtimonio, & meriti, & dignitatis tuæ ad Ordinis noſtri, & totius Eccleſiæ ornamentum. Vale.

Reuerendiſſimæ Paternitatis tuæ

Addictiſſimus filius, & ſeruus

Frater Liuius de Montuſio

Approbatio Patris Carelli.

Cum aliàs iuſſu Reuerendiſſimorum Patrum Superiorum Generalium Ordinis Noſtri pro tempore exiſtentium perlegerim, & approbauerim alias Partes Curſus Philoſophici A. R. P. Liuij de Monturſio, noſtræ Almæ Prouinciæ S. Antonij inſignis Theologi, & Exprouincialis, ac Sanctiſſimæ Inquiſitionis Vincentiæ Qualificatoris; nunc Demùm eodem iuſſu verbatim, & adamuſim explorauerim etiam vltimam Partem eiuſdem Curſus, inſcriptam nimirùm de Generatione, & Corruptione, contigit amplius admirari Operis Excellentiam, vtilitatem, ſubtilitatem, Auctoris in docendo facilitatem, in interpretando Textum Ariſtotelicum præſtantiam, atque ad Scoti mentem genuinam conformitatem. Quapropter non immeritò dixerim: Finis coronat opus. Typis tradatur: in lucem prodeat, & talem, ac tantum Auctorem diù ſeruet ſuperſtitem Deus, & incolumem, vt ſtudioſis adhuc prodeſſe poſsit in Theologicis ad ipſius Optimi Maximi maiorem gloriam. Datum in Conuentu noſtro S. Franciſci Scledi Die prima Septembris 1673.

Fr. Hieronymus Carellus de Scledo Lector Generalis, & Prouinciæ Pater.

Approbatio Patris Feramuſcæ.

Scio reperiri quamplures, illud Horatianum affirmantes; Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci. Scio, & plurimos eſſe, qui faſtidiunt, nec niſi nictante oculo dignantur libros, quantumuis perutiles, videre, niſi Orexis, appetentiaué in ipſorum animis, quodam veluti ſale, & condimento iucundarum rerum, & ſententiarum excitentur: Quod ſi ita eſt, & ſic res ſe habet, vos omnes ad quorum manus hæc vltima Pars Curſus Philoſophici R. A. P. Liuij Rabeſani de Monturſio ſuæ Prouincię Exprouincialis, Sanctæ Inquiſitionis Vicentiæ Qualificatoris, necnon Theologi inſignis, & verè vndequaque Herois, peruenerit, obnixe hortor oculos in ipſam, & in totum Curſum conijcere; mixtum enim vtile dulci, orexim, appetentiaue, nedum verum, & mentis ſubtilitatem ſpectando Rabeſanum Scotum ſectantem, Aquilam ingenii acumine ad ſublimia volantem, imitari reperietis, itaut de ipſo dicere poſsitis.

More Aquilæ, pennis aſcendere nititur aſtra Liuius, atquè oculis ſolaria lumina figit. Aduerſus ſuperans radios, quò tendere contra Ingenii nequeunt hebetes ſine acumine multi. Legite ergo, & perlegite omnes quorquot eſtis Tyrones, & Magiſtri opus hoc aureum quidem, quod & ego cum inoffenſo, iuſſu Reuerendiſsimi Patris noſtri Vicarii Generalis, pertranſirem pede, nihil in quo non redoleat ſumma catholicæ Fidei maturitas, nihilque in quo non reſpleadeat Auctoris grauitas, & doctrina, repererim, omnibus perdulce quidem profiteor, atque vt tali dulcedine refertum propino; necnon vt typis dari poſsit, nedum dignum, & vtile, verùm, & neceſſarium cenſui, ac cenſeo. Datum in Diui Blaſii Conuentu huius Ciuitatis Vicentiæ Die 20 Semptembris 1673.

Frater Hieronymus Feramuſca Lector, & Prædicator Generalis, ac D. Antonij Prouinciæ Diffinitor actualis.

Licen:

Digitized by Google

Licentia prior Reuerendiſſimi Patris Vicarij Generalis.

FR. Antonius Maria Venetus Ordinis Minorum Regularis obſeruantiæ, Concionator, & Lector Generalis, Sancti Officij Conſultor, Exprouincialis, ac in tota Ciſmontana obſeruantium Familia Vicarius Generalis, & Seruus: Dilecto Nobis plurimum in Chriſto Patri, Fratri Liuio Rabeſano, eiuſdem Ordinis, Prouinciæ verò noſtræ Obſeruantium D. Antonij Theologo inſigni, & Exminiſtro Prouinciali Salutem in Domino.

Cùm iuxtà Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones, à duobus noſtræ Religionis Theologis, quibus id rei commiſimus, reuiſum, & approbatum fuerit ſtudioſum quoddam opus à Te compoſitum, & elaboratum, cui titulus: de Generaitone, & Corruptione Volumen alterum Primæ Secundæ Partis, vigore præſentium, & ad ſalutaris Obedientiæ fructum, quamlibenter Tibi impartimur facultatem, quatenus ſeruatis ſeruandis, illud prælo committere poſſis. Vale Noſtri apud Deum in precibus memor. Datum Romæ Die 29 Menſis Maij 1671.

Fr. Antonius Maria Venetus Vicarius Generalis.

Licentia Poſterior Reuerendiſſimi Patris Vicarij Generalis alterius.

FR. Gabriel de Politio Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ Diffinitor Generalis, ſuæ Prouinciæ Vallis Mazariæ Exminiſter Prouincialis, & in hac Ciſmontana Familia Obſeruantium Vicarius Generalis, & ſeruus: Dilecto Nobis in Chriſto Patri Liuio de Monturſio Lectori Generali, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultori, ac Exminiſtro Prouinciali Prouinciæ noſtræ D. Antonij ſalutem.

Cùm iuxtà Apoſtolicas, & noſtri Ordinis Conſtitutiones, reuiſum, & approbatum fuerit quoddam Opus à te fabricatum cuius titulus eſt: Primæ Secundæ Partis Curſus Philoſophici Volumen alterum Tenore præſentium ad ſalutaris obedientiæ meritum, facultatem Tibi impartimur, quatenùs (ſeruatis ſeruandis) illud Typis mandare poſſis. Vale in Domino ſemper. Datum Romæ Die 30 Septembris 1673.

Fr. Gabriel à Politio Diffinitor, & Vicarius Generalis.

IN-

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

Omnium Summarum, Capitulorum, Diſputationum, & Queſtionum, quæ in his duobus libris de Generatione, & Corruptione, fideliter continentur.

DISPVTATIO PROEMIALIS.

De Subiecto adequato huius Scientiæ, ac de Ordine horum librorum cum præcedentibus, & ſubſequentibus.

Vtrum Corpus naturale Miſtum, qua tale ſit adæquatum ſubiectum horum librorum de Generatione, & Corruptione. Quæſtio I. 3

Vtrum Ordo horum librorum de Generatione, & Corruptione ſit bene aſſignatus, tamquam medius inter quatuor libros de Cælo, & Mundo, & quatuor Meteorologicorum Ariſtotelis? Quæſtio II. 10

Liber Primus de Generatione, & Corruptione Ariſtotelis

De Generatione, & Alteratione Sũma I. 12

De Intentione Ariſtotelis in his duobus libris. Caput I. 12

De ordine tractandorum, & diſtinctione Generationis, & Corruptionis ab Alteratione. Caput II. 15.

De Generatione, & Corruptione Simpliciter, ac ſecundum quid. Caput III. 18

De differentijs inter Generationem ſubſtantialem, & Alterationem. Caput IV. 22

De Generationis, Corruptionis, & Alterationis natura. Diſputatio Prima. 23

An detur in rerum natura Generatio, & Corruptio ſimpliciter, ſiuè ſubſtantialis? Quæſtio I. 23

Vtrum Generatio, & Corruptio ſubſtantialis, ſeu ſimpliciter diſtinguantur interſe, & quomodo? Quæſtio II. 27

Vtrum Generatio, & Corruptio *Seruent ordinem inter ſe vt generatio vnius ſit corruptio alterius, vel è conuerſo, corruptio vnius ſit generatio alterus?* Queſtio III. 36

Vtrum in Corruptione ſubſtantiali fiat reſolutio vſque ad materiam primam? Quæſtio IV. 48

Vtrum Generatio diſtinguatur realiter ab Alteratione? Quæſtio V. 55

Vtrum Alteratio abſoluta fieri paſſis ſecundum omnes qualitates, & tantum ſecundum illas, vel etiam ſecundum relationes? Quæſtio VI. 60

Vtrum Alteratio, ſiuè abſoluta, ſiuè comparata ſint motus continuus, & ſucceſſiuus, vel inſtantaneus? Quæſtio VII. 64

Vtrum intenſio qualitatis fiat per gradus homogeneos, v el etherogeneos. Quæſtio VIII. 73

De Augmentatione, & Diminutione. Summa II. 79

Quomodo Augmentatio differat ab alijs motibus. Caput I 79

Quanam ſit materia augmentationis oſtenditur. Caput II 80

Quidnam ſit id, quod augetur, inquirit, an viuens, vel alimentum. Caput III. 82

Quale debeat eſſe alimentum quo viuens augetur, & quomodo fiat augmentatio, & diminutio. Caput IV. 84

De Augmentatione, tàm Subſtantiali, Qu àm accidentali, ſeù quantitatiua. Diſputatio II. 85

Vtrum Augmentatio ſit motus continuus, & Succeſſiuus à cæteris motibus & mutationibus realiter diſtinctus? Quæſtio I. 85

Vtrum Augmentatio, & Diminutio ſint motus poſitiui, interſè realiter diſtincti. Quæſtio II. 92

Vtrum in Augmentatione, & Diminutione, corpus viuentis eo quo nutritur, & augetur tempore, permaneat idem numero, vel Solum ſpecie? Quæſtio III. 97

De Tactu. Agere. Pati, ac Miſtione. Summa IV. 109

De Intentione agendorum in eadem Summa. Caput I. 109

De Tactu ſerio contracto. Caput II. 110

De opinionibus Antiquorum circa Agere, & Pati. Caput III. 111

Oſtendit quid ſint Agere, & Pati, & quid ſint ea quæ agunt, & patiuntur. Caput IV. 112

Examinat opiniones Antiquorũ circa Agere, & Pati & illas refutat. Caput V. 113

Demonſtrat quonam pacto fiant, Generatio, Actio, & Paſſio ſecundum propriam ſententiam. Caput VI. 118

Proponit dubitationes de Miſtione & refellit aliorum opiniones. Caput VII. 119

Quomodo fiat Miſtio, quid ſit, & quæ ſint Miſcibilia Caput VIII. 121

De

Digitized by Google

COMMENTARIA,
Vnà cum Diſputationibus, & Quæſtionibus in Libros Ariſtotelis
DE GENERATIONE, AC CORRVPTIONE,
Ad mentem Doctoris Subtilis

IOANNIS DVNS SCOTI
ORDINIS MINORVM EXARATA.

Auctore Admodum R. P. F.

LIVIO RABESAÑO DE MONTVRSIO
Vicentino eiuſdem Ordinis Minorum, Regularis Obſeruantiæ Sacræ Theologiæ, ac Philoſophiæ Profeſſore.

PROOEMIVM.

COrporis naturalis eſſentiam, paſſiones, & affectiones ſibi in communi competentes, conſiderauit Ariſtoteles, vt etiam aliàs innuimus, in Libris Phyſicorum. Eiuſdem pariter naturam, paſsiones, affectioneſque, contractas tamen ad ſimplicitatem, & ad formas reſpectiuas, ad locum nimirum, & ſitum pro formali, expendit in quatuor Libris de Cælo, & Mundo. Aſt in præſentiarum cùm intendat agere de illius natura, paſsionibus, & affectionibus, ordinatis ad formas abſolutas, tàm ſubſtantiales, quàm accidentales, duos alios ordinauit Libros, quos inſcribere placuit de Generatione, & Corruptione tantùm, quamuis in illis agat de cæteris mutationibus, ac motibus, nempè de Alteratio-

ne, Accretione, & Decretione, Actione, & Paſsione, ac Miſtione, quæ potiſsimùm concurrunt ad formationem corporis naturalis miſti, & hac, vt reor, de cauſa, quia illæ, cùm ſint viæ ad formas ſubſtantiales procreandas, iſtæ verò ad accidentales, potiorem locum præ cæteris ſibi vendicant: Quarè cum Librorum Inſcriptiones fieri debeant, vt plurimùm, de dignioribus, nobilioribuſque conſideratis in eis, iurè merito debuit eoſdem inſcribere de Generatione, & Corruptione duntaxat: ſiquidem Generatio, vt inferius dicendum eſt, præſtantiſsima habetur corruptibilium corporum affectio. Diuiditur autem hoc opus in duos Libros, in quorum priori agit de Generatione, & Corruptione, Alteratione, Augmentatione, & Diminutione, Actione, & Paſsione, ac Miſtione: In poſteriori verò examinat Elementorum naturas, non ſolùm vt ſubſtant generationi, & corruptioni, ſed etiam, vt deſeruiunt formationi, ac miſtioni cæterorum corporum, quæ oriuntur, ac intereunt ex eorum permiſtione. Horum omnium explanationem, Deo dante vitam, & virtutem, aggreſſuri ſumus, in qua pariter exagitabimus illas quæſtiones, quæ ſupereſſe videntur cæteris idm diſcuſsis, partim in Logica, Phyſica, & Animæ, partimque in libris de Cælo, & Mundo nuperrimè abſolutis, illàs reſoluentes, vt noſtrum eſt, ad mentem Doctoris Subtilis. Faxit Deus ſua gratia, vt intentioni noſtræ, reſpondeat exequutio Operis. Amen.

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

De ſubiecto adæquato huius Scientiæ, ac de ordine horum librorum cum præcedentibus, & ſubſequentibus.

Vtrum Corpus naturale miſtum, qua tale, ſit adæquatum ſubiectum horum librorum de Generatione, & Corruptione?

Q V Æ S T I O I.

Circa aſsignationem ſubiecti attributionis horum librorum, ſeù huius ſcientiæ, varia ſunt Doctorum placita, vt videre eſt in Recentioribus: Nàm Albertus Magnus tract. 1. de Gener. cap. 1. docet, corpus ſimplex, prout eſt mobile ad formam ſubſtantialem, eſſe horum librorum ſubiectum. Huius opinionis videntur fuiſſe Auerroes lib. 1. de Cœlo commen. 3. & Alexand. lib. 1. Meteororum in principio.

Alij ſuſtinent, corpus, commune ad ſimplex, & compoſitum, mobile tamen ad formam abſolutam in communi, eſſe hic ſubiectum. Ita Ægidius in Procemio horum librorum propè finem cum alijs.

Alij cenſent, Generationem, & Corruptionem eſſe horum librorum ſubiectum, eùm de eis inſcribantur ab Ariſtotele. Sic Auguſt. Niphus hic quæſt. de ſubiecto, vbi citat pro ſe Aphrodiſeum, & Philopponum in 2. lib. Poſteriorum.

Alij ſuſtinent, eſſe ens mobile generabile, & corruptibile. Ita Zanardus de Generat. & Corrupt. capit. 2. quæſt. 8. vbi refert Diuum Thom. abſque citatione loci, quos ſequuntur communiter Thomiſtæ relati à noſtro Maſtrio hic in quęſtione Proem. numero 1.

Alij autumnant, horum librorum ſubiectum eſſe corpus naturale, compoſitum ex materia, & forma, vt eſt principium motus ad formam abſolutam, tàm ſubſtantialem, quàm accidentalem. Ita Roccus in primum lib. de Gener. & Corrupt. quæſt. 1. Ruuius in Procemio, Conimbricenſes ibidem, quàmuis hi duo videantur variare in nomine ſubiecti materialis, cum loco corporis naturalis ponant, vel ens, vel corpus mobile, in re tamen conueniunt cum opinione Rocci.

Hanc opinionem cenſemus probabilem in re, cùm eidem videatur fauere etiam Doctor Subtilis in 2. ſent. d. 2. quæſt. 10. paulò ante B. vbi expendens mentem Ariſtote-

ſtotelis, qualiter fuerit loquutus de motu, actione, & paſſione in libris Phyſicorum, ac in his de Gener. & Corrupt. inquit, in illis egiſſe de motu, actione, & paſſione in vniuerſali, in his verò de motu, actione, & paſſione contractis ad formam abſolutam in communi, igitur ſecundum Scotum dicere debemus, rem ſubiectam eſſe corpus naturale, vt eſt principium motus ad formam abſolutam, quatenus per generationem, & corruptionem acquiratur forma ſubſtantialis, & per alterationem, augmentationem, & actionem, ac paſſionem forma accidentalis; de quibus agit Ariſtoteles in his libris.

Alij denique docent, corpus naturale, qua miſtum; vt diſcriminatur à ſimplici, ſtatuendum eſſe pro ſubiecto horum librorum adæquato, cum ad ipſum commodiùs referantur omnia, de quibus agit Ariſtoteles in his duobus libris de Generatione, & Corruptione. Ita Zabarella in lib. de Philoſoph. Natur. Conſtit. cap. 21. Biragus, & Moriſanus, quos citat, ac ſequitur Maſtrius in quæſt. Procem. ad lib. de Gener. & Corruptione ſub num. 1. & 2. & hanc opinionem putamus probabiliorem, & conformiorem Doctrinæ Scoticæ, illamque ſequemur, vt loquamur conſequenter ad ea, quæ de ſubiecto totalis Philoſophiæ, ac lib. de Cœlo, & Mundo ſtatuimus cum Doctore Subtili in lib. 1. Phyſicorum diſp. Procemiali quęſt. 3. & lib. 1. de Cœlo, & Mundo diſp. Procemiali q. 2.

Pro clariori notitia totius quæſtionis ad notandum eſt primo ex his, quæ obſeruauimus in Phyſicis diſp. Procem. quæſt. 3. ſubiectum alicuius ſcientiæ dupliciter attendi poſſe, vel ſecundum prædicationem, vel ſecundum attributionem. Si priori modo attendatur debet eſſe aliquod commune, quod poſſit prædicari in recto de omnibus conſideratis in tali ſcientia. Si verò attendatur poſteriori modo, debet eſſe aliquod contentum ſub priori ſubiecto, principaliter tamen conſideratum in eadem, & talis naturæ, vt omnia conſiderata in tali ſcientia habeant attributionem ad ipſum, vel vt principia, vel vt partes, vel vt paſſiones de ipſo demonſtrabiles, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Poſteriorum cap. 23. Ad propoſitum ſi loquamur de ſubiecto Prædicationis huius ſcientiæ traditæ in his duobus libris de Generatione, & Corruptione poſſumus dicere, quod ſit ens naturale, vt eſt principium mobilitatis ad formam abſolutam in communi ſumptam, ſiquidem prædicatur in recto de corpore generabili, & corruptibili; de alterabili, augmentabili, diminuibili, & ſic de cæteris, cum omnia ſint entia naturalia, habentia principia motus ad formas abſolutas, vel ſubſtantiales, vel accidentales, acquiſibiles, vel per generationem, & corruptionem, vel augmentationem, & diminutionem, vel per alterationem, & miſtionem. Si verò ſit ſermo de ſubiecto Attributionis dicendum eſt, corpus naturale, miſtum ex quatuor elementis virtualiter, eſſe adæquatum ſubiectum hic, ſiquidem eſt principaliter conſideratum in hac ſcientia, & omnia in illa conſiderata referuntur ad ipſum, vel vt principia, ex quibus conſtat, vt ſunt elementa, vel vt partes ſubiectiuæ, vt ſunt corpus miſtum animatum, & inanimatum, vel vt paſſiones demonſtrabiles de ſeipſo, cuiuſmodi ſunt generatio, & corruptio, augmentatio, & diminutio; alteratio, & miſtio, actio, & paſſio, & qualitates ad quas ſiunt alterationes, actiones, & paſſiones, quæ per ſe conſiderantur in hac ſcientia in duobus libris contenta.

Secundò Notandum ex Ariſtotele libr. 1. Poſter. capit. 1. & 2. ac 23. & ex Doctore Subtili quæſt. 3. ſuorum Vniuerſalium, tres conditiones requiri neceſſariò adhoc vt aliquid poſſit ſtatui pro ſubiecto attributionis adæquato alicuius ſcientiæ. Prima vt habea quid eſt, & quia eſt, ideſt exiſtentiam ſaltem aptitudinalem in rerum natura, & diffinitionem, ſeù conceptum quidditatiuum, quia non entis non eſt diffinitio, & rei non diffinibilis nequit eſſe ſcientia, cum diffinitio ſit medium ſciendi, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Poſter. cap. 2. & 2. lib. Poſter. capit. 17. Secunda quod per ſuum quidquid eſt demonſtrari poſſint paſſiones de ipſo; ſiquidem notitia paſſionis demonſtratæ de ſubiecto in concluſione eſt ſcientia, vt habet idem Ariſtoteles in præcitatis locis. Tertia quod omnia conſiderata in tali ſcientia aliquo pacto attribuantur ad ipſum, vel vt principia conſtitutiua, vel vt partes integrales, aut ſubiectiuæ, vel vt paſſiones demonſtrabiles de illo, quandoquidem ſcientia debet menſurari à re ſubie-

cta

ctâ menſura adæquationis, vt non excedat, nec excedatur ab ea. Ex his infertur, corpus naturale miſtum poſſe ſtatui pro ſubiecto attributionis huius ſcientiæ de Generatione, & Corruptione, cùm habeat has conditiones requiſitas ad eſſe ſubiecti: Habet nàmque primam quia diffinitur ab Ariſtotele in lib. 1. de Cœlo, & Mundo t. 7. per eſſe principium motus miſti, prouenientis ex prædominio elementorum, ad differentiam corporis naturalis ſimplicis, quod eſt principium motus ſimplicis, exiſtitque in ſuis inferioribus miſtis, ſiuè animatis, ſiuè inanimatis. Habet ſecundam, quia per eſſe tale principium demonſtratur de ipſo eſſe generabile, & corruptibile, augmentabile, & diminuibile, alterabile, & tranſmutabile, ac ſubiectum actioni, & paſſioni, miſtionique, vtpotè paſſiones ab eo prouenientes, & à ſuis principijs intrinſecis. Habet etiam tertiam quia omnia conſiderata in his duobus libris, vt ſunt elementa, eorum qualitates, & motus, ac mutationes, referuntur ad ipſum, & in gratiam eius, vt oſtendit Ariſtoteles in 3. libro de Cœlo, & Mundo à t. 30. & 2. de Gener. & Corrupt. à t. 46. & ſequentibus.

Tertiò Notandum eſt, ſubiectum ſcientiæ eſſe duplex ſcilicet materiale, & formale. Materiale eſt principaliter conſideratum in illa ſcientia cuius eſt ſubiectum. Formale eſt ratio ſub qua conſideratur tale ſubiectum in tali ſcientia, vt in propoſito noſtro, ſubiectum materiale eſt corpus naturale miſtum, formale verò eſt miſtio; quandoquidem ſicut per miſtionem diſtinguitur corpus naturale miſtum à corpore naturali ſimplici, cuiuſmodi eſt Cœlum, & Elementum, ita per eandem diſtinguitur ſcientia tradita in his libris à ſcientia data in libris de Cœlo, & Mundo, quæ eſt de corpore ſimplici, ſub ratione ſimplicitatis, vt opponitur miſtioni. Subiectum autem formale, cùm ſit medium virtuale habendi ſcientiam de ſubiecto materiali, infertur debere eſſe intrinſecum ſubiecto materiali, adeo vt ſit, vel diffinitio, vel differentia eſſentialis conſtitutiua eius. Ex quo inferendum eſt, quod nec mobilitas ad formam abſolutam, nec generabilitas, & corruptibilitas poſſint determinare, vel ens naturale, vel corpus mobile, vt ſubire valeant rationem ſubiectorum materialium horum librorum, ſiquidem ſunt tantum paſſiones de ipſis demonſtrabiles, & non differentiæ eſſentiales eorumdem conſtitutiuæ, nec per conſequens ens naturale, vel ens mobile, aut corpus mobile ſub ratione generabilitatis, & corruptibilitatis, vel mobilitatis ad formam abſolutam vt ſic, poterunt ſtatui pro ſubiectis attributionis horum librorum, aut ſcientiæ in eiſdem libris traditæ.

Quartò Notandum eſt pro fundamento, ac declaratione quintæ opinionis, quam probabiliter defendere intendimus de mente Doctoris ſubtilis in præcitato loco in 2. d. 2. q. 10. ante B. ſcientiam naturalem, ex Ariſtotele lib. 6. Metaph. c. 1. & 2. eſſe de ente habente naturam, ideſt materiam, & formam, de quibus enunciatur natura; huiuſmodi autem eſt corpus naturale compoſitum ex materia, & forma, quod pariter eſt principium motus, & ſtatus, & de hoc, vt de ſubiecto attributionis, eſt Philoſophia naturalis, vt probauimus in Phyſicis Diſputat. Proem. q. 3. Quoniam autem hæc integratur ex multis partibus, propterea expoſtulat vnaquæque partium peculiare ſubiectum, quod contineatur ſub corpore naturali, tamquam pars ſubiectiua ſub ſuo toto vniuerſali. Et quia carent proprijs nominibus, manifeſtari debent per habere determinatum principium motus, & quietis in ſpecie, vel in genere. Igitur corpus naturale, aut eſt principium motuum in genere, & ſic de illo, vt de ſubiecto attributionis eſt ſcientia naturalis, tradita in octo libris Phyſicorum, qui diſcurrunt de motibus omnibus in genere: aut eſt principium motus in ſpecie, ordinabilis ad acquiſitionem termini, ſeu formæ relatiuæ, & ſic de illo eſt altera pars ſcientiæ naturalis, quæ continetur in quatuor libris de Cœlo, & Mundo, in quibus agitur de motu locali ſimplici: aut eſt principium alterius motus in ſpecie ordinabilis ad acquiſitionem termini, ſeu formæ abſolutæ, vel viuentis, & ſic eſt ſcientia de anima, & paruorum naturalium, vel non viuentis, & hæc eſt duplex nempè perfecta, & imperfecta, de priori eſt ſcientia tradita in iſtis duobus libris de Generatione, & Corruptione, in quibus agitur de forma abſoluta, tàm abſoluta ſubſtantiali, quàm abſoluta accidentali, quæ acquiruntur per motus generationis, & corruptionis, augmentationis, & diminutionis, alterationis, & miſtio-

Digitized by Google

nis, de poſteriori verò ſcientia, quæ habetur in quatuor libris Meteorologicorum, & eſt de corpore naturali imperfectæ miſto, quatenus eſt principium motus ad formam abſolutam miſtionis imperfectè. Ex his infertur, quod cum ſcientia tradita in his duobus libris de Generatione, & Corruptione ſit de corpore naturali, vt eſt principium motus generationis, & corruptionis, augmentationis, & diminutionis, alterationis, & miſtionis, quibus acquiruntur tot formæ abſolutæ, corpus naturale, vt eſt principium motus ad formam communem ad omnes formas abſolutas prædictas, eſſe ſubiectum attributionis horum librorum de Generatione, & Corruptione.

Quintò Notandum eſt Doctore Subtili in 2.d.2.q.10.ſub A. §. Reſpondeo, & dico, &c. diuerſitatem ſcientiarum partialium deſumendam eſſe ex diuerſitate conſiderandi eamdem rem ſubiectam, quandoquidem aliter Ariſtoteles conſiderat res ſubiectas motui, & actioni, ac paſſioni in libris de Generatione, & Corruptione, & in libris Phyſicorum: in his enim conſiderat res ſubiectas motui, & actioni, ac paſſioni in vniuerſali, & abſolutè; in illis verò eaſdem res ſpeculatur vt ſubiectas motui, & actioni, ac paſſioni in particulari, & vt determinatis ad formas, ergo cùm ſcientiæ partiales, & totales diſcriminentur ex diuerſitate rationum, ſeù ſubiectorum formalium, dicendum eſt ſecundum Doctoris Subtilis mentem in his duobus libris de Generatione, & Corruptione conſiderari ab Ariſtotele corpus naturale, vt eſt principium motus, & actionis ad formam, ac proinde illud ſub tali ratione formali eſſe ſubiectum in huiuſmodi partiali ſcientia, & non aliud, ſiquidem ſcientia ex Ariſtotele primo Poſter. cap 23. eſt vnius generis ſubiecti.

Ex his ſit prima Concluſio. Corpus naturale ſimplex, ſiuè vt comprehendit Cœlum, & elementa, ſiuè vt limitatur tantum ad elementa, nequit eſſe ſubiectum adæquatum attributionis ſcientiæ traditæ in his duobus libris de Generatione, & Corruptione. Eſt contra Albertum Magnum, & alios relatos in prima ſententia. Probatur prima pars quia corpus naturale ſimplex, ſic communiter acceptum, eſt ſubiectum ſcientiæ traditæ in quatuor libris de Cęlo, & Mundo, vt oſtendimus ibidem Diſp. Proœm. q. 2. ergo nequit eſſe huius ſcientiæ de Generatione, & Corruptione ſubiectum. Conſequentia tenet, quia idem ſub eadem conſideratione nequit eſſe diuerſarum ſcientiarum partialium ſubiectum, ſiquidem quemadmodum ſcientia ſecatur ad ſectionem rei ſubiectæ ex Ariſtotele 3. de Anima t. 38. ſic & vnitur ad vnitatem ſubiecti formalis, ergo ſi corpus naturale ſimplex, quà tale, eſt ſubiectum in libris de Cęlo, & Mundo, non poterit eſſe ſubiectum in his de Generatione, & Corruptione. Secunda pars probatur, & prima confirmatur, quia ſubiectum ſcientiæ, nec debet excedere, nec excedi ab ea, ſed hæc ſcientia agit de corporibus miſtis, quæ nullo pacto continentur ſub corpore ſimplici, cum corpus ſimplex, & mixtū ſint ſpecies diſparatæ corporis naturalis, ergo excedit corpus ſimplex, quà tale: ſimiliter in hac ſcientia nullo pacto pertractatur de Cęlo, nec etiam de elementis, vt ſunt partes Vniuerſi, quæ tamen continentur ſub corpore ſimplici, ergo exceditur ab eo, ac proindè nequit eſſe de corpore ſimplici, vt de ſubiecto adæquato. Nec iuuat dicere, quod corpus ſimplex eſt hic ſubiectum, vt eſt mobile ad formam ſubſtantialem, quia ſic excederetur ab eadem, cùm conſideret mobilitatem corporis, vt ſe extendit etiam ad formalitates quantitatis, & qualitatis, & alias, quę non ſubſunt mobilitati ad formam ſubſtantialem, vt patet de augmentatione, alteratione, actione, paſſione, & miſtione, ergo dicendum eſt hanc ſcientiam nullo pacto eſſe de corpore ſimplici, vt de ſubiecto adæquato.

Secunda Concluſio, Neque corpus, commune ad ſimplex, & compoſitum, vt mobile ad formam abſolutam, ſtatui poteſt pro ſubiecto huius ſcientiæ adæquato quoad attributionem, licet poſſet concedi quoad prædicationem ſaltem inadæquatè. Eſt contra AEgidium relatum in ſecunda ſententia. Probatur prima pars, quia de ratione ſubiecti attributionis eſt, quod ſit adæquatum illi ſcientiæ, cuius eſt ſubiectum, ſed corpus commune ad ſimplex, & compoſitum, mobile ad formam abſolutam, non eſt adæquatum, verùm excedit ſcientiam traditam in libris de Generatione, & Corruptione, ergo nequit eſſe ſubiectum attributionis in eadem. Maior patet, quia menſuratur menſura adæquationis à ſuo ſubiecto

ex

Digitized by Google

ex Ariſtotele 5. Metaph. t. 20. Minor clareſcit, quia de illo conſideratur in 5. Phyſicorum t. 8. 9. 10. & 55. ac in lib. Meteororum in quibus potiſſimum agitur de corpore mobili ad formam abſolutam, hoc eſt de generatione, & corruptione miſtorum imperfectorum, vt ibidem vidimus, ergo, vel hæc ſcientia non diſtinguetur ab eis, vel dicendum eſt, corpus mobile ad formam abſolutam non eſſe ſubiectum adæquatum attributionis huius ſcientiæ. Secunda pars probatur, quia corpus, commune ad ſimplex, & compoſitum, vt mobile ad formam abſolutam prædicatur directè de omnibus corporibus, tum compoſitis, tum ſimplicibus, quæ conſiderantur in hac ſcientia de Generatione, & Corruptione, valent enim hæ prædicationes, corpus generabile, & corruptibile, alterabile, & mixtibile, augmentabile, & diminuibile, actiuum, & paſſiuum, ſimiliter corpus elementare ſimplex ſunt corpora mobilia ad formam abſolutam, vt eſt notum, ergo corpus, commune ad ſimplex, & compoſitum, vt mobile ad formam abſolutam, eſt ſubiectum prædicationis in hac ſcientia. Tertia pars patet, quia prædicatur de corpore imperfectè miſto, quod non ſpectat ad hanc ſcientiam, ſed ad ſcientiam meteorologicam, vt ibidem oſtendimus Diſput. Proœm. quæſt. 3. per totam, ergo eſt ſubiectum prædicationis in hac ſcientia inadæquatum.

Tertia Concluſio. Neque Generatio, & Corruptio, neque ens mobile, vt generabile, & corruptibile poſſunt poni ſubiecta attributionis in hac ſcientia de Generatione, & Corruptione. Eſt contra tertiam, & quartam ſententiam. Probatur prima pars, quia de ratione ſubiecti alicuius ſcientiæ eſt habere principia, partes, & paſſiones de ipſo demonſtrabiles ex Ariſtotele 1. Poſter. cap. 23. ſed generatio, & corruptio, cum ſint paſſiones corporis naturalis carent, ſaltem partibus ſubiectiuis, & paſſionibus de ipſo demonſtrabilibus, ſiquidem carent etiam quodquid eſt, per quod deberent demonſtrari, quia carent genere, & differentia, ex quibus coaleſcit ipſum quodquid eſt, vt docet Ariſtoteles 7. Metaph. t. 43. ergo generatio, & corruptio nequeunt eſſe ſubiectum attributionis huius ſcientiæ traditæ in his libris de Generatione, & Corruptione. Secunda pars probatur, quia in his libris agitur per ſe, non tantum de entibus generabilibus, & corruptibilibus, verùm etiam de alterabilibus, augmentabilibus, diminuibilibus, actiuis, paſſiuis, & miſtis, quæ non conſiderantur ſub ratione generabilium, & corruptibilium, ergo ratio generabilis, & corruptibilis nequit eſſe ſubiectum formale huius ſcientiæ, ac proinde nec ens mobile, vt generabile, & corruptibile poterit eſſe ſubiectum attributionis eiuſdem ſcientiæ. Conſequentia prima tenet, quia omnia conſiderata in ſcientia debent contineri ſub obiecto formali, tamquam ſub ratione conſiderandi ſubiectum materiale. Secunda conſequentia pariter patet, quia ſubiectum materiale limitatur, & determinatur à formali.

Quarta Concluſio. Probabile eſt, horum librorum ſubiectum attributionis adæquatum, eſſe corpus naturale compoſitum ex materia, & forma, vt mobile ad formam abſolutam, ſeu vt eſt principium motus ad formam abſolutam perfectam. Eſt ſententiæ in ordine quinto loco poſitę, colligiturque à Doctore Subtili in 2. d. 2. q. 10. ſub A, vt in principio adnotauimus. Probatur, ſicut ſe habet ſcientia naturalis totalis ad ſuum totale ſubiectum, ita ſe habere debet ſcientia naturalis partialis ad ſuum partiale ſubiectum, ſed ſcientia naturalis totalis eſt de corpore naturali totali, vt eſt principium motus in communi, ergo quælibet ſcientia naturalis partialis debet eſſe de quolibet corpore naturali ſub communi contento, vt eſt principium motus in particulari. Maior patet à ſimili, ſiquidem omnis ſcientia eſt de ſcibili, ſeu de ſubiecto ex Ariſtotele 1. Poſter. cap. 2. & 23. ergo totalis de totali, & partialis de partiali ſubiecto. Minor eſt Ariſtotelis in 6. Metaph. t. 1. vbi inquit *Cum autem naturalis etiam circa quoddam entis genus ſcientia ſit, etenim circa talem ſubſtantiam, in qua principium eſt motus, & ſtatus, qui in ea eſt*, hoc eſt circa corpus naturale, conſtans materia, & forma de quibus dicitur natura, vt docet in 2. Phyſicorum t. 4. 10. 12. ergo ſcientia naturalis eſt de corpore naturali, vt eſt principium motus, & quietis in communi. Atqui ſcientia naturalis, tradita in libris Phyſicorum, eſt de corpore naturali, vt eſt principium motus in genere ad formas in genere, & illa,

illa, quæ datur in libris de Cœlo, & Mundo, eſt de corpore naturali, vt eſt principium motus localis ad formam relatiuam, vt eſt vbi, ergo ſcientia naturalis, tradita in libris de Generatione, & Corruptione debet eſſe de corpore naturali, vt eſt principium motus ad formam abſolutam in communi, vt comprehendit formam ſubſtantialem, acquiſibilem per generationem, & corruptionem, ac miſtionem, quantitatiuam per augmentationem, & diminutionem, & qualitatiuam, acquiſibilem per alterationem, actionem, & paſſionem, de quibus omnibus agitur in his duobus libris de Generatione, & Corruptione.

Quinta Concluſio. Probabiliùs eſt, horum librorum ſubiectum attributionis adæquatum eſſe corpus naturale miſtum, qua tale, & vt diſtinguitur à corpore naturali ſimplici, & à miſto imperfecto. Eſt Doctorum, quos retulimus in ſexta ſententia, & conformior Doctori Subtili in libr. 6. Metaph. q. 1. vbi diſtinguit ſcientias cum Ariſtotele ad diuiſionem ſubiectorum, cum igitur corpus naturale in communi diuidatur in ſimplex, & miſtum; & ſimplex ſit ſubiectum ſcientiæ naturalis, traditæ in libris de Cœlo, & Mundo, in quibus agitur de corpore ſimplici, conſequenter dicendum eſt, libros de Generatione, & Corruptione, in quibus potiſſimùm determinatur de altero membro diuiſionis, nempè de mixto, habere pro ſubiecto corpus naturale mixtum, qua tale ſecundum doctrinam Scoti. Probatur concluſio, quia corpus naturale miſtum habet quid eſt, & quia eſt, paſſiones demonſtrabiles per ſuum quodquid eſt, & omnia, quæ conſiderantur in his libris attribuuntur ad ipſum, vel vt principia, vel vt partes, vel vt paſſiones, ergo corpus naturale mixtum eſt ſubiectum attributionis in his duobus libris. Conſequentia tenet per conditiones requiſitas ad ſubiectum attributionis in aliqua ſcientia. Antecedens iàm probatum eſt in ſecundo, & tertio Notabili, quandoquidem omnia conſiderata in his duobus libris tendunt ad generationem, vel corruptionem mixti, vt patere poterit cuilibet intuenti textum Ariſtotelis.

Obijcitur primo contra primam concluſionem, quia hi libri vocantur ab Ariſtotele de elementis, ſeù de miſtione elementorum, ſed elementum eſt corpus naturale ſimplex, ergo res ſubiecta conſiderationi horum librorum eſt corpus ſimplex, vt ordinatur ad motum ſimplicem. Maior patet, quia in 2. de Anima t. 117. inquit: *Dico autem differentias, quæ elementa determinant calidum, frigidum, humidum, ſiccum, de quibus prius dictum eſt in ijs, quæ de Elementis*; ac de talibus differentijs egit in his libris de Generatione, & Corruptione, vt eſt notum, igitur &c. Deindè in lib. de ſenſu, & ſenſibilibus capit. 4. ſubdit: *Si autem eſt mixtio corporum, non ſolum ſecundum hunc modum, ſecundum quem putant quidam, eorum, quæ ſecus inuicem ponuntur, minimorum, immanifeſtorum autem nobis per ſenſum, ſed totaliter omniquaque, ſicut in eis, quæ de mixtione, dictum eſt vniuerſaliter de omnibus*: atqui de mixtione egit vniuerſaliter in his libris de Generatione, & Corruptione, ergo hi libri vocantur ab eodem de Elementis, vel de mixtine elementorum, ac proinde elementum, ſeù corpus ſimplex ſecundum Ariſtotelem debet eſſe horum librorum ſubiectum.

Reſpondetur neganda eſt vtraque conſequentia, ſiquidem non ſufficit ad eſſe ſubiectum horum librorum, vt de aliquibus per ſe in eis agatur, alioquin generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, actio, paſſio, & mixtio, ac non ſolum elementa eſſent in illis ſubiectum, ſed requiruntur cæteræ conditiones, quibus carent elementa, & motus, ac mutationes; vndè cùm omnes conueniant corpori naturali mixto, vel ſaltem, vt eſt principium motus ad formam abſolutam in communi, illud duntaxat ſub alterutra ratione formali poterit eſſe ſubiectum, & non corpus ſimplex, aut elementum.

Obijcitur ſecundò contra ſecundam concluſionem, quia corpus mobile ad formam habet omnes conditiones requiſitas ad eſſe ſubiectum in hac ſcientia, ergo debet eſſe ſubiectum in eadem. Conſequentia patet. Antecedens probatur, quia habet elementa, vt tranſmutabilia pro ſuis principijs, habet corpus generabile, & corruptibile, & corpus augmentabile, & diminuibile, alterabile, & mixtibile pro partibus ſubiectiuis; & generationem, corruptionem, augmentationem, diminutionem, alteratio-

nem,

nem, actionem, paſſionem, & mixtionem pro paſſionibus, quæ omnia conſiderantur in hac ſcientia in eius gratiam, ergo corpus mobile ad formam, vt ſic, habet conditiones requiſitas ad ſubiectum ſcientiæ, vt docet Ariſtoteles 1. Poſteriorum capit. 23. ac proinde poterit eſſe hic ſubiectum attributionis.

Reſpondetur negando antecedens; tùm quia deficit ſibi quid eſt, quandoquidem corpus mobile non diffinitur, vt aliàs oſtendimus: tùm etiam, quia latiùs patet corpus mobile ad formam, quam hæc ſcientia de Generatione, & Corruptione, vt diximus in probatione Concluſionis; modò præcipua conditio ſubiecti debet eſſe adæquatio cum ſcientia, cuius eſt ſubiectum. Ad probationem dico conditiones illas verificari de corpore naturali mixto, vel vt eſt principium motus ad formam abſolutam, non de mobili corpore, vt eſt commune ad corpus ſimplex, & compoſitum, alioquin hæc ſcientia non diſtingueretur ab eis, quas tradidit Ariſtoteles in libris Phyſicorum, de Cœlo, & Mundo, ac Meteororum, verum eſſet communis ad illas, in quibus agitur de corporibus ſimplicibus, & mixtis, ſiuè compoſitis, quod non eſt dicendum, cum omnes ſint ſcientiæ partiales de partialibus ſubiectis, contentis ſub corpore naturali, quod eſt ſubiectum totius Philoſophiæ naturalis.

Obijcitur tertio contra tertiam Concluſionem, quia Ariſtoteles initio huius operis dicit ſe velle tractare *de Generatione, & Corruptione eorum, quæ natura generantur, & corrumpuntur, ſimiliter de omnibus, & cauſas diuidendum, & rationes eorum determinandum*: ergo aut generatio, & corruptio; aut corpus generabile, & corruptibile, erit ſubiectum, cum ſint principaliter conſiderata in hac ſcientia.

Reſpondetur negando vtramque conſequentiam: quandoquidem licet generatio, & corruptio ſint paſſiones principaliter conſideratæ in hac ſcientia, non tamen attendi poſſunt vt ſubiectum eiuſdem; ſiquidem de ſubiecto præcognoſcitur quid eſt, & quia eſt, de paſſione verò tantùm quid nominis vt concluſimus cum Ariſtotele, & Scoto in 1. Poſter. diſp. 1. q. 2. conc. 2. & 3. tùm etiam, quia ſubiectum, cum diffiniatur, ponitur directè in genere, paſſio verò tantùm reductiuè, igitur generatio, & corruptio, quia ſunt paſsiones demonſtrabiles de corpore naturali mixto, nequeunt eſſe ſubiectum huius ſcientiæ. Neque corpus, vt generabile, & corruptibile poterit per eandem rationem ſubire rationem ſubiecti adæquati, quia hæc ſcientia ſe extendit etiam ad corpora augmentabilia, alterabilia, & mixtibilia, quæ non continentur ſub corpore naturali generabili, & corruptibili, licet bene ſub corpore naturali mixto, & ideo hoc, & non illud poterit eſſe ſubiectum. Neque iuuat quod dicunt nonnulli, hos libros inſcribi ab Ariſtotele de Generatione, & Corruptione, vt inde inferre poſsint, illas habere rationem ſubiecti; ſiquidem inſcriptionem alicuius libri poſſe fieri interdum à principali paſsione, vt accidit in præſenti, interdum à re ſubiecta principaliori conſiderata, vt apparet in libris de Cęlo, & aliquando à potiori principio, vt videre eſt in libris Phyſicorum, qui inſcribuntur de natura, quæ eſt potiſsimum principium corporis naturalis: cæterum ratio ſubiecti poſtulat illas tres conditiones, ſuperiùs recenſitas, quibus cum careant Generatio, & Corruptio, ſiuè corpus generabile, & corruptibile, indè ſequitur, quod nequeant ſubire rationem ſubiecti.

Obijcitur quartò contra quintam Concluſionem, quia in his libris agitur perſe de augmentatione, alteratione, actione, & paſsione, quæ excedunt rationem mixti, ergo corpus naturale mixtum, qua tale, nequit eſſe ſubiectum attributionis adæquatum horum librorum. Maior patet in textu quinto, & ſequentibus, vbi reprehendit Antiquos, quod tantum loquuti fuerint de Generatione, & Corruptione elementorum, & non de cæteris mutationibus, quas tamen conſiderare debuerant. Minor probatur, quia augmentatio, cum fiat per nutritionem, conuenit corpori animato, & non mixto: alteratio competit Cęlis, & Aſtris, quæ non ſunt mixta, ſed corpora ſimplicia: & actio, & paſsio, non tantum mixtis, ſed etiam elementis competunt, ergo huiuſmodi mutationes excedunt corpus mixtum, ac proindè illud non poteſt eſſe adæquatum ſubiectum ſcientiæ horum librorum.

Reſpondetur negando vltimam conſequentiam ſiquidem omnes mutationes ſuperiùs

periùs recenſitas conſiderari quidem ab Ariſtotele in his libris per ſe, vt diſtinguuntur à ſeinuicem ratione ſuorum terminorum; quandoquidem generatio, & corruptio terminantur ad ſubſtantiam, accretio, & decretio ad quantitatem, & alteratio ad qualitatem: Verùm omnes ordinantur ad compoſitionem, & formationem mixti. Et cum probatur, nonnullas ex his excedere rationem mixti, dicendum eſt, illud eſſe verum ſi ſumantur in vniuerſali, falſum autem ſi attendantur in particulari, quia ſic omnes, vt ordinantur tamquam diſpoſitiones præuiæ ad compoſitionem mixti, ſic conſiderantur in his libris duntaxat in gratiam illius, ad quod attribuuntur, vti paſſiones demonſtrabiles de ipſo per ſua principia intrinſeca. Ad probationem minoris dicimus accretionem conuenire quidem etiam corpori animato, ſi attendatur ratione principij, at ratione termini ſit propria mixto, vt ſic: Similiter alterationem perfectiuam concedimus poſſe conuenire Cęlis, & Aſtris, at corruptiuam elementis, & elementatis duntaxat; Eodem pacto poſſumus dicere actionem, & paſsionem, in ordine ad generationem mixti, poſſe conuenire etiam elementis, cum ſint illius materia, non autem quatenus ſunt partes ſubiectiuæ vniuerſi, vt aliàs innuimus, & clarius inferiùs demonſtrabimus. Quapropter cum omnia conſiderentur in his libris in gratiam corporis naturalis mixti, concludendum eſt, illud eſſe adæquatum ſubiectum attributionis in eis.

Vtrum ordo horum librorum de Generatione, & Corruptione ſit benè aſſignatus, tamquam medius inter quatuor libros de Cœlo, & Mundo, & quatuor Meteororum?

QVÆSTIO II.

NOnnulli conſiderantes, Ariſtotelem egiſſe in 3. de Cęlo, & Mundo de generatione, & corruptione elementorum, & in 4. lib. pariter eiuſdem operis de graui, & leui, quæ conueniunt nedum elementis, ſed etiam mixtis ratione eorundem elementorum, & modò ſe acturum iterùm de his omnibus promittat in his duobus libris de Generatione, & Corruptione, deuenerunt in hanc ſententiam, quod hi duo libri, cum tertio, & quarto de Cęlo, & Mundo conſtituere debeāt vnum integrum opus, quod de elementis, & mixtis inſcribatur, ac proinde hos duos libros non poſſe facere ſine illis tertiam partem Philoſophiæ naturalis.

Alij verò perpendentes, quod libri quatuor Meteororum ſint, partim de mixtis imperfectis, & partim de perfectis, cuiuſmodi eſt liber quartus cenſuerunt hos, ab eis non debere diſiungi, verum omnes ſimul vnitos, coaptari ſub eodem ſubiecto communi, quod de corpore naturali mixto inſcribatur.

Cæterùm vera, & communis opinio tenet, hos duos libros de Generatione, & Corruptione, ſicut ſunt de peculiari ſubiecto, diſtincto à ſubiectis librorum de Cęlo, & Mundo, ac de Meteoris, conſtituere tertiam partem Philoſophiæ naturalis, reponendoſque eſſe, ſicut fecit Ariſtoteles, medios inter quatuor libros de Cęlo, & Mundo, ac quatuor de Meteoris. Ita Ægidius, Marſilius, Conimbricenſes, Ruuius, ac cęteri Recentiores in Proęmio horum librorum de Generatione, & Corruptione, ſequuti ordinem, quem poſuit Ariſtoteles in diſtributione totius Philoſophiæ naturalis. Declaratur, & ſimul probatur concluſio huius opinionis ex principijs deſumptis à Doctore Subtili in lib. 6. Methaphyſicæ; quandoquidem ſcientia naturalis ſecatur in partes iuxtà ſectionem ſui ſubiecti ſecundum quod docet Ariſtoteles in 3. de Anima t.38. Corpus autem naturale, quod eſt ſubiectum totius Philoſophiæ, ſeù ſcientiæ naturalis, vel conſideratur in genere, ſecundum principia, & paſsiones ſibi in communi competentes, & ſic determinat ſibi primam partem Philoſophiæ, contentam in octo libris Phyſicorum; vel attenditur in ſpecie, & ſic diuiditur prima ſui partitione in corpus naturale ſimplex, & mixtum, vt tradit Ariſtoteles in 1. lib. de Cęlo, & Mundo t.7. Simplex corpus compræhendit Cęlos, & elementa, & ſic ſtatuit ſecundam partem Philoſophiæ naturalis, traditam in quatuor libris de Cęlo, & Mundo. Corpus naturale mixtum diſtribuitur in perfectum, & imperfectum. Perfectum in inanimatum, & animatum. De priori conſiderat ſcientia, quæ traditur in duobus libris de

generatione, & corruptione, & ſic enumeratur tertia pars eiuſdem Philoſophiæ naturalis. De poſteriori tractat ſcientia, quæ continetur in tribus libris de Anima, de Senſu, & Senſibilibus, de Animalibus, & Plantis, in quibus videtur diſtributa quinta pars Philoſophiæ naturalis. Imperfectum verò, quod & meteorologicum appellatur determinat ſibi ſcientiam, quæ continetur in quatuor libris de Meteoris ab Ariſtotele inſcriptis, & ſic relucet quarta pars Philoſophiæ Naturalis. Ex omnibus his clareſcit ordo partium Philoſophiæ Naturalis, & librorum eiuſdem in quibus continetur, ſiquidem cum corpus naturale in genere præcedat ſuas ſpecies, quia vt docet Ariſtoteles primò Phyſicorum t. 4. ab vniuerſalibus ad ſingularia fieri debet proceſſus in ſcientijs, dicendum eſt libros Phyſicorum, qui ſunt de corpore naturali in genere, eſſe ponendos in primo loco: In ſecundo libros de Cęlo, & Mundo, cùm in eis conſideretur corpus ſimplex, tum cęleſte, tùm elementare, quæ præcedunt corpus miſtum, ſicut partes ſuum totum. In tertiò loco ſequuntur libri de generatione, & corruptione, quia in illis agitur de Corpore Naturali mixto perfecto inanimato, quod præcedit imperfectum, & animatum. In quartò loco ſuccedunt quatuor libri Meteorologicorum, ſiquidem continent miſta imperfecta, quæ à perfectis inanimatis oriuntur, & præcedunt perfecta animata. In quintò loco ponendi ſunt libri de Anima, Paruis naturalibus, Animalibus, & Plantis, qui recenſent horum omnium naturas, paſſiones, & affectiones, ſiquidem priora perfectione debent eſſe poſteriora generatione, vt docet Ariſtoteles in quarto lib. de Cęlo, & Mundo t. 24. ergo ex his inferendum eſt, quod ſcientia librorum de generatione, & corruptione eſt optimè coaptata in tertio loco Philoſophiæ Naturalis, media inter quatuor libros de Cęlo, & Mundo, & quatuor Meteorologicorum Ariſtotelis.

Secunda Concluſio. Non eſt tamen improbabile, hos libros de Generatione, & Corruptione conſtituere vnum opus integrum cum 3. & 4. de Cœlo, & Mundo. Probatur, tùm quia in omnibus agitur de eadem re ſubiecta nempe de quatuor elementis, & eorum paſſionibus, vt manifeſtum eſt intuentibus textum in prædictis libris: tùm etiam, quia in 3. de Cœlo, & Mundo à t. 2. & ſequentibus proponit ſe velle agere de Generatione, & Corruptione rerum naturalium inquiens: *Generatio enim, aut omnino non eſt aut ſolum in his eſt elementis, & ijs, quæ ex his ſunt*. Et intentum exequitur, non ſolum præcurrendo totum tertium librum, & quartum de Cœlo, & Mundo, verùm idem repetit inchoando primum de Generatione ſubdens in t. 1. *De Generatione autem, & Corruptione eorum, quæ natura generantur, ſimiliter de omnibus, & cauſas diuidendum, & rationes eorum determinandum*. Et in ſecundo libro applicat eandem materiam de generatione, & corruptione ad elementa, ſicut fecerat in 3. lib. de Cœlo, & Mundo, vt indè innuat hos libros de generatione, & corruptione non eſſe diuerſos ab illis de Cęlo, & Mundo, ac proindè ex omnibus his quatuor poſſe confici vnum opus integrum, inſcribendum de generatione, & corruptione rerum naturalium, tàm ſimplicium, quàm compoſitarum.

Tertia Concluſio. Nec pariter eſt improbabile, hos libros de generatione, & corruptione poſſe coniungi cum illis quatuor de Meteoris ad faciendum vnum opus integrum de Miſtis. Probatur, quia non minus continentur miſtum perfectum, & imperfectum ſub corpore naturali miſto vt ſic, quàm corpus naturale cæleſte, & corpus naturale elementare ſub corpore naturali ſimplici, ſed hæc duo vniuntur ad ſtatuendum vnum opus integrum in quatuor libris de Cęlo, & Mundo de corpore naturali ſimplici, ergo & corpus miſtum perfectum, & imperfectum poterunt vniri in corpore miſto naturali, vt ſic, ad conficiendum vnum opus integrum in his duobus de generatione, & corruptione, qui ſunt de miſto perfecto, & in quatuor de Meteoris, qui ſunt partim de imperfecto, & partim de perfecto miſto. Maior patet, quia quemadmodum corpus naturale ſimplex diuiditur in ſimplex cæleſte, & elementare, ita corpus naturale mixtum partitur in mixtum perfectum, ac imperfectum. Minor conceditur ab Auctoribus relatis in tertia ſententia, & nos demonſtrauimus in Diſputatione Proemiali librorum de Cęlo, & Mundo q. 2. & librorum de Meteoris q. 3. ergo non erit improbabile aſſerere cum ſecunda ſententia hos libros de generatione, & corru-

ruptione vniri poſſe ad faciendum vnum integrum opus cum quatuor libris de Meteoris.

Dices, ergo non benè, & abſolutè concluſimus hos libros de generatione, & corruptione, per ſe ſumptos, conſtituere tertiam partem Philoſophiæ naturalis, cùm probabile ſit, poſſe vniri, vel 3. & 4. lib. de Cęlo, & Mundo, vel cum quatuor libris de Meteoris, vt probatum eſt in ſecunda, & tertia concluſione.

Reſpondetur negando conſequentiam, quandoquidem rationes adductæ pro ſecunda, & tertia concluſione non euertunt fundamentum allatum. Vnde ad primam dicimus, elementa dupliciter attendi poſſe, vel vt ſunt partes ſubiectiuæ corporis naturalis ſimplicis, vel vt ſunt partes materiales corporis naturalis miſti. Si priori attendantur modo, ſpectant ad duos libros vltimos de Cęlo, & Mundo, ac nullo pacto ad hos libros de generatione, & corruptione, ſi verò poſteriori perpendantur pacto, nullatenus ſpectant ad libros de Cęlo, & Mundo, verum totaliter conſiderantur in his libris de generatione, & corruptione, vt ordinantur ad compoſitionem miſti: quarè ſicut nec corpus miſtum poteſt vniri cum corpore ſimplici, (ſunt enim diſparata) ſic neque hi libri poterunt vniri cum illis ad conſtituendum vnum integrum opus. Ad ſecundam dicimus eodem modo non poſſe coniungi libros Meteororum cum his de generatione, & corruptione, ſiquidem hi conſiderant mixtum vt perfectum eſt, illi vero idem qua imperfectum exiſtit, modò rationes diſparatæ, ſicut non poſſunt in idem reduci, ſic neque ſcientiæ diſparatæ in vnam coite, vt ex eis coaleſcat vnum integrum opus.

Ariſtotelis de Generatione, & Corruptione.

LIBER I.

HIc Liber diuiditur in tres Summas, in quarum Prima agit Ariſtoteles de Generatione, & Alteratione. In ſecunda de Augmentatione. In tertia de Tactu, Agere, & Pati, ac Mistione; tum ſecundum Anti-...

De Generatione, & Alteratione.

SVMMA I.

HÆc Prima Summa diuiditur in tria capita. In Prima exprimit intentionem libri, & proponit Antiquorum ſententias de generatione, & alteratione. In ſecunda ponit ordinem tractandorum in hoc libro. Deinde oſtendit non dari magnitudines indiuiſibiles; & denique demonſtrat generationem, & corruptionem non eſſe Alterationem. In tertio notificat generationem, & corruptionem ſimpliciter, & ſecundum quid, cauſamque perpetuitatis vtrinque.

Quoad primùm Caput in T. I. inquit ſe velle agere de generatione, & corruptione rerum naturalium, vt diſtinguuntur ab artificialibus, tradendo diffinitiones per principia intrinſeca, vel extrinſeca, hoc eſt, per cauſas vniuerſales, ex quibus oriuntur corpora generabilia, & corruptibilia per naturam. Deinde ſubdit ſe velle etiam pertractare de augmentatione, & alteratione, oſtendendo earum naturas per ſuas rationes formales, & paſſiones, conſiderando, nùm ſint idem inter ſe, & cum generatione, ac corruptione, aut differant rationibus formalibus, quemadmodum nominibus ſecerni videntur.

Quare in eodem t. proponit hanc quæſtionem diſcutiendam: An generatio ſimplex, & perfecta, qua ſubſtantia ſolum gignitur, & non accidens, diſtinguatur eſſentialiter ab alteratione, vel ſint vna, & eadem mutatio? Circa quam, vt eidem ſatisfaciat, prius proponit Antiquorum opiniones examinandas; ſiquidem ex eis explorare intendit, quid veritati conſonum, vel diſſonum afferant, vt ſecurius, quid propoſitæ difficultati reſpondendum ſit, decernere poſſit. Quandoquidem ponentes omnium rerum, quæ in mundo exiſtunt, & exiſtere poſſunt, dari vnum dumtaxat principium. Quod ens actu vocabant, vt fuerunt Parmenides, & Meliſſus, ſi ſibi conſtare vellent, cogebantur dicere, generationem ab alteratione nullo pacto fore diſtinctam, ſiquidem ens actu nequit eſſe generationis ſubiectum, vt diſtinguitur ab alteratione (hæc enim expoſcit ſubiectum in potentia,

vt

vt inferiùs demonſtrabitur) ſed eſt ſubiectum alterationis, quapropter omnia, quæ ex tali principio fiebant, hoc eſt generabantur, in rei veritate alterabantur, & ſic cogebantur dicere, generationem eſſe alterationem, & alterationem quandam generationem.

Alij verò ponentes plura principia materialia, vt Empedocles, qui poſuit quatuor elementa, ſcilicet ignem, aerem, aquam, & terram, ac Anaxagoras, Leuippus, & Democritus, qui ponebant infinita principia, neceſſariò omnes habebant fateri, generationem, & alterationem eſſe diuerſas mutationes, vel ſaltem differentiam inter illas poterant tueri. Quandoquidem ſicut ex ratione illorum principiorum poterat fieri generatio, quæ ſecundum illos fit per congregationem principiorum, & ex eorumdem diſiunctione, corruptio, quæ per ſegregationem contingit, & ita per variationem accidentium, quæ conſequuntur, comitanturque generationem, & corruptionem, accidere poterat alteratio, ac proindè tueri poterant differentiam inter huiuſmodi mutationes.

Verùm reprehendit Anaxagoram, quia ſic dicens ignorauit propriam vocem generationis, & in ſuis principijs ſibi contradixit. Ignorauit quidam vocem, quia dicendo, quod fieri, ſeù generari, & dicendo, quod dextrui, ſiue corrumpi ſint idem, quod alterari, confundit generationem, & corruptionem cum alteratione, & ſic ignorauit vocem generationis, vt diſtinguitur ab alteratione. Contradixit etiam ſibi, quia ponendo ſimul cum alijs generationem, & alterationem eſſe diuerſas mutationes, oppoſitum debuiſſet dicere, ſi ſecundum ſua principia, fieri, & dextrui, ſiuè generari, & corrumpi ſint vnum, & idem, quod alterari, igitur aſſerendo vtrumque in ſuis fundamentis, ac principijs, ſibi contradixit.

Deinde in eodem t. ponit differentiam inter hos Philoſophos ponentes plura principia; Nam Empedocles poſuit ſex principia, ideſt quatuor materialia ſcilicet ignem, aerem, aquam, & terram, & duo mouentia effectiua ſcilicet amicitiam quæ res congregaret in vnum, & litem, quæ illas diſiungeret. Anaxagoras autem, Leucippus, & Democritus poſuerunt infinita principia materialia; cùm hac tamen differentia, quod Anaxagoras poſuit os, carnem, medullam, & ſimilia homogenea tamquam elementa: Leucippus verò, ac Democritus ponebant athomos indiuiſibiles, quæ erant quædam corpuſcula, velut ramenta apparentia in aere, dum ſolis radij tranſeunt per feneſtras, & ex omnibus his aſſerebant mixta, & compoſita gigni.

Inſuper in eodem t. ſubdit differentiam inter poſitiones Empedoclis, & Anaxagoræ, ac ſequacium vtriuſque; nàm priores dicebant, terram, aquam, aerem, & ignem eſſe elementa rerum, & magis ſimplicia, quàm os, caro, medulla, ac ſimilia homogenea; oppoſitum autem aſtruebant poſteriores: dicebant enim, os, carnem, & huiuſmodi ſimilaria eſſe elementa, & ſimplicia, ex quibus componebantur, ne dùm elementa ab alijs aſſerta, ſed cetera, quæ fiebant; vnde, & omni ſeminarium illa appellabant, ſiquidem ex eis, veluti ex ſemine, omnia generabantur.

His præmiſſis elicit duas concluſiones ex principijs Antiquorum, quarum prima eſt. Illi, qui poſuerunt tantùm vnum principium materiale actu omnium rerum, generationem ab alteratione diſtinguere non valuerunt, ſed cogebantur aſſerere, omnia fieri per alterationem. Probat illam ex eorum fundamentis, quia vbi ſemper manet idem ſubiectum, nequit in eo fieri generatio, ſed tantùm alteratio, quandoquidem ibi nulla accidit mutatio ſubſtantialis, quæ eſt generatio, verum dumtaxat accidentalis, quæ dicitur alteratio; atqui ponentes vnum tantùm principium; illud aſſerebant ſemper actu manere, ergo non poterat eſſe ſubiectum generationis ſubſtantialis, vt generatio diſtinguitur ab alteratione.

Secunda Concluſio. Illi verò, qui plura principia materialia poſuerunt, poterant diſtinguere generationem, & corruptionem ab alteratione. Probat illam ex illorum principijs, quia generatio fit per vnionem principiorum in vnum, & corruptio per diſſolutionem eorumdem, & alteratio accidit, cum ſit variatio de vna qualitate contraria in aliam contrariam; atqui hæc omnia poſſunt euenire ex poſitione plurium principiorum materialium, ſiquidem cùm ſint plura principia, illa poſſunt coire in vnum, & ſic fiet generatio Mixti, deinde eadem poterunt ſeparari, & ſic erit corruptio mixti, & demùm mixtum poterit mutari de calido

lido in frigidum, de humido in ſiccum, & ſic erit alteratio, ergo ponentes plura principia materialia, poterant diſtinguere generationem, & corruptionem ab alteratione. Quare rectè Empedocles poterat dicere, quod natura, idest forma naturalis, quæ fit per congregationem, nullius eſt illorum, quæ miſcentur, ſed ſolum eſt ſubſtantia alia ab elementis, quæ cùm fit, miſtio dicitur, & ſegregatio, cum corrumpitur. Ergo licet illa principia materialia ſint corpora actu, vt dicebant etiam Democritici de ſuis athomis, quia tamen non ſunt tota miſtorum ſubſtantia, ſiue rerum athomatarum ratio, ideò poterant ponere differentiam inter generationem, & alterationem.

His tamen non obſtantibus, oſtendit, quod nec iſti bene dixerint, ſiſtendo in ſuis principijs, nàm quamuis apparenter cogantur dicere, generationem non eſſe alterationem ex eo, quod poſuerint plura principia, quæ poterant congregari, & diſſolui, & mutari de contrario in contrarium, verùm ſi rectè perpendantur eorum fundamenta, oppoſitum fari debebant. Oſtendit vtrumque & primùm, nempè, quod ponentibus plura principia materialia, ſequatur de neceſſitate, alterationem eſſe, & aliam à generatione, probat à ſimili, quia ſicut ſe habet motus augmentationis, & diminutionis ad ſubſtantiam, ita ſe habere debet motus alterationis ad eandem ſubſtantiam, ſed paſſim videmus fieri augmentationem, & diminutionem in ſubſtantia, ipſa quieſcente, hoc eſt, manente immutata, vt fuit genita, ergo etiam euidens erit fieri alterationem, hoc eſt, transmutationem ſubſtantiæ genitæ de vna qualitate contraria in aliam qualitatem contrariam, ergo ſicut datur augmentatio, ac diminutio alia à generatione ſubſtantiæ, ita dabilis eſt alteratio diſtincta à generatione. Atqui ponentes plura principia materialia congregari, & diſgregari, ipſis quieſcentibus, ideſt immutatis ſubſtantialiter, coguntur ponere illa alterari, ergo coguntur ponere alterationem diſtinctam à generatione. Probat ſecundum, nempe quod ſtantibus eorum principijs cogantur oppoſitum fateri, & alterationem tollere, ſuppoſitis tamen duobus ex fundamentis Empedoclis. Alterum, quod paſſiones, per quas fit alteratio, nempè album, & nigrum, calidum, & frigidum, durum, & molle, ſunt inſeparabiles differentiæ ab elementis, ſiquidem ſecundum Empedoclem, ignis eſt calidus, & albus, aqua frigida, & nigra eſſentialiter, cum ſint differentiæ conſtitutiuæ talium elementorum, & idem dicit de cæteris elementis. Alterum, quod ſupponit conceſſum communiter ab eis, eſt quod omnia elementa, cùm ſint omnium rerum principia, ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia ſecundum ſubſtantiam. Ex his ſic arguit, non eſt poſſibile ex igne fieri aquam, & e conuerſo, ex aqua fieri ignem, ex ſecunda ſuppoſitione, ergo neque ex calido frigidum, & ex albo nigrum, vel e conuerſo ex frigido calidum, aut ex nigro album, & ſic de cæteris ex prima ſuppoſitione, ſed in iſtis conſiſtit alteratio ſecundum illos Antiquos, igitur ſtantibus ſuis principijs tollebant alterationem, & admittebant, quod erat contradictio. Deinde probat ſecundo quod ex illorum principijs ſequitur, nullam eſſe alterationem, ſiquidem cuiuslibet transmutationis ſubiectum debet eſſe vnum, vt patet in motu quolibet, ſiue ſecundum locum, ſiue ſecundum augmentationem, aut diminutionem, ſiue ſecundum alterationem, ſed apud illos, qui plura ponebant principia materialia, alterationis ſubiectum non eſſet vnum, quia quatuor elementa non ſunt inuicem transmutabilia, igitur alteratio non erit transmutatio, ac proindè nulla erit.

In T. II. ſpecialiter arguit contra Empedoclem, probando, quod contraria dicit apparentibus, & contraria ſibi. Primùm probari poteſt, nàm ſenſui manifeſtum eſt, alterationem eſſe in rerum natura, quandoquidem tangimus eamdem aquam modo frigidam, & poſtea calidam, eamdem terram nunc duram, dein mollem, quæ alterationem ſonant, cum tranſmutentur de contrario in contrarium, & nihilominus ex eius principijs, intulimus ſupra, ipſum deſtruere alterationem, ergo Empedocles dicit contraria apparentibus. Probat ſecundum, illum nimirum dicere contraria ſibi: nàm priùs dixerat, elementa non fieri ex ſe inuicem, ſed omnia ex ipſis, ex quo inferebat, illa eſſe ingenerabilia, & incorruptibilia, & poſtea dixit, vnumquodque fieri ex chaos, cum ex ipſo ſeparantur per litem, & in quo fuerant congregata per amicitiam, igitur ſunt generabilia, & corruptibilia; generabilia quidem cum per litem ſegregantur ex illo chaos,

chaos, & corruptibilia, cùm per amicitiam iterum congregantur in chaos, ſed vtrumque concedit Empedocles, ergo ſibipſi contrarius eſt. Inſuper dixit, elementa non poſſe ex ſe inuicem generari, quia paſſiones vnius nequeunt ſeparari, & vniri cum altero; quandoquidem calidum, & album nequeunt ſe iungi ab igne, & vniri aquæ, vt ex ipſo igne fiat aqua, neque durum, & graue ſeparari à terra, & vniri aquæ, vt ex illa hæc generetur, & ſic de cæteris, ſunt enim differentiæ inſeparabiles ſecundum ipſum; atqui concedendo, elementa fieri ex ipſo chaos cum ſuis paſſionibus, quas in illo non habebant, concedit pariter huiuſmodi paſſiones eſſe auferibiles ab vno quoque elemento, ergo etiam concedere debet, elementa poſſe fieri ex ſe inuicem, quod priùs negauerat & ſic contradicit ſibi in ſuis principijs.

Denique in eodem t. obijcit contra quandam tacitam reſponſionem, quæ poſſit afferri pro Empedocle; quandoquidem poſſet quis dicere, quod elementa poſſent equidem tranſmutari ad inuicem in Chaos, deperdendo proprias paſſiones, ſeu differentias, non autem extra Chaos, vbi ſunt tales differentiæ inſeparabiles ab eis. Sed contra inquit, quia ſi tunc poterant tranſmutari ob contrarietatem litis cum amicitia ſegregantis ab elementis exiſtentibus in Chaos proprias differentias, ergo etiam nunc poterunt tranſmutari, cùm vigeant eædem cauſæ, nempè lis, & amicitia ſibi aduerſantes, ſicut priùs, ac proindè ſi poterant in Chaos tranſmutari in ſe inuicem per ablationem propriarum differentiarum, igitur & extra hoc poterunt efficere.

In T. III. amplius redarguit Empedoclem, quia iterum ſibi contradicit, ponendo vnam omnium rerum materiam, & plures materias eorumdem; & probat, ſiquidem cùm dixerit, omnia effici ex illo Chaos, & elementa ipſa, tamquam ex principio materiali, & poſteà ſubiunxerit ipſum Chaos poni in eſſe per congregationem elementorum, & corrumpi ex eorum diſſolutione, tamquam per plura principia materialia, manifeſtè patet ipſum poſuiſſe omnium rerum vnam materiam, & plures materias, hoc eſt vnam, & non vnam, aut plures, & non plures, in quibus eſt manifeſta contra dictio.

Quò ad ſecundum Caput facit tria. Ponit namque ordinem eorum, de quibus agere intendit. Deindè oſtendit non eſſe dabiles magnitudines indiuiſibiles; & demùm demonſtrat, generationem non fieri per congregationem, neque corruptionem per ſegregationem, ac per conſequens neutram eſſe alterationem. Vnde in T. IV. vt exequatur primum propoſitum, inquit ſe velle agere deinceps de Generatione, & Corruptione ſimplici, hoc eſt vt terminatur ad formam ſubſtantialem, & prout diſtinguitur à motibus ſimplicibus Augmentationis, Diminutionis, & Alterationis, & pariter de his etiam agendum erit, quatenus ab inuicem ſecernuntur, & à cæteris, nempe ab Actione, & Paſſione, ac Miſtione. Vt autem ordinatè procedat in omnibus, ait ſe velle inquirere, an ſint, quid ſint, & quomodo inſint rebus naturalibus.

Verùm antequam reſpondeat de mente propria, recitat opiniones Antiquorum, quid ſenſerint de his propoſitis quæſtionibus, quare in T. V. dicit, Platonem non poſſe reſpondere ad omnes, ſed tantùm ad tertiam, non enim ſcrutatus eſt de generatione & corruptione an ſint, verum dumtaxat quomodo ſint in rebus: neque de omni generatione, & corruptione determinauit, ſed tantum de ea, quæ eſt elementorum: quomodo autem oſſa, carnes, & cætera miſta generãtur, & in rebus exiſtant, nihil dixit: ſimiliter neque de alteratione, neque de augmentatione, aut diminutione, quomodo in rebus exiſtant ſermonem fecit, qua de cauſa ad has quæſtiones minimè reſpondere poterit; non enim determinauit an ſint, & quid ſint generatio, & corruptio, alteratio, & augmentatio, verùm dumtaxat quonam pacto rebus inſint.

Deinde in eodem T. ſubdit, quod nec cæteri Antiquorum, præter vnum Democritum, poterant ſimiliter ſatisfacere prædictis quæſtionibus; quandoquidem, præter ea, quæ populariter dicuntur, de augmentatione, diminutione, actione, paſſione, & miſtione locuti ſunt parùm, aut nihil: Nàm augmentationem dixerunt fieri per additionem quidem, & diminutionem per ablationem rerum à rebus, at non dixerunt quomodo fiant, ſi per nutritionem, vt ſapientes norunt, vel per appoſitionem rei ad rem vt accidit in cumulo grani, quemadmodum rudes putauerunt, idcircò non poterant adæ-

qua-

Digitized by Google

quæ reſpondere, vnde illis omiſſis, ad vnum Democritum ſolummodo calamum dirigimus quia hic videtur de omnibus curaſſe, quàmuis differat in modo, quo tales transmutationes fiant, ſiquidem non videtur naturaliter loquutus, vt inferius ſe oſtenſurum pollicetur.

Cæterùm accedit ad ſecundum, quod propoſuerat in hoc Capite ſecundo, & recitat poſitionem Democriti, & Leucippi; hi enim, qui poſuerant athomos, ſeu corpuſcula indiuiſibilia eſſe omnium rerum principia, ſtatuerunt ex illis figuras per poſitionem, & ordinem prædictorum athomorum, vnde dixerunt, ex illorum congregatione fieri generationes, ex eorum ſegregatione, corruptiones, & ex tranſpoſitiones dictarum athomorum, alterationes. Quoniam autem exiſtimabant, verùm eſſe illud, quod apparet eſſe tale, & ea quæ apparent eſſe contraria, & infinita, propterea, vt ſaluarent omnia, dixerunt eſſe figuras infinitas, ex quarum transmutatione in compoſitis, vnum videatur contrarium alteri, quod in ſe minimè contrarium exiſtit: exemplificat de literis in ſcribendo, quæ in ſe ſunt ſemper eædem, tamen in contrarijs compoſitis ordinatæ, contraria indicant, vt in Tragædia, & Comædia apparet, quæ cùm variè ſint diſpoſitæ, contrarias operationes, & fines demonſtrant, & ita ſaluabant contraria poſſe eſſe ſimul in eodem per tranſpoſitionem figurarum, vel per additionem factam alicuius parui, itaut vni oſtendatur, vt triangulus, & alteri vt quadratum, cum ſic appareant eſſe huiuſmodi figuræ in compoſitis ex eis.

In T. VI. firmat quæſtionem de Generatione, & corruptione quid ſint; nàm cùm non ſolùm Democritus, & Leucippus, verùm, & plures alij conueniant in hac concluſione, quod generatio, & corruptio differant ab alteratione, diſcriminentque per quid differre contingant, tentandum eſt, vt verum quid eluceſcat: quandoquidem ſi dixerint Generationem, & Corruptionem conſiſtere in congregatione, & ſegregatione athomorum, & alterationem in earundem tranſpoſitione vt dicunt Democritus, & Leucippus, non deerunt difficultates ſoluendæ, & valdè rationabiles; Quemadmodum aliæ, & difficiles apparebunt, ſi contrariam his poſitionem ſtatuerimus. Verùm quàmuis, inquit fateamur vtrumque difficile, non propterea abſtinendum, quinimò pro veritate pugnandum nobis eſt.

In T. VII. mouet duas quæſtiones præambulas, ex quarum ſolutione, erit etiam facilis quæſtionis principalis ſolutio propoſitæ in præcedenti textu. Primò enim quærit, An res naturales ſic generantur, & corrumpuntur, augeantur, & diminuuntur, ac alterentur, ex eo, quod primæ magnitudines ſint indiuiſibiles, vel an nulla eſt magnitudo indiuiſibilis; refert enim plurimum hoc ſcire, vt exindè poſſit haberi reſponſio ad propoſitas difficultates. Secundò quærit, An, ſuppoſito quod dentur magnitudines indiuiſibiles, hæc ſint corpora, vt aſſerebant Democritus, & Leucippus, vel plana, & ſuperficies, vt docuit Plato in Timæo?

His præmiſſis in eodem T. ſe confert ad ſolutionem earundem, & prius reſpondet ad ſecundam quæſtionem per hanc concluſionem. Irrationabile eſt dicere, corpora naturalia componi ex ſuperficiebus. & in eas reſolui ſic vt dicebat Plato, vt iam oſtenſum fuit in lib. 3. de Cœlo ſumma tertia per totam quandoquidem ſi corpora naturalia ex ſuperficiebus componerentur, de neceſſitate in eaſdem haberent reſolui: ſiquidem vnumquodque reſoluitur in illa, ex quibus componitur, ſed irrationabile eſt dicere, quod corpora naturalia reſoluantur in ſuperficies, quæ ſunt indiuiſibilia mathematicalia, vt demonſtrauit in præcitato loco, ergo etiam irrationabile eſt, quod componantur ex ſuperficiebus, ſiuè planis.

Deinde in eodem T. comparat poſitionem Democriti cum Platonis aſſertione dicens, magis rationabilis eſt poſitio Democriti, quàm Platonis, quamquam, & hæc non careat ſua irrationabilitate vt aliàs demonſtrauit. Probat primam partē, quia ex poſitione Democriti, ſequitur ſuo modo generatio compoſiti per congregationem corpuſculorum, corruptio eiuſdem per ſegregationem, & alteratio illius per tranſmutationem eorundem; at per ſuperficies ad inuicem tangentes ſe, nihil generatur, corrumpitur nihil, & nihil alteratur, verùm duntaxat coaleſcit ſolidum, ideſt corpus mathematicum, ergo magis rationabilis cenſeri debet poſitio Democriti, quàm Platonis. Antecedentis prima pars patet ex dictis à Democrito, & meliùs clareſcet ex t. ſequenti. Secunda pars

pars eiuſdem declaratur, ſiquidem ex puncto fluit ſolùm linea, ex linea ſuperficies, & ex ſuperficie ſolidum dumtaxat,& nihil naturale,ſed tantum mathematicum reſultat, vt concedunt Platonici, igitur ex hac poſitione non poteſt aſſignari differentia inter generationem, & corruptionem, & alterationem naturalem, ac proindè ſequitur, hanc eſſe irrationabiliorem illa Democriti. Huius autem cenſuræ, qua inuritur Plato ſupra Democritum,rationem reddit in fine eiuſdem textus dicens,hunc eſſe magis verſatum in rebus naturalibus, quàm illum, qui ſolùm incumbere videbatur ad metaphyſicalia,hoc eſt, ad entia vniuerſalia, & à ſenſibilibus abſtracta, quamobrem non eſt mirum, ſi Democritus, vtpotè verſatus in phyſicis, nouit aſſignare rerum naturalium differentias, quas determinare non poterat Plato ad metaphyſicalia tantùm reſpiciendo.

In T. VIII. in quo ponit differentiam inter eorumdem Philoſophorum poſitiones, affert eorum fundamenta,& primum rationem Platonis, qua nititur oſtendere dari magnitudines indiuiſibiles; quandoquidem niſi darentur huiuſmodi magnitudines indiuiſibiles, ſequeretur triangulum fore multæ figuræ, ideſt componi, & diuidi in multas figuras, ſed hoc eſt falſum, cum ſit prima figura, ergo cùm triangulus ratione figuræ ſit indiuiſibilis, & figura fundetur in quantitate,& magnitudine, ſequitur dari quantitatem, & magnitudinem indiuiſibilem. Hinc infert differentiam inter Platonem, & Democritum, nitentes oſtendere. Dari magnitudines indiuiſibiles: ſiquidem ratio Platonis eſt Logica, hoc eſt, data per vniuerſalia, à ſenſibus abſtracta, vt ſunt figuræ: rationes autem Democriti procedunt ex proprijs principijs Phyſicis, ſenſibilibus inixis,vt mox videbitur, ergo rationabiliùs procedit Democritus,in probanda ſua poſitione,quàm Plato.

Deindè adducit pro Democrito rationem valdè prolixam, & ſatis obſcuram, quæ tamen,vt adnotauit Auerroes in paraphraſi,reduci poteſt ad formam hoc pacto: Omne corpus naturale, cùm ſit quantum, poteſt actu diuidi in atomos infinitas, ergo inferendum eſt, illud eſſe compoſitum ex eis, quandoquidem omne corpus naturale componitur ex eis, in quæ, per diuiſionem vltimatè reſoluitur. Antecedens probatur, quia omne illud, ad cuius poſitionem in eſſe,nullum ſequitur impoſſibile,eſt poſſibile, ſed poſito, quod corpus naturale, & quantum, ſit actu diuiſum in atomos infinitas, nullum ſequitur impoſſibile, ergo poteſt eſſe actu diuiſum, in illas, ac proindè compoſitum ex eis; ſed corpus quantum componitur ex partibus magnitudinem habentibus, ergo dabiles ſunt magnitudines atomæ, & indiuiſibiles. Confirmatur, quia omne corpus naturale, quantum, & continuum eſt omniquaque diuiſibile in partes; atqui poſito, quod ſecundum omne ſignum, ideſt ſecundum omnes partes, ſit actu diuiſum, quæritur, quid ſit illud, quod poſt diuiſionem relinquitur,vel erit magnitudo indiuiſibilis, vel diuiſibilis, vel punctum,vel nihil,vel paſſio, ideſt qualitas, ſed nullum iſtorum dici poteſt præter magnitudines indiuiſibiles, ergo corpus naturale, quantum, & continuum erit compoſitum ex magnitudinibus indiuiſibilibus. Conſequentia tenet, quia vnumquodque componitur ex eis, in quæ vltimatè reſoluitur. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minor probatur: Non poteſt dici, eſſe magnitudinem diuiſibilem, quia ſupponitur illud corpus eſſe omniquaque diuiſum,quod non eſſet, ſi relinqueretur poſt diuiſionem magnitudo diuiſibilis. Nec poteſt dici punctum, quia corpus naturale non eſſet magnum, quia puncta, quamuis plurima ſe tangant,non faciunt aliquid magnum: Neque nihil, quia ex nihilo eſſet compoſitum, quod eſt falſum, quia ex nihilo nihil fit, vt ex parte integrante: neque tandem paſſio, vel qualitas aliqua, quia magnitudo eſt quantitas,quæ non generatur,& componitur, ex qualitatibus, ſaltem immediatè, igitur,cum illud, quod remanet poſt diuiſionem omniquaque corporis naturalis,quanti,& continui,nequeat eſſe aliquod iſtorum ſupereſt, vt quæ remanent ſint magnitudines indiuiſibiles, ex quibus immediatè componitur,& atomi aſſertæ à Democrito, & cuius eſt hæc ratio valdè difficilis,ac ſubtilis.

In T. IX. nititur ſoluere has rationes, & proponit quandam diſtinctionem, nempè quod aliquod corpus eſſe omniquaque diuiſibile poteſt dupliciter intelligi, vel in actu, vel in potentia; aut copulatiuè, & cathego-

rematicè, aut diſtributiuè, & ſincathegorematice. Si ſumatur diuiſibile, actu, copulatiue, & cathegorematicè falſa eſt propoſitio, ſiquidem corpus naturale quantum, cùm ſit continuum nequit habere omnes partes, ex quibus coaleſcit, ita ſimul collectas, & diuiſas, vt ad eas ſimul poſſit terminari diuiſio: continuum nàmque, cùm ſit infinitum in potentia ad poſſe diuidi, exhauriri nequit, quin poſt acceptionem vnius partis, remaneat ſemper alia pars accipienda: ſi autem ſumatur diuiſibile in potentia, diſtributiue, & ſincathegorematicè, vera eſt propoſitio, ſiquidem nulla pars deſignari poteſt, in quam diuiſio cadere non poſſit acceptis duabus partibus inquam per diuiſionem, cùm vtraque ſit continua, ſemper reſtant aliæ accipiendæ per iteratas diuiſiones vſque in infinitum, cùm hoc tamen, vt ad vltimam deueniri nequeat. Democritus agnouit huius diuiſionis priorem partem duntaxat, & ideò rectè proceſſit in ſua diſputatione, colligendo corpus naturale quantum, & diuiſum actu vſque ad indiuiſibilia, ideſt ſecundum omnes ſui partes, debere componi ex illis, tamquàm ex magnitudinibus indiuiſibilibus: & quoniam ignorauit poſteriorem partem, idcircò non potuit intelligere, quomodo corpus naturale poterat omniquaque eſſe diuiſibile, hoc eſt, potentia, & indiuiſibile actu, vt nouit Ariſtoteles.

His ſuppoſitis poteſt reſponderi ad rationes Democriti in forma. Ad primam igitur negatur antecedens. Ad probationem neganda eſt minor; ſiquidem de ratione continui eſt bene eſſe diuiſibile ſecundum omne ſignum in potentia, diſtributiue, & ſincathegorematicè, nequaquam autem actu, copulatiue, & cathegorematice; ſic nàmque eſt impoſſibile ipſum diuidi, ac proindè neque diuiſum in vſque ad atomos infinitas. Ad ſecũdam reſpondetur eodem modo, concedendo maiorem in potentia, diſtributiue, & ſincathegorematicè & negando illam in actu, collectiuè, & cathegorematicè: vndè non ſequitur fore actu diuiſum ſecundum omnes partes, & poſt diuiſionem relinqui magnitudines indiuiſibiles duntaxat, cùm nunquam ſit deueniendum ad omnium partium diuiſionem actualem, ſed tantum in potentia.

Deinde oſtendit ex ſuppoſita diſtinctione errorem, & fallaciam Democriti: putauit namque dari in continuo indiuiſibilia, vt puta puncta ſe tangentia, & in hoc errauit, ſiquidem inter duo puncta mediat ſemper continuum diuidendum in infinitum, ac proinde deueniri non poſſe ad actualem diuiſionem continui ſecundum omne ſignũ, quin ſemper remaneat aliquid diuidendum.

Ex hoc infert, quod cùm continuum ſit diuiſibile in partes, concedendam eſſe congregationem, & ſegregationem partium, ad hoc vt generetur, vel corrumpatur corpus continuum, non tamen ex atomis indiuiſibilibus, vt dicebat Democritus, ſed aliam longe diuerſam de qua dicturus eſt in ſequenti textu.

In T. X. reijcit opinionem dicentium, generationem eſſe congregationem, corruptionem eſſe ſegregationem, & alterationem, tranſmutationem continui per varias tranſpoſitiones atomorum: nàm generatio ſimplex, vel ſubſtantialis eſt mutatio ex non ſubſtantia in ſubſtantiam, corruptio verò eſt mutatio ſubſtantiæ in non ſubſtantiam, hoc eſt dictu, eſt acquiſitio formæ in materia, ſi eſt generatio, vel deperditio formæ in materia, ſi eſt corruptio; alteratio autem eſt mutatio ſubiecti de vna qualitate in aliam, vt de caliditate in frigiditatem, vel de albedine in nigredinem, & ſic de alijs. Ex quibus apparet manifeſta differentia inter generationem, & corruptionem ex vna, & alterationem ex alia: nàm generatio, & corruptio fiunt in materia prima, quæ eſt ſubſtantia incompleta; alteratio verò fit in materia ſecunda; quæ eſt ſubſtantia completa, nempe ſubiectum compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali: vel quando eſt tranſmutatio in ſubſtantia, tunc erit generatio, & corruptio, quando verò eſt in qualitatibus, tunc eſt alteratio. Hinc apparet, generationem ſimpliciter non eſſe congregationem, neque corruptionem eſſe ſegregationem, quamuis ab eis quodamodo adiuuentur, vt patet in aqua, quæ ſi fuerit in plures partes diuiſa, ſeù ſegregata, citiùs corrumpitur, & generatur aer, ſin autem congregata tardiùs: ſimiliter fortis congregatio aeris faciliùs diſſipat, & diſponit ad corruptionem aquæ. Verùm de hoc clarior erit ſermo in ſequentibus.

Quoad tertium Caput, confutatis opinionibus Antiquorum circa generationis, corruptio-

ruptionis, & alterationis naturam in præcedentibus, in præſenti accedit ad explicandam propriam ſententiam, in qua nititur oſtendere, quid ſit generatio, & corruptio ſimpliciter, vt diſcernitur ab alteratione. Cæterùm quoniam quæſtio quid eſt, ſupponit quæſtionem ſi eſt, propterea in T. XI. preponit hanc quæſtionem: An generatio, & corruptio ſimplex, hoc eſt ſubſtantialis ſit poſſibilis, vel tantùm ſufficiat generatio ſecundum quid, ideſt accidentalis? & ſimiliter accidentalis corruptio, nihilque ſubſtantiæ generetur, vel corrumpatur, verum tantum accidens? Vndè vt quæſtionem clariùs dilucidet exemplificat de animali ſano, & ægroto, magno, & paruo, vt cum animal ex ægroto fit ſanum, vel ex ſano ægrotum, non fit animal ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, ideſt non ſubſtantialiter, verum accidentaliter ſolum, hoc eſt penes accidentia ſanitatis, & ægritudinis: ſimiliter cum ex paruo fit magnum, aut econtra, non fit, aut corrumpitur ſubſtantia animalis, ſed tantũ mutatur ſub formis accidentalibus paruitatis, & magnitudinis. Quærit igitur An generatio, & corruptio ſit accidentium ſolùm, & nullo pacto ſubſtantiæ.

In eodem t. 11. arguit non eſſe poſſibilem generationem ſimplicem, ideſt ſubſtantialẽ, quia ſi generatio ſimplex eſſet poſſibilis, tũc ex non ente, vel ex nihilo aliquid poſſet generari, ac proindè non ens, vel nihil præſupponeretur genito, tamquam principium materiale, ex quo educeretur forma ſubſtantialis geniti, ſed hoc eſſet maximum abſurdum, quia ex nihilo nequit aliquid fieri, ergo generatio ſimplex nullo pacto eſt poſſibilis. Sequela maioris probatur dupliciter, & primo à ſimili, quia ſicut ſe habet generatio ſecundum quid, ita ſe habere debet generatio ſimpliciter, ſed generatio ſecundum quid ex non ente ſecundum quid, vt ex non albo album, & ex non bono bonum exiſtit, ergo & generatio ſimpliciter fieri debet ex non ente ſimpliciter, & ex nihilo. Secundo probat eamdem ſequelam ſupponẽdo, quod tàm ens, quam non ens ſimpliciter poteſt dupliciter ſumi, vel pro ſubſtantia, quæ eſt primum omnium prædicamentorum, aut pro negatione ſubſtantiæ; vel pro ente vniuerſali, quod comprehendit omnia entia, & tum ens pro negatione omnium entium; tunc ſic arguit ad propoſitum, ſi generatio ſimplex fieret ex non ente ſimpliciter primo modo, ideſt ex nõ ſubſtantia, tunc fieret ex nihilo, quia deſtructa ſubſtantia pereunt omnia prædicamenta ſcilicet quãtitas, qualitas, relatio, & vbi, inquit enim in Prædicamentis cap. de ſubſtantia: Deſtructis primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid aliud cæterorum remanere, & ſic omnia eſſent nihil; vel ſi fieret ex non ente ſimpliciter ſecũdo modo, tunc fieret pariter immediatè ex nihilo id quod generatur, quod eſt valdè abſurdum, cum ex nihilo nihil fieri poſſit; ergo ex his inferendum eſt, generationem ſimplicem, ſeu ſubſtantialem non eſſe poſſibilem.

Deindè ſoluit argumentum oſtendendo quonam pacto, generatio ſimplex poſſit dici fieri ex non ente, & ex ente ſimpliciter, dicens, generationem ſubſtantialem fieri ex materia, quæ eſt ens, & non ens; eſt quidem ens in potentia, & non ens actu; atque ideo cum aliquid generatur ſubſtantialiter, fit ex non ente actu, quod tamen non eſt nihil, ſed eſt ens in potentia, quod eſt ens actu entitatiuè, cum ſit aliquid ſubſtantiæ, non verò formaliter actu, ſed tantum ens potentia, ordinatum tamen ad actum ſubſtantialem recipiendum, quare non ſequitur, generationem ſubſtantialem fieri ex non ente [illegible], quod ſit nihil, verum ex non ente, actu formaliter, quod tamen eſt ens entitatiuè, & in potentia ad actum formalem.

In T. XII. Suppoſita tali reſponſione, arguit contra ipſam, probando nullo pacto poſſe dari generationem ſubſtantialem; nàm ſi generatio ſubſtantialis detur, manifeſtum eſt, debere dari aliquam ſubſtantiam in potentia, ex qua generetur ſubſtantia actu, & in qua ſubſtantia actu reſoluatur per corruptionem: tunc quæritur de illa ſubſtantia in potentia, aut ſit quanta, vel qualis, vel vbi actualiter, vel non, hec eſt omnia potentialiter, ſicut eſt potentia ſubſtantia hæc, & ſingularis. Si dicatur nec eſſe quantam, nec qualem, nec vbi actualiter, verum omnia duntaxat potentialiter, ſequitur talem eſſe non ens, & per conſequens, ſubſtantiam generari ex nullo præexiſtente, ſed ex nihilo, vt dicebant Antiqui; ſequela probatur, quia quod non eſt ſubſtantia actu, nec quãtum, nec quale, nec vbi, vt aliud accidens eſt non ens, & nihil. Si verò dicatur, tale ens potentia, non eſſe ſubſtantiam ſingularem, ſed eſſe aliquod aliorum prędicamentorum,

B 2 ſe

Digitized by Google

ſequitur aliud abſurdum, quod nimirum paſſiones, & accidentia ſint ſeparabilia à ſubſtantijs. Cùm igitur ex ente in actu nihil generetur, vt conceſſum eſt in reſponſione, nec ex ente inpotentia quicquam poſſit, quia tale nec eſt ſubſtantia, nec accidens, inferendum eſt nullam dari generationem ſubſtantialem.

In T. XIII. vt faciliùs poſſit ſoluere præcedentem quæſtionem, inquit prius tractandum eſſe, quid nàm cauſæ ſit, vt generatio, & corruptio ſemper perſeuerent in rerum natura, ſiquidem ex huius difficultatis enodatione, peruia erit reſponſio adæquata ad propoſitam quæſtionem, de generationis, & corruptionis ſimplicis exiſtentia in natura.

In T XIV. pro ſolutione huius ſecundæ difficultatis, notat duplicem eſſe cauſam ſcilicet efficientem, & materialem; (Ex his enim duntaxat haberi poteſt perpetuitas generationis, & corruptionis, non autem ex finali, cum ſit nimis extrinſeca, neque ex formali, quia forma eſt corruptibilis) Quid autem ſit, & quotuplex exiſtat cauſa efficiens, iàm dictum eſt in 2. & 8. Phyſicorũ; ibi enim actum eſt de cauſa efficiente prima, cuiuſmodi eſt primus Motor, & primum Mobile, licet tractatio primi Motoris potiùs ſpectet ad Metaphyſicam, & primi Mobilis, quod mouetur, & mouet ad generationem, ad ſecundum lib. huius operis, vt videbimus & aliqualiter viſum eſt in libris de Cœlo, & Mundo, quare concludit, quod in præſenti ſolum agendum eſt de cauſa materiali.

In T. XV. Affert rationem, cur ſolùm de materiali agere intendat, dicens; tùm quia generatio, & corruptio cum accidant in ſola materia, ab ea duntaxat haberi poterit perpetuitas generationum; tùm etiam, quia hac cognita faciliùs manifeſtabitur ſolutio primæ quæſtionis de ſimplici generatione, & corruptione, ſi fiant ex ente, aut ex non ente: verùm prius determinandum eſt de cauſa perpetuæ generationis, & corruptionis.

In T. XVI. Antequam propoſitum demonſtret, arguit non poſſe dari hanc perpetuitatem ex coniunctione vnius generationis cum altera, cum inter eas mediet corruptio, nàm quod corrumpitur deſinit eſſe aliquando, cum abeat in non ens, quod nec eſt ſubſtantia, nec quantum, nec quale, nec vbi, vt ſuperiùs probatum exiſtit, at quod generatur, corrumpitur, ergo omne quod generatur ad non ens, & in nihilum reducitur, ac proinde tandem ceſſare debet generatio, & corruptio. Nec valet reſpondere, generationem fieri ſemper ex materia, quæ cum ſit infinita, numquàm defectura eſt, ac proindè per corruptionem numquam omne genitum conſumptum iri, ſiquidem falſum ſumitur, nempè materiam eſſe infinitam actu, quia vt aliàs demonſtratum eſt, infinitum actu eſt impoſſibile, eſt benè infinita in potentia, quæ nihilominus per diuiſionem numquam conſumetur, ſed in infinitum abibit ſecundum partes proportionales. Verùm neque huiuſmodi ratio ſaluare poterit perpetuitatem generationis, quia omne diuiſibile finitum, per ablationem partium, tandem conſumitur. Neque iuuabit ſubdere, ideò generationes non defecturas, quamuis materia ſit finita, quia cum fierent per diuiſiones partium proportionalium, numquam deueniri poterit ad vltimum, quod minus reſtat, & ſic perpetuabitur generatio in infinitum; non inquam iuuabit, ſi quis ita reſpondeat, quia tunc ſequeretur, genita per diuiſionem fieri in dies minora partibus, ex quibus forent genita, quod tamen oppoſitum experientia demonſtrat; ſiquidem genita multoties ſunt maiora corruptis, vt patet in ſpecie humana, in qua filij videntur maiores parentibus.

In T. XVII. Reſpondet ad quæſtionem de perpetuitate generationis, dicens, hanc prouenire quidem ex materia, non quia ſit infinita actu, vel potentia, verùm quoniam generationes, & corruptiones fiunt ſemper in eadem materia, & generatio vnius eſt corruptio alterius, ac econuerſo, materia namque corrupti fit materia geniti & econuerſo, ac proinde, cum neceſſariò vna ſuccedat alteri, ſequitur perpetuitas in generationibus, & corruptionibus. Siquidem abeunte vna forma à materia per corruptionem compoſiti, ſuccedit altera in eadem materia per generationem alterius compoſiti, & ſic generationes, & corruptiones ſeinuicem comitantes, faciunt, quod ſenes generationum numquam

inter-

intermittatur; verum ſemper perpetuetur.

In T. XVIII. Soluta, cauſaque vera reddita quæſtionis de perpetuitate generationis, mouet aliud dubium, faceſſens ad ſolutionem quæſtionis principalis ſuperius propoſitæ in t. 11. an nimirum detur generatio ſimpliciter in rerum natura, dicens: ſi generatio vnius eſt corruptio alterius, cur quædam dicuntur gigni ſimpliciter, quædam verò ſecundum quid? vt dum fit homo, & corrumpitur embrio, dicimus hominem generari ſimpliciter: & ex oppoſito dùm corrumpitur homo, & gignitur cadauer, dicitur homo corrumpi ſimpliciter, & cadauer tantum ſecundum quid generari. Vel cum ſint quædam, quæ generantur ſimpliciter, & quædam quæ ſimpliciter corrumpuntur, & non ſecundum quid, cur quædam dicuntur gigni ſecundum quid ſiquidem dicimus diſcentem fieri ſcientem, non autem fieri ſimpliciter hominem. Reſpondet ad quæſitum hoc prouenire ex eo, quod ſuperius dictum eſt, nempe quod entia ſunt in duplici diſcrimine; nam alia dicuntur entia ſimpliciter, cuiuſmodi ſunt ſubſtantiæ & alia ſecundum quid, vt ſunt accidentia; quare cùm ſubſtantiæ fiunt, vel deſinunt eſſe, dicuntur ſimpliciter generari, vel corrumpi; quando autem fiunt accidentia, aut deficiunt, vt cùm homo ex diſcente fit ſciens dicitur generari ſecundum quid, & cum ex ſciente fit ignorans, dicitur ſecundum quid corrumpi. Vel dicendum aliter vtrumque ſimpliciter, & ſecundum quid reperiri poſſe, tùm in ſubſtantijs, tùm in accidentibus; ſiquidem dùm fit, vel deſinit homo, tunc dicitur fieri per generationem, aut deſinere per corruptionem ſimpliciter, quando verò corrumpitur embrio in factione hominis, & generatur cadauer in deſitione eiuſdem, tunc dicitur fieri corruptio, & generatio ſecundum quid, & ratio vtriuſque eſt, quia homo eſt ſubſtantia perfecta, cadauer verò, & embrio imperfecta, modò tunc dicitur aliquid gigni, vel corrumpi ſimpliciter, cùm fit, vel deſinit ſubſtantia ſimpliciter, quæ eſt perfecta, & tunc ſecundum quid, cum accipit, & deſinit eſſe ſubſtantia ſecundum quid, cuiuſmodi eſt imperfecta. Similiter in accidentibus, cum qualitas magis actiua, vt eſt calor, accipit, vel deſinit eſſe in ſubſtantia, dicitur gigni, vel corrumpi ſimpliciter; quando autem hoc accidit frigori, tunc dicitur gigni, vel corrumpi ſecundum quid, eſt enim qualitas hæc imperfectior calore: & calor magis aſſimilatur ſubſtantiæ, quæ eſt ens ſimpliciter, quàm frigus: & rationem reddit, quia calor, cùm ſit perfectior frigore habet rationem habitus, frigus verò priuationis modum ſubire cogitur: ſiquidem deficit in perfectione à calore.

In T. XIX. Reſpondet etiam ad eandem quæſtionem ſecundum vulgarium opinionem, qui dicebant generationem ſimpliciter eſſe de re ſenſibili, corruptionem verò de re non ſenſibili: vndè ſi fiat ignis, vel aqua, dicebant generari ſimpliciter; ſi verò fiat aer, qui non ſentitur, dicebant non fieri generationem, verum potiùs per oppoſitam corruptionem, aut per generationem ſecundum quid. At errore decipiebantur, quia putabant ſolum entia, quæ ſenſu percipiuntur, & non entia, quæ refugiunt ſenſus: Cùm igitur generatio ſit ad ens, & corruptio ad non ens, propterea dicuntur ſolùm ſenſibilia generari, ea verò quæ ſenſus refugiunt, corrumpi, ſiuè ſecundum quid tantum gigni, quæ tamen falſa ſunt: quandoquidem minùs ſenſibilia, cum ſint perfectiora, dicenda ſunt ſimpliciter generari, & magis ſenſibilia, vt potè imperfectiora, vel corrumpi, vel tantùm ſecundum quid gigni dicenda veniunt.

In T. XX. Tandem concludit, ex generatione vnius, & corruptione alterius, ac ex, corruptione vnius, & generatione alterius, dandam eſſe perpetuitatem generationis, & corruptionis in rerum natura, & generationem ſimpliciter, ac corruptionem ſimpliciter diſtinctam à generatione, & corruptione ſecundum quid. Probatque illatum ex diuiſione, ſeù diſtinctione materiæ, in quibus fiunt huiuſmodi tranſmutationes: nàm vel generatio eſt in ſubſtantijs, vel in accidentibus: ſi in prioribus, dicitur generatio ſimpliciter: ſi verò in poſterioribus, ſecundum quid: Vel eſt in ſubſtantijs, vel in accidentibus adſeinuicem comparatis: ſi priori modo ſpectentur, cum generatio terminatur ad ſubſtantias, vel qualitates perfectas, tunc dicitur generatio ſimpliciter; ſi verò poſteriori modo terminetur ad ſubſtantias, & pualitates imperfectas, tunc dicenda eſt

generatio ſecundum quid. Idem dicendum eſt de corruptione ſimpliciter, & ſecundum quid.

In T. XXI. Soluit argumentum contra exiſtentiam generationis ſubſtantialis ſuperius factum, dicens generationes continuari, etiamſi deperdantur, & corrumpantur multa: nam quemadmodum, in opinione vulgari, corruptio ſimpliciter fit ex ſenſibili ad inſenſibile, & generatio ſimpliciter ex inſenſibili ad ſenſibile ſemper procedit abſque interruptione, ſic ſecundum veritatem, generatio ſimpliciter fit ex non ente actu, & ex ente in potentia, nempe ex materia, terminaturque ad ens actu, quod eſt ſubſtantia completa, & ſimpliciter corruptio fit ex ente actu, hoc eſt, ex ſubſtantia completa, abitque in non ens actu, nempè in materiam primam, quæ manet ſub vtroque termino tranſmutationis, ſcilicet generationis, & corruptionis; quare inferendum eſt, continuari ſemper generationem, & corruptionem in eadem materia, ſiquidem generatio vnius formæ eſt corruptio alterius præcedentis, & huius corruptio eſt generatio alterius ſubſequentis formæ, ac proinde dicendum eſt, perpetuari ſemper generationem ſubſtantialem in rerum natura, quamuis multa per corruptionem deperdantur ſemper.

In T. XXII. Contra ſupradictam ſolutionem obijciendo mouet duo dubia, & reſpondet. Quærit igitur primò, an illud non ens ſimpliciter, ex quo res fit, & generatur, ſit alterum contrariorum, vel aliquid ab eis diuerſum? Reſpondet non eſſe aliquod contrariorum, hoc eſt terminorum à quo, vel ad quem ſed materiam, quæ ſub eis ſubſtat, diciturque non ens actu, & ens potentia. Hoc ſuppoſito quærit ſecundo an hæc materia ſit vna vtriuſque contrarij, quia ſi non eſſet vna, & eadem, non poſſent contraria in ſeinuicem fieri, cùm igitur quatuor elementis, quæ adinuicem generantur, inſit contrarietas, videtur, quod ſit eadem materia. Reſpondet eſſe quodammodo eandem, & quodammodo diuerſam; eandem quidem, quia ſubeſt vtrique formæ, non eandem verò, quia ſub vna forma eſt vno modo diſpoſita, & diuerſo modo ſub altera, hoc eſt dictu, eſſe vnam & eandem materiam eſſentialiter, ſub contrarijs, ideſt ſub formam, & eius priuationem, diuerſam autem accidentaliter, iuxtà diuerſas diſpoſitiones, quibus afficitur, vt diuerſas formas recipere poſſit, vt aliàs declaratum eſt.

Quoad quartum capitulum, in quo nititur oſtendere, quibus differant generatio, & corruptio ſubſtantialis ab alteratione, ſiquidem ſunt diuerſæ tranſmutationes, vnde in T. XXIII. antequam aſſignet differentiam inter generationem, & alterationem, obſeruat duo: Alterum, quod ſubiectum, & paſſio, ideſt qualitas ſunt res diuerſæ homo enim, & albedo, quæ de ipſo prædicatur in concreto, ſunt res diuerſæ, cum homo ſit ſubſtantia, & albedo accidens. Alterum, quod obſeruat, eſt, circa vtrumque poſſe fieri mutationem; homo quidem mutatur cum per generationem producitur de non eſſe hominis ad eſſe hominis; albedo verò mutatur cùm producitur in homine, qui priùs erat niger, vel rubeus.

His ſuppoſitis ſubinfert differentiam inter alterationem, & generationem dicens, alterationem eſſe mutationem in ſubiecto eodem ſenſibili permanente ſub vna, & altera qualitate, vt dum aqua, quæ, eſt frigida, mutatur de frigiditate in caliditatem, tunc dicitur alterari, manens eadem ſub vtraque qualitate, ſiquidem fit mutatio circa qualitates, & non circa ſubſtantiam aquæ: generationem verò eſſe mutationem circa ſubſtantiam ſenſibilem in materia prima, manente eadem ſub forma corrumpenda, & forma generanda, vt cum ex ligno generatur ignis, mutatio fit circa ſubſtantiam ligni, quia corrumpitur ad deſtructionem eius formæ & fit noua ſubſtantia ignis per introductionem illius formæ in eandem materiam, quæ prius erat ſub forma ligni. Ex quibus colliguntur diffinitiones Alterationis, eſt Generationis. Alteratio enim eſt mutatio ſubiecti ſenſibilis de qualitate in qualitatem contrariam, & mediam, ipſo ſubiecto ſenſibili manente. Generatio verò eſt totius ſenſibilis in totum ſenſibile, nullo ſubiecto ſenſibili manente eodem, tranſmutatio, vt meliùs explicabimus in ſuis proprijs quæſtionibus.

In T. XXIV. expendit iterum differentiam inter generationem, & alterationem, ac corruptionem, & quonam pacto omnes iſtæ

iſtæ mutationes ſecernantur ab alijs mutationibus, nempè ab augmentatione, diminutione, & latione; inquit enim manifeſtum eſt potiſſimum, quod in generatione, & corruptione nullum idem ſenſibile permanet, ſed totum tranſmutetur, ſi tranſmutatio ſit, vel fiet ex inſenſibili in ſenſibile, hoc eſt ex minus ſenſibili, cuiuſmodi eſt aer, in magis ſenſibile, vt eſt aqua, nihil ſenſibile idem remanet, ſed totus aer mutatur in totam aquam per corruptionem vnius, & generationem alterius: Verùm ſi in huiuſmodi tranſmutationibus contingat eandem paſſionem, ſeù qualitatem manere in genito, & corrupto, vt patet cum ex aqua fit aer, in quibus manet eadem tranſparentia, & humiditas, infetendum eſt, interdum eſſe, vel fieri poſſe generationem, & corruptionem, manente eadem qualitate, ſicut in alteratione idem ſubiectum remanet ſub diuerſis qualitatibus, quod qualiter ſit verum explicabitur in quæſtionibus. Ex his infert differentiam inter generationem, & corruptionem, ac alterationem, quandoquidem in generatione, & corruptione oportet, quod totum ſubiectum mutetur, in alteratione verò accidit mutari qualitates de contraria in contrariam, vel in mediam, ſubiectum verò ſubſtantialiter immutatum ſub illis manere neceſſe eſt, exemplificat de homine muſico, & immuſico, dicens, ſicut quando homo muſicus corruptus eſt, homo autem immuſicus generatus, tunc manet idem homo, & tantum alteratio eſt: igitur ſi muſica, & immuſica non eſſent qualitates accidentales, vel accidentia hominis, ſed eſſentiales differentiæ, tunc generatio vnius eſſet corruptio alterius, & e conuersò, quare quia ſunt accidentia ipſius hominis manentis, horum acquiſitio, & deperditio, alteratio eſt. Deinde oſtendit differentiam harum mutationum à cæteris ratione terminorum dicens, quando ſubiectum mutatur ad ſubſtantiam, tunc eſt generatio, vel corruptio, ſi mutetur ad qualitatem in genere, eſt alteratio, ſi ad quantitatem perfectam, dicitur augmentatio: ſi ad imperfectam vocatur diminutio, ſi vero ſecundum locum mutetur, appellatur latio. Demùm tradit differentiam harum mutationum etiam ex parte ſubiecti, inquiens, materiam primam, in qua fiunt generationes, & corruptiones ſubſtantiales, indicare has mutationes, materiam verò ſecundam, quæ dicitur ens in actu completo, & compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali, ſiue ſubordinata, ſiue vltimata, eſſe ſuſceptiuam cœterarum formarum accidentalium, & indicare cæteras mutationes accidentales, vt ſunt alteratio, augmentatio, diminutio, & latio.

His declaratis ſubdit, quod de generatione, corruptione, & alteratione, ſufficit ſic eſſe determinatum, ſecundum textum nimirum, quia in quæſtionibus ſequentibus, iam dicta ſunt clariùs elucidanda, & multò plura addenda.

De Generationis, Corruptionis, & Alterationis natura.

DISPVTATIO I.

Qvàmuis de harum mutationum natura, & affectionibus multa dixerimus in noſtris libris, hactenùs impreſſis, nempè de Phyſica Auſcultatione, de Meteoris, & de Anima, adeo vt ſuperuacaneum cenſeri poſſet de illis ampliùs differere: nihilominus quoniam nonnulli ex Recentioribus excogitarunt alia, quæ maiori indagine, quàm quæ in ſuperioribus perpendimus, indigent; propterea iàm diſcuſſa non ſolùm, verùm & nouiter adiuncta vlteriori diſputationi ſubijcere decreuimus, vt ea, quæ Doctori ſubtili conſona, vel diſſona, ſeligere poſſimus. Priùs tamen de Natura Generationis, & Corruptionis agendum nobis erit, quàm de Alteratione, & eius connexis, ac dependentibus, cùm finis, ſaltem in intentione, ea quæ ſunt ad finem præcedere debeat. Sit igitur prima difficultas de exiſtentia harum mutationum; ſiquidem Quæſtio: ſi eſt, præire debet Quæſtionem Quid eſt, & propter quid eſt.

An detur in rerum natura Generatio, & Corruptio ſimpliciter, ſiuè ſubſtantialis?

QVÆSTIO I.

Dari Generationem, & Corruptionem ſimpliciter, ſeù ſubſtantialem in re-

rum natura, eſt ita conſtans ſententia Ariſtotelis contra Anaxagoram, Empedoclem, Leucippum, Democritum, & alios Antiquos, vt nemo, abſque manifeſta iniuria, oppoſitum inficiari queat: quandoquidem 1. Phyſicorum t. 33. 34. & 70. illas ſupponit, & probat contra ponentes, eſſe tantùm vnum principium rerum naturalium: Inſuper in 3. de Cœlo, & Mundo à t.29. vſque ad finem eiuſdem libri, eaſdem oſtendit in corporibus, tùm ſimplicibus, tùm mixtis. Ac denique in hoc lib. 1. de Generatione & Corruptione à t. 12. vſque ad t. 24. hanc ſuam Aſſertionem mordicùs demonſtrat contra eos, qui ponebant omnia fieri, & dependi per mutationem accidentalem, non verò ſubſtantialem. Verùm quamuis res ita peruia, claraque exiſtat in Doctrina Peripatetica, vt nullus dubitare deberet, tamen Ioannes à S. Thoma lib. 1. de Generatione & Corruptione q. 1. art. 2. occaſione ſumpta cauillandi potiùs, quàm impugnandi opinionem Doctoris Subtilis de actu entitatiuo materiæ primæ, dixit, quod admiſſo actu, etiam entitatiuo, in materia tollitur ratio penitùs probandi contra Antiquos dari generationem, & corruptionem ſimpliciter, ſeù ſubſtantialem, quandoquidem forma, inquit, ſuperueniens huiuſmodi enti in actu non poſſet eſſe ſubſtantialis, verùm duntaxat accidentalis, ac proindè actio non eſſet generatio ſimpliciter, ſed ſolùm alteratio.

Cæterùm quàm inſulsè ſe geſſerit in hac re, quibuſdam de more adnotatis, demonſtrabimus, quod poſito actu entitatiuo in materia, vt de facto poſuit Scotus, & ſupponit Ariſtoteles, adhuc argumenta Philoſophi contra Antiquos, & reſponſiones ad eorum fundamenta conſiſtunt, & optime probant.

Primò igitur notandum eſt ex Doctore Subtili in ſecundo d. 12. q. 1. (materiam primam eſſe vnum perſe principium naturæ ex Ariſtoteles primo Phyſicorum t. 52. 2. Phyſicorum t. 10. 11. & 12. eſſe partem, & cauſam per ſe compoſiti naturalis ex eodem in 2. Phyſicorum t.7. & 7. Metaph. t. 7. 8. 9. fundamentum formarum, ex eodem primo Metaph. t. 27. & 28. Subiectum mutationum ſubſtantialium, ex eodem 5. Phyſ. t.7. primo Phyſic. t. 82. eſſe terminum creationis ex D. Auguſtino lib. 12. Confeſſ. cap. 32. & lib. 7. ſuper Geneſim ad litteram, ac alibi, tùm ex eodem Ariſtotele materiam eſſe primum ſubiectum in quo fiunt generationes, & corruptiones ſubſtantiales, ex quibus attributis conuenientibus materiæ primæ, infert Scotus, & ſubtiliter materiam primam eſſe potentiam ſubiectiuam, & non obiectiuam tantum, & per conſequens eſſe ens ſubſtantiale, actuale, ac exiſtens extra ſuam cauſam, & non ſolum in ſua cauſa, vt putant aduerſarij: nàm quod eſt cauſa per ſe, & principium entis nequit eſſe non ens, & nihil, quia ex nihilò nihil fit ſubiectiuè, & aliquid dependeret à nihilo, ſeù non ente, quod impoſſibile eſt.

Secundo Notandum ex eodem ibidem B. C. potentiam, & actum opponi inter ſe, quandoquidem potentia diuiditur in obiectiuam, & ſubiectiuam, quibus opponitur actus entitatiuus, & formalis. Illud enim eſt in potentia obiectiua, quod non eſt in rerum natura, & tamen poteſt eſſe extra ſuas cauſas, & ſic mundus antequam crearetur erat in potentia obiectiua, poſtquam autem per omnipotentiam Dei fuit poſitus in eſſe, tunc dicitur eſſe in actu entitatiuo, oppoſito potentiæ obiectiuæ. Illud verò eſt in potentia ſubiectiua, quod actu eſt extra ſuas cauſas, & poteſt in ſe aliquid recipere, ſiue ſubſtantiale, ſiue accidentale, & huic potentiæ opponitur actus formalis, ſiuè ſubſtantialis, qui dat eſſe tali potentiæ ſimpliciter, ſiuè accidentalis, qui dat ſibi eſſe ſecundum quid. Ex his infertur, quod materia antequam crearetur erat in potentia obiectiua, nullum habens actum entitatiuum; at poſt creationem, cum habeat eſſe extra Diuinam omnipotentiam dicitur eſſe in actu entitatiuo, & in potentia ſubiectiua, quia poteſt recipere omnes actus formales, tùm ſubſtantiales, tùm accidentales, ſiuè mediatè, ſiuè immediatè, vt aliàs à nobis declaratum eſt. Infertur ſecundo quod actus entitatiuus materię non eſt aliquis actus ſubſtantialis, in ipſa receptus poſt eius creationem, & à quo receperit aliquod eſſe, quod prius non habuerit, ſed eſt eadem entitas, ſeù eſſentia materiæ, tranſacta de potentia obiectiua ad actum, & exiſtentiam extra ſuas cauſas. Infertur tertio quod iſte actus entitatiuus, cum non opponatur potentiæ ſubiectiuæ, verùm

Digitized by Google

rũm cum illo conſiſtat, materia ſic exiſtentiam habens, ſeu actuata tali actu, vt ita loquar, poterit recipere actum formalem, à quo habeat eſſe ſimpliciter formale, ſi fuerit forma ſubſtantialis, vel ſecundum quid ſi erit forma accidentalis.

Tertio Notandum eſt ex eodem in 4.d.11. q.3.ſub y.materiam, ſecundum Ariſtotelem, dici non ens ſimpliciter poteſt dupliciter intelligi, vno modo, vt lij ſimpliciter ſit idem quod vniuerſaliter,& ſic non ens ſimpliciter negat totum ens,tàm ſubſtantiale, quàm accidentale, ac proindè idem eſt, non ens ſimpliciter,ac nihil: alio modo, vt lij ſimpliciter contra diſtinguitur ab ente ſecundum quid, & ſic ens ſimpliciter eſt idem, quod ſubſtantia, & ens ſecundum quid idem quod accidens, vndè per oppoſitum, non ens, ſimpliciter negat omnem ſubſtantiam,& non ens ſecundum quid omne accidens. Ens autem ſimpliciter hoc ſecundo modo duplex eſt, nempe completum, cuiuſmodi eſt totum ſubſtantiale, & incompletum, vt eſt forma ſubſtantialis,& materia prima. Non ens autem ſimpliciter oppoſitum enti completo eſt materia, vel forma ſeorſim ſumptæ, at non ens ſimpliciter oppoſitum enti incompleto eſt negatio formæ,vel materiæ. Ad propoſitum applicando, materia, ſecundum Ariſtotelem, non poteſt vocari non ens ſimpliciter primo modo, quia eſſet nihil, & non poſſet eſſe ſubiectum generationis,& corruptionis, quia ex nihilo nihil fit,vt aſſeritur cõmuniter à Philoſophis: Poteſt tamẽ dici non ens ſimpliciter, vt ſimpliciter diſtinguitur contra ens ſecundum quid, quia non eſt ens completum ſubſtantiale,nec incompletum,quod det eſſe per modum formæ,ſeu actus formalis, ſed tantum per modum potentiæ, ſiuè actus entitatiui, & ſic intelligendus eſt Ariſtoteles, dùm vocat materiam non ens ſimpliciter, quia ſic dicit negationem actus formalis,& ponit actum entitatiuum,vt potentem recipere in ſe actum formalem, ac ipſum deperdere,ac proindè eſſe ſubiectum generationis,& corruptionis ſubſtantialis.

Ex his fit prima concluſio. Generatio, & Corruptio ſimpliciter, ſeu ſubſtantialis neceſſariò ponenda eſt in rerum natura. Eſt Ariſtotelis contra Antiquos hic in textu, & in 3.lib.de Cœlo,& Mundo à tex. 29. vſque ad finem, ac Doctoris Subtilis in 2. d. 1. qu. 5. propè finem,& in 4.d.1.q.1.ſub M.Probatur quia datur in rerum natura mutatio de non eſſe formæ ſubſtantialis ad eſſe eiuſdem ex potentia alicuius ſubiecti præ ſuppoſiti, & deſitio eiuſdem formæ de eſſe ad non eſſe ſubſtantiale, ſed prior mutatio eſt generatio ſubſtantialis,poſterior verò eſt corruptio pariter ſubſtantialis.Ergo datur in rerum natura generatio, & corruptio ſubſtantialis, ſeu ſimpliciter. Maior probatur per experientiam, quia applicato igne alicui ligno deſinit ſubſtantialiter eſſe lignum, & fit ſubſtantialiter ignis,ſed in huiuſmodi factione forma ligni mutatur de eſſe ad non eſſe ſubſtantiale,& forma ignis mutatur de non eſſe formæ ad eſſe illius ſubſtantialiter, ergo in rerum natura datur mutatio de eſſe formæ ſubſtantialis ad non eſſe illius, & mutatio de non eſſe alicuius formæ ſubſtantialis ad eſſe eiuſdem.Minor patet ex Arte hic à t. 18.& inde. Secundo probatur quia omnis forma requirens potentiam paſſiuam in eſſendo,vel non eſſendo,dicitur generari,& Corrumpi,ſed in rerum natura dantur multæ formæ ſubſtantiales,requirentes ad ſui eſſe,vel non eſſe potentiam paſſiuam, ergo tales generantur, & corrumpuntur ſubſtantialiter,ac proindè datur generatio, & corruptio ſubſtantialis in rerum natura. Maior patet,quia hæc eſt differentia inter generationem, & creationẽ, ac inter corruptionem, & annihilationem, quod vbi creatio, & annihilatio nullam exigunt potentiam paſſiuam in qua fiant,generatio, & corruptio de neceſſitate requirunt potentiam paſſiuam in qua fieri debeant, vt clareſcit ex earum diffinitionibus. Minor probatur, quia omnes formæ ſubſtantiales materiales, cuiuſmodi ſunt animæ plantarum,animalium brutorum,& ſimilium mixtorum,quæ educuntur de potentia materiæ, dependent ab ipſa in fieri,& conſeruari,ergo ad ſui eſſe, & non eſſe requirunt potentiam paſſiuam, ac proindè generantur, & corrumpuntur ſubſtantialiter.

Secunda Concluſio. Quamuis materia habeat actum entitatiuum ſecundum Scotum, nihilominus ſecundum Ariſtotelem poſſunt fieri in ea generationes, & corruptiones ſimpliciter,ſeu ſubſtantiales. Eſt Doctoris ſubtilis in 2.d.12.q.1.ſub C. & in 4. d. 11.q 3.ſub y.contra Ioannem à S.Thoma,& alios Thomiſtas. Probatur,quia actus entitatiuus materiæ conſiſtit cum potentia ſubiectiua eiuſdem,ſed in hac fiunt generatio-

nes,

Digitized by Google

nes,& corruptiones ſubſtantiales ex Ariſtotele primo Phyſicorum t. 82. vbi inquit, *materia eſt primum ſubiectum vniuſcuiuſque, ex quo aliquid fit, cum inſit, non ſecundum accidens, & ſi corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum*. Ergo actus entatiuus materiæ eſt potentia ſubiectiua, in qua fiunt generationes,& corruptiones ſubſtantiales. Maior patet, quia actus entitatiuus materiæ eſt ipſa entitas materiæ, tranſacta de potentia obiectiua ad potentiam ſubiectiuam eiuſdem vt adnotauimus ſecundo; ergo conſiſtit cum potentia ſubiectiua eiuſdem materiæ primæ. ſecundo probatur, quia ex non ente ſimpliciter, vt ſimpliciter diſtinguitur ab ente ſecundum quid, fit ens ſimpliciter per generationem ſubſtantialem ex Ariſtotele de Generatione,& Corruptione lib. 1. t. 11. & 12. ac indè, ſed actus entitatiuus materiæ eſt non ens ſimpliciter, vt in potentia ad actum formalem, qui eſt ſimpliciter ens ſubſtantiale, vt patet ex dictis 3. Not.& deducitur ex Ariſtotile ibidem, quia illud non ens, ex quo generatur ens ſimpliciter, vacatur ab ipſo ſubiectum tranſmutationum formarum, manens idem ſubſtantialiter ſub forma genita,& corrupta, quod nequit eſſe, niſi actu exiſtat extra ſuas cauſas, & actu ſit ens, non formale, ſed potentiale, qua de cauſa dicatur poſteà non ens ſimpliciter, ex quo educitur ens ſimpliciter nempè forma ſubſtantialis, ergo ſecundum Ariſtotelem, admiſſo actu entitatiuo materiæ, in eodem fiunt generationes, & corruptiones ſimpliciter quicquid dicant Thomiſtæ contra Doctorem ſubtilem.

Obijcitur primo contra primam concluſionem quia ſi daretur generatio ſimpliciter, deberet fieri ex non ente ſimpliciter, ſiquidem quodlibet fieri debet ex eo, quod non eſt, alioquin idem bis fieret, ſed ex non ente ſimpliciter, cum ſit omninò nihil, nequit fieri ens ſimpliciter, ergo generatio nequit dari in rerum natura.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de non ente ſimpliciter, vt ſimpliciter opponitur enti ſecundum quid, non tamen vt ly ſimpliciter ſumitur pro vniuerſaliter, quia ſic idem eſt, quod nihil; quare ſic minor eſſet vera, falſa tamen ſi ſumatur ens, & non ens ſimpliciter primo modo, quia ſic non ens negat bene compoſitum, quod eſt ens ſimpliciter, ex quo fieri nequit aliud compoſitum per generationem, at non negat materiam primam, quæ dicitur ens in potentia, ex qua poſſit educi forma ſubſtantialis, quæ dicitur ens ſimpliciter; & ſic generatio daretur de forma ſubſtantiali ex non ente ſimpliciter actu, quod tamen eſt ens in potentia ad omnes formas ſubſtantiales.

Obijcitur ſecundo quia ſi daretur generatio entis ſimpliciter de nouo in rerum natura, vel eſſet entis ſecundum eſſentiam, vel ſecundum exiſtentiam: non primum, quia eſſentiæ rerum, cum ſint æternæ, nequeunt fieri de nouo: nec ſecundum, quia exiſtentia, vel accidens, vel modus rei, ac proinde non eſſet generatio ſimpliciter, verùm duntaxat ſecundum qnid, ergo generatio ſimpliciter nequit dari in rerum natura.

Reſpondetur generationem eſſe productionem entis ſecundum eſſentiam, & exiſtentiam in particulari, non autem in communi. Et cum probatur, quod eſſentiæ rerum ſunt æternæ, verum eſt, ſi ſumantur in communi, non tamen ſi in particulari, quia ſic acquiruntur in rerum natura per generationem ſubſtantialem, ſicut per corruptionem deperduntur ſimul cum exiſtentia ſibi realiter identificata.

Obijcitur tertiò contra ſecundam concluſionẽ ſi materia haberet actum entitatiuum de ſe, & non à forma, nulla daretur generatio ſimpliciter, ſed hoc eſt contra Ariſtotelem, ergo nequit admitti in generatione materia cum actu entitatiuo. Minor patet in textu 12. & inde, vbi Ariſtoteles probat dari generationem ſimpliciter Sequela maioris probatur, quia actus entitatiuus materiæ eſt eſse ſimpliciter, & primum, ergo cum ſupponatur generationi per ipſam non acquireretur eſse ſimpliciter, ac proinde non daretur generatio ſimpliciter.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad probationem dico cum Scoto in 4. d. 11. q. 3. ſub Y materiæ actum entitatiuum dicere eſſe ſimpliciter, & primum, ſi vniuerſaliter accipiatur, ac vt recedit à non eſſe, non tamen ſi eſſe ſimpliciter ſumatur, vt diſtinguitur ab eſſe ſecundum quid, & prout dicit eſſe ſubſtantialiter, & ſecundum, quia ſic tale eſſe habetur à forma ſubſtantiali, quæ acquiritur per generationem ſimpliciter.

Obijcitur quarto quia ſicut ſe habet ge-

nera-

neratio ſecundùm quid ad ens ſecundum quid, quod per ipſam acquiritur, ita generatio ſimpliciter ad ens ſimpliciter, quod per ipſam acquiritur, ſed prior fit ex non ente ſecundum quid, vt nihil de illo ſupponatur, ergo etiam generatio ſimpliciter debet fieri ex non ente ſimpliciter, vt nihil de eo ſupponatur, ac proinde de ſimplici materia in potentia abſque vllo actu entitatiuo, & exiſtentia eiuſdem. Maior patet à ſimili. Minor probatur ex Ariſtotele 7. Metaph. t. 32. vbi dicit, quod ad hoc, vt fiat quale, vel quantum non eſt neceſſe aliquid quanti, vel qualis præexiſtere actu, ſed ſufficere, vt præexiſtat potentia, ſed tàm quantum, quàm quale ſunt entia ſecundum quid, ergo &c.

Reſpondetur, vt colligitur ex Scoto in 4. d. 11. q. 3. ſub Y. & d. 12. q. 3. ſub E negando maiorem abſolutè, non enim eſt par ratio de vtroque ente, quandoquidem ens ſimpliciter, cum à toto genere ſit primum ens, neceſſariò debet ad ſui eſſe præſupponere aliquid ſui generis, quod ſit ſubſtantiale, & actu exiſtens, alioquin fieret ex nihilo à toto genere, quod eſt impoſſibile: cæterum ens ſecundum quid cùm ſit ſecundum ens, dependens à toto genere à primo ente, nempè à ſubſtantia, non eſt neceſſe, vt ad ſui eſſe aliquid præexiſtat actu, cùm ſufficiat eius præſuppoſitio in potentia & hoc eſt, quod dicit Ariſtoteles in 7. Metaphy. t. 32. *cæterùm ex his proprium ſubſtantiæ accipere eſt, quod neceſſe eſt præexiſtere ſemper aliam ſubſtantiam actu exiſtentem, quæ facit, vt puta animal vt animal ſit, quale verò, aut quantum non neceſſe eſt, niſi potentia ſolùm*. En quomodo ponit differentiam inter acquiſionem per generationem ſimpliciter entis ſimpliciter & generationem ſecundum quid entis ſecundum quid.

Contra, quia ex hac doctrina tollitur generatio ſubſtantialis, ergo non eſt admittenda. Antecedens ſuadetur à ſimili, quia ideò eſſe ſecundum quid nil ſui præſupponit actu ad ſui generationem ſecundum quid, quia ſecundum totum genus dependet à ſubſtantia, in qua ſolum habet eſſe in potentia, ergo cum eſſe ſempliciter à toto genere naturaliter præſupponat ſolùm non ens ſui, & dependeat à Deo creante, ſeù producente, in cuius omnipotentia habet eſſe, non habebit eſſe per generationem naturalem, ſed ſolùm per creationem, aut productionem immediatam à Deo.

Reſpondetur ex eodem Scoto ibidem, negando conſequentiam, quia non currit paritas: nàm eſſe ſimpliciter, ſi ſumatur vt recedit à num eſſe ſimpliciter, licet nil ſui præſupponat actu, verùm duntaxat potentiam Diuinam, à qua ponitur in eſſe per creationem; tamen ſi accipiatur ſolùm, vt diſtinguitur ab eſſe ſecundum quid, verificatur ſecundariò de forma ſubſtantiali, quæ præſupponit ad ſui eſſe materiam primam, ex qua educitur, & hoc eſſe habetur per generationem ſimpliciter, & non per creationem, vt præſupponitur in argumento: quare falſum eſt, totum genus eſſe ſimpliciter dependere immediatè à Deo per creationem, cum hoc ſolùm verificetur de materia prima, & non de forma ſubſtantiali, & ſic de eſſe ſimpliciter primo & non ſecundo modo ſumpto.

Vtrum, Generatio, & Corruptio Subſtantialis, ſeù ſimpliciter diſtinguantur, & quomodo?

QVÆSTIO II.

Circa iſtam celebrem difficultatem eſt duplex oppoſita ſententia, quarum prior ſuſtinet nullam dari diſtinctionem realem inter generationem, & corruptionem, ſed eſſe vnam ſimplicem mutationem, qua fit acceſſus ad vnam formam illam generando, & qua fit receſsus ab alia illam corrumpendo. Ita Marſilius lib. 1. de Generatione & Corruptione q. 5. Albertus de Saxonia q. 4. Zabarella ibidem cap. 5. Bannes cap. 3. conc. 1. Caiet. 1. 2. q. 113. art. 6. ad ſecundum quorum fundamenta examinabimus in fine. Poſterior ex oppoſito docet generationem, & corruptionem conſtituere duas mutationes reales oppoſitas à ſe inuicem realiter diſtinctas. Ita Doctor ſubtilis in primo ſent. d. 27. q. 3. §. contra iſta &c. ſub C. & in 2. d. 1. q. 3. ſub L. & d. 2. q. 7. ſub D. Faber in Philoſophia natur. Thior. 29. Merinero lib. 1. de Ortu, & Interitu Diſp. 2. q. 2. Biragus, Contar. Toletus, Conimbric. Ruuius, Complutens. Io. à S. Thoma, quos citat, & ſequitur Maſtrius de Generatione & Corruptione Diſp. 5. q. 1. art. 3. num.

num. 35. ac alij communiter.

Quomodo autem hæc ſententia ſit ſuſtinenda, & quonam pacto intelligendus ſit Doctor Subtilis, quibuſdam de more notatis, ſubinde in concluſionibus aperiemus.

Primo igitur notandum eſt, generationem, & corruptionem dupliciter ſumi poſſe, vno modo impropriè, alio modo propriè. Generatio impropriè ſumpta ſe extendit ad ſignificandam quamcumque productionem dependenter à ſubiecto, ſiuè terminus productus ſit ſubſtantia, ſiuè ſit accidens, & de hac videtur locutus Ariſtoteles in hoc primo lib. t. 11. & 5. Phyſicorum t. 7. vbi concedit accidentia, & non ſolum ſubſtantias generari, & hæc vocatur ab eo generatio ſecundum quid, cum dicit *ex non albo fieri album, & ex non bono bonum*. Corruptio verò per oppoſitum, hoc modo accepta, extenditur pariter ad deſitionem cuiuſcumque formæ, vel compoſiti, ſiue talia ſint ſubſtantiæ, ſiuè accidentia, de qua loquens in citatis locis, inquit: *Quæ vero ex ſubiecto in non ſubiectum corruptio eſt; ſimpliciter quidem, quæ ex ſubſtantia ad ipſum non eſſe eſt, quædam autem ea, quæ eſt in oppoſitam negationem, ſicut dictum eſt, & in generatione*. Generatio verò propriè ſumpta reſtringitur ad ſignificandam productionem ſolius ſubſtantiæ; & per oppoſitum, corruptio proprie arctatur ad deſitionem compoſiti, vel formæ ſubſtantialis, de quibus ſermonem faciens in præcitatis locis, vocat illas, generationem, & corruptionem ſimpliciter, ſiuè ſubſtantialem, & de his duntaxat quæritur in præſenti, an diſtinguantur realiter, & quonam pacto: quare.

Secundo Notandũ eſt ex Doctore Subtili in primo d. 5. q. 2. E. *Generationem in creatis duo importare ſcilicet productionem, & mutationem, & iſtorum rationes formales abſque contradictione ſunt abinuicem ſeparabiles. Productio enim formaliter reſpicit terminum, ſiuè totalem, cuiuſmodi eſt compoſitum ex Ariſtotele 7. Metaph. t. 26. ſiue partialem, vt eſt forma ſubſtantialis ex eodem ibidem t. 27. & accidit ſibi, quod fiant cum mutatione alterius partis compoſiti, nempè materiæ. Mutatio verò formaliter eſt actus mutabilis, nempè materia, quæ quidem de priuatione tranſit ad formam. Concomitatur autem mutatio productionem in creatis propter imperfectionem potentiæ productiuæ, quæ non poteſt dare eſſe totale termino productionis, ſed aliquid eius præſuppoſitum tranſmutat ad aliam partem ipſius, & ſic producit compoſitum: ſi enim agens creatum eſſet perfectum agens, & non exigeret materiam de qua, vel in quam ageret, ſed poſſet producere effectum per ſe, & ex ſe, tunc eſſet productio ſine mutatione, igitur ſine contradictione poſſunt ſeparari, & realiter ſeparantur, comparando ad potentiam productiuam perfectam. Hoc apparet in creatione, vbi propter perfectionem potentiæ productiuæ ponentis primò totum eſſe in eſſe, vere eſt ibi ratio productionis, inquantum per ea terminus productus accipit eſſe, ſed non eſt ibi ratio mutationis, inquantum mutatio dicit aliquid ſubſtractum, ſiquidem in creatione non eſt aliquid ſubſtractum, quod poſſit aliter ſe habere nunc, quàm prius, vt dicitur ab Ariſtotele 6. Phyſic. t. 32. & 73.* Ex his infertur primo mutationem non poſſe ingredi in diffinitionem generationis vt ſic, alioquin nulla daretur generatio abſque mutatione, quod tamen eſt falſum, vt patet in generatione Diuini Verbi, & in productione prima Cœlorum, & Elementorum, quæ fuerunt veræ generationes, & tamen nulla erat mutatio, vt aliàs obſeruatum, & probatum fuit. Infertur ſecundo nullam diffinitionem generationis ſimpliciter datam ab Ariſtotele ſiuè in 5. Phyſicorum t. 7. ſiuè in hoc primo lib. de Generatione t. 11. 12. & 23. per mutationem, eſſe eſſentialem; ſiquidem mutatio nequit habere rationem generis, aliter nulla daretur generatio entis naturalis, quæ non eſſet cum mutatione materiæ, quod tamen eſt falſum, quia ſi Deus educeret in inſtanti formam ſubſtantialem ex aliqua materia in eodem inſtanti creata, talis forma eſſet genita, & non creata, quia eſſet ex aliquo præſuppoſito, & non ex nihilo, & tamen illa materia non fuiſſet prius mutata de priuatione illius ad ſeipſam eductam; ac proindè eſſet vera generatio naturalis abſque mutatione. Infertur tertio quod licet mutatio non ingrediatur diffinitionem generationis naturalis in creatis, vt genus, concomitatur tamen productionem termini, ſiuè partialis, ſiuè totalis, itaut generaliter loquendo de generatione naturali, cognita à Philoſopho, nequeat haberi

ter-

terminus ſubſtantialis abſque præuia mutatione materiæ de priuatione formæ educendæ ad ipſam eductam, & hoc ob impotentiam potentiæ productiuæ, quæ nequit dare eſſe totale per ſe termino productionis, quarè ob id cogitur præſuppoſitum, ideſt materiam primam, tranſmutare ad aliam partem, & ſic interueniente mutatione producere totum compoſitum. Infertur quarto quod generatio formaliter requirit productionem termini, & mutatio alterationem ſubiecti, ex quo deducitur, quod generatio nequit eſſe inferius ad mutationem, ſi formaliter ſumatur, quia ſic eſt quoddam diſparatum, vt dicit Scotus in p. d.2.q.7.ſub K. & d. 5. q. 2. ſub E. verùm ad ſummum poſſet aliqualiter tolerari, ſumendo generationem concomitanter, vt aduertit idem Doctor ſubtilis in præcitatis locis, & colligitur ex 4.d.11.q.1.ſub D vbi inquit. *Ad primum dico, quòd generatio non eſt inferius ad mutationem, niſi vt conuenit ſubiecto generationis*, (hoc eſt concomitanter) *vt autem comparatur ad terminum* (hoc eſt formaliter) *habet rationem productionis, vt dictum eſt lib.1.d.5.prædicta*.

Tertio Notandum eſt, generationem, & corruptionem, cùm ſint oppoſitæ mutationes, etiam oppoſito modo diffiniri, ſeù manifeſtari. Nàm generatio ſi formaliter ſumatur, ex Ariſtotele 7.Metaph.t.26.& 27.ac ex Doctore Subtili in 1.d.5.q. 2. ſub E. & d. 13.q.11.ſub P. eſt actio productiua compoſiti ſubſtantialis de non eſſe actu, ad eſſe actu. Corruptio verò formalis, ex oppoſito, eſt actio deſtructiua compoſiti ſubſtantialis de eſſe actu ad non eſſe actu. In quibus diffinitionibus, lyactio productiua, & deſtructiua, reſpectiuè conſiderata, tenent locum generis; nàm prior comprehendit ſub ſe omnes actiones productiuas, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales: poſterior verò omnes actiones deſtructiuas, tàm ſubſtantiales, quam accidentales. Cæteræ verò particulæ ponuntur ad differentiam generationis, & corruptionis ſimpliciter, & quatenus vtraque ſecernitur à generatione, & corruptione ſecundum quid, & à generatione, & corruptione mutatione. Ex quibus inferendum eſt, quod vtraque diffinitio ſit bona; & conuenienter data, cùm expendat ſuum diffinitum per genus, & differentiam. Cæterùm ſi generatio, & corruptio ſubſtantialis attendantur concomitanter, prior eſt mutatio materiæ primæ à non eſſe termini formalis ſubſtantialis ad eſſe actu eiuſdem: poſterior verò, ex oppoſito, eſt mutatio eiuſdem materiæ primæ ab eſſe actu termini formalis, ad non eſſe eiuſdem ſubſtantialiter Ex quibus infertur, quod generatio, & corruptio hoc modo expoſitæ, conueniunt, & differunt. Conueniunt quidem, quia ambæ ſunt mutationes ſubſtantiales, poſitæ inter duos terminos oppoſitos, quorum alter vocatur *à quo* incipit mutatio, & alter *ad quem* terminatur. Differunt verò, quia mutatio generationis eſt poſitiua, cum per ipſam acquiratur terminus ad *quem* poſitiuus, nempè forma ſubſtantialis; mutatio autem corruptionis eſt priuatiua, ſeù negatiua, ſiquidem habet pro termino ad *quem* priuationem formæ ſubſtantialis. Inſuper differunt, quia habent diuerſos terminos à *quibus*, & ad *quos* quandoquidem terminus *à quo* generationis eſt non eſſe formæ ſubſtantialis, & ad *quem*, eſt eſſe eiuſdem. In corruptione verò terminus a *quo*, eſt eſſe formæ ſubſtantialis, terminus autem ad *quem* eſt non eſſe eiuſdem, Cùm igitur generatio, & corruptio ſint mutationes diuerſæ, habeantque diuerſos terminos, ſequitur dari inter illas, nedum diſtinctionem realem, verùm etiam ſeparationem, ſaltem in ordine ad agens ſupernaturale, quod poteſt ſaltem corrumpere formam præexiſtentem in materia abſque vlla introductione alteriùs formæ, vt innuit Scotus in 2.d.1.q.3.L. & d. 2. q.7.D. Et inferiùs probabimus.

Quarto Notandum ex Scoto in 4.d.11.q. 1.A.B.& q.3.ſub H.& q. 4. ſub C. & Quol. 10.ſub A.& N.latam eſſe differentiam inter conuerſionem, & generationem. Nàm conuerſio, ſiuè totalis, ſiuè partialis, eſt mutatio totius, tàm cathegorematici, quam ſincathegorematici, in totum cathegorematicum, aut ſincathegorematicum, vt patet in tranſubſtantiatione panis in corpus Chriſti, in qua nedùm panis, qui eſt per ſe vnum conuertitur in corpus, quod eſt pariter per ſe vnum cathegorematicum, verùm etiam materia panis, & eius forma conuertuntur, in materiam, & formam, corporis Chriſti, in quibus reſidet totum ſincathegorematicum: Generatio verò ſecundum Ariſtotelem lib. 1. de Generatione, & Corruptione t.23. eſt tranſmutatio totius in totum, nullo ſen-

ſenſibili manente, vt ſubiecto eodem, quæ diffinitio, vt explicatur à Doctore Subtili verificatur de toto cathegorematico tantum, non autem ſincathegorematico, quia totum per ſe vnum non manet, ſed aliud totum ſuccedit, non tamen quælibet pars ſuccedit, quia materia manet communis, tàm genito, quàm corrupto. Ex quibus infertur, quod licet generatio, & conuerſio conueniant in tranſitione totius cathegorematici in totum cathegorematicum, differunt tamen in toto ſincathegorematico, ſiquidem in generatione materia manet eadem, quæ erat ſub forma corrumpenda: at in conuerſione materia, & forma rei conuertibilis tranſeunt in materiam, & formam rei conuerſæ. Infertur ſecundo non bene vocari à quibuſdam ex noſtratibus generationem nomine conuerſionis partialis, quia licet vna forma ſuccedat alteri in generatione, ſicut in conuerſione, non tamen eodem modo, quia forma, quæ generatur, tranſit à non eſſe priuatiuo ſui ad ſuum eſſe poſitiuum, at forma, quæ conuertitur, tranſit ab eſſe poſitiui ſui ad eſſe poſitiuum alterius: inſuper illa perdit eſſe per corruptionem, quæ eſt mutatio priuatiua; iſta verò per tranſubſtantiationem, quæ vel non eſt mutatio, vel eſt poſitiua; ac proindè, cùm careat conditionibus requiſitis ad conuerſionem, nequit vllo pacto generatio vocari conuerſio. Infertur tertiò quod licet generatio vnius ſit corruptio alterius formæ, & corruptio vnius ſit generatio alterius formæ, cum huiuſmodi mutationes ſint penitùs diuerſæ ratione ſuorum terminorum *à quibus*, & ad quos, vt ſuperiùs adnotauimus, non propterea huiuſmodi tranſitus formæ in formam poteſt vocari conuerſio partialis, vt non benè putarunt illi Doctores, ſiquidem termini harum mutationum ſunt penitùs diuerſi, vt patet ex Deſcriptionibus earundem datis, ac expenſis de mente Doctoris Subtilis, necnon ad aures Philoſophi hic in t. 23. & 24. ſicut ibidem declarauimus. Infertur quarto diſcrimen inter conuerſionem, & alterationem, quandoquidem in hac remanet totum totaliter, ideſt categorematicum, & ſincategorematicum, & mutantur paſſiones, ideſt accidentia in illa verò tranſmutatur totum ſubſtantiale totaliter in aliud totum ſubſtantiale, vt credimus fieri paſſim in Sacramento Eucharistiæ. Ex quibus omnibus colligitur, conuerſionem eſſe mutationem à cæteris diſtinctam. Si large mutatio attendatur, vt de illa locutus eſt Ariſtoteles in 5. Phyſicorum à t. 7. & indè; aut non eſſe mutationem ſi ſtrictè ſumatur, de qua potiſſimum egit idem in 6. Phyſicorum t. 32. & 72. *Sed eſſe* tranſitum ſubſtantialem, vel accidentalem vnius rei poſitiuæ in aliam poſitiuam, nullo ſubiecto communi manente eodem, per quam particulam diſtinguitur à generatione, corruptione, & alteratione, vt prædictum eſt.

Ex his omnibus ſit prima concluſio. *Generatio, & Corruptio ſimpliciter, ſeu ſubſtantialis; ſiuè attendantur formaliter, ſiuè concomitanter, diſtinguuntur realiter.* Colligitur ex Ariſtotele 7. Metaph. t. 26. & 27. ac hic in t. 16. 17. 23. & 24. necnon ex Doctore Subtili in p. d. 5. q. 2. E. & d. 13. q. vn. P. & in 3. d. 2. q. 2. ſub A. & in 2. d. 1. q. 3. L. & d. 2. q. 7. D. & Quol. 10. ſub A. & N. ac alibi. Probatur prima pars, quia productio, & deſitio termini ſubſtantialis diſtinguuntur realiter, cùm ſint oppoſitæ diſparatè, ſed generatio formaliter ſumpta eſt productio termini ſubſtantialis, & corruptio formaliter eſt deſitio termini ſubſtantialis, ergo diſtinguuntur realiter. Maior patet. Minor clareſcit ex primo, & ſecũdo Not. ab deſumptis ex Ariſtotele 7. Metaph. t. 26. & 27. ſiquidem productio eſt via ad eſſe termini, deſitio verò eſt via ad non eſſe termini, ſed via ad eſſe termini eſt generatio, via autem ad non eſſe termini eſt corruptio, ergo generatio formaliter ſumpta eſt productio termini ſubſtantialis, & corruptio formaliter accepta eſt deſitio termini ſubſtantialis. Secundo probatur, quæ habent diſtinctas diffinitiones eſſentiales diſtinguuntur realiter, cùm ſint eſſentiæ deſparatæ, ſed generatio, & corruptio formaliter ſumptæ habent diſtinctas diffinitiones eſſentiales, ex adductis in tertio Not. ergo diſtinguuntur realiter. Secunda pars probatur, nàm mutationes habentes terminos à *quibus*, & ad *quos* diuerſos realiter, diſtinguuntur realiter, ſed generatio, & corruptio concomitanter ſumptæ ſunt huiuſmodi, ergo diſtinguuntur realiter. Maior eſt Ariſtotelis 5. Phyſicorum t. 7. vbi diſtinguit motus, & mutationes per terminos à *quibus*, & ad *quos*. Minor probatur, nàm generatio mutatio

Digitized by Google

tio habet pro termino à *quo* non eſſe formæ ſubſtantialis, & pro termino ad *quem*, eſſe eiuſdem formæ ſubſtantialis: corruptio verò habet pro termino *à quo*, eſſe formæ ſubſtantialis, ad *quem* autem, non eſſe eiuſdem, ergo generatio, & corruptio concomitanter habent terminos à *quibus*, & ad *quos*, diuerſos realiter. Secundo probatur, quia mutationes, quarum vna eſt poſitiua, & altera negatiua, ſeù priuatiua, diſtinguuntur realiter, ſaltem negatiuè, ſed generatio eſt mutatio poſitiua, cùm terminetur ad formam ſubſtantialem, quæ eſt res poſitiua, & corruptio eſt mutatio negatiua, ſeù priuatiua, cùm terminetur ad priuationem formæ ſubſtantialis, ergo diſtinguuntur realiter. Tertio probatur, quia mutationes, quarum vna eſt ſeparabilis ab alia, diſtinguuntur realiter, vt patet ex conditione diſtinctionis realis, ſed generatio, & corruptio concomitanter ſunt huiuſmodi, ergo diſtinguuntur realiter. Minor probatur, quia agens ſupernaturale ſaltem; poteſt corrumpere formam præexiſtentem in materia, abſque introductione alterius formæ, vt inuit Doctor Subtilis in ſecundo d. 1. q. 3. ſub L. & d. 2. q. 7. ſub D. & in primo d. 27. q. 3. ſub C. futurum in fine Mundi cùm mixta reſoluentur in elementa, ergo cùm ibi eſſet mutatio à forma ad eius priuationem in materia, abſque introductione nouæ formæ mixti, ſequitur corruptionem eſſe abſque generatione, ac proindè vnam ab alia ſeparari poſſe, ſaltem ſupernaturaliter, ſicque realiter diſtingui.

Secunda Concluſio. Generatio, quouis modo ſumatur, à conuerſione, & corruptio ab eius oppoſito, omninò diſtinguuntur realiter. Colligitur ex Scoto in 4. d. 11. q. 1. ſub A, & B. & q. 3. ſub H. & q. 4. ſub C. & Quol. q. 10. ſub A. & N. Probatur, quia quæ habent diuerſas diffinitiones, eſſentialiter realiter diſtinguuntur, ſiquidem ſunt omninò diſparata, ac penitùs diuerſa, ſaltem in genere, licet non in conceptu obiectiuo, ſed generatio, & corruptio, quouis modo acceptæ, ac conuerſio, & eius oppoſita negatio, habent diuerſas diffinitiones, ergo ſunt eſſentialiter realiter diſtinctæ mutationes. Minor ſufficienter remanet probata ex Doctore Subtili cit. in tertio & quarto Not. Confirmatur, quia mutationes, habentes terminos diuerſos realiter, diſtinguuntur realiter, ſed Generatio, & corruptio quouis modo acceptæ, atquè conuerſio, & eius oppoſita negatio, habent terminos omninò diuerſos realiter, ergo realiter diſtinguuntur. Maior eſt Ariſtotelis 5. Phyſicorum à t. 7. & indè. Minor probatur, quia termini conuerſionis ſunt duo tota categorematice, & ſincategorematice ſumpta, termini, verò generationis ſunt quidem duo tota ex Ariſtotele hic t. 23. verum categorematice accepta duntaxat, ex Doctore Subtili in quatto d. 11. q. 1. ſub A. & non ſincategorematica, cùm ſemper maneat idem ſubiectum commune genito, & corrupto, nempè materia prima. Ergo habent terminos diuerſos: ac proinde ſunt mutationes, ſiuè productiones penitùs diuerſæ realiter. Nec valet dicere, generationem formæ, quæ ſuccedit formæ corrumpendæ, poſſe dici conuerſionem partialem ratione ſucceſſionis vnius ad aliam, quia non ſuccedit eodem modo in generatione, ſicut in conuerſione, tùm quia forma, quæ generatur, tranſit à non eſſe priuatiue ſui ad eſſe poſitiuum, at forma, quæ conuertitur, tranſit ab eſſe poſitiuo ſui ad eſſe poſitiuum alterius, qui ſunt termini omninò diuerſi realiter: tùm etiam, quia forma genita deperdit ſuum eſſe per corruptionem; forma verò conuertibilis amittit ſuum eſſe per tranſubſtantiationem, quæ, vel non eſt mutatio, vel eſt poſitiua, cuiuſmodi non eſt corruptio: vndè cum careat corruptionibus requiſitis ad conuerſionem, etiam partialem, nequit generatio vocari vllo pacto conuerſio, quicquid dicat Dominus meus Maſtrius hic Diſp. 5. q. 1. ar. 2. num. 32.

Tertia Concluſio. Generatio, & Corruptio, ſi ſumantur etiam in ratione actionis, diſtinguuntur realiter. Colligitur ex Scoto pluribus in locis, ſed præſertim in quarto d. 16. q. 2. §. Reſpondeo &c. ſub A. B. & C. vbi oſtendit, infuſionem gratiæ, & remiſſionem culpæ eſſe mutationes ſeparabiles, ac proindè ſupponere, actiones ad illas eſſe ſeparabiles. Doctorem ſubtilem ſequuntur Faber Theorem. 39. cap. 2. Biragus 2. de Gener. q. 3. Merinero ibidem Diſp. 2. q. 2. Rubeus Diſp. 9. q. 3. contra Maſtrium, & Bellutum Diſp. 5. q. 1. art. 3. nu. 39. & plures ex alienis ab eodem relatos ibidem. Quibus addi poſſunt Bannes. Marſilius, Albertus, & Caie-

Caietanus 1. 2. q. 113. art. 6. ad ſecundùm quorum meminit Merinero citatus ſub n. 1. confutando illos ſub n. 2. quamuis ſub n. 3. videatur cùm eiſdem ſentire, dùm ait: *Eſt autem maxime aduertendum, quod etiam ſi generatio, & corruptio non ſit eadem realiter actio ſeù mutatio; non ideò eſſe affirmandum in generatione, & corruptione interuenire duas actiones, ſeù mutationes, quia actio ſeù mutatio abſolutè prolata ſupponitur pro actione, ſeù mutatione poſitiua, & corruptio non eſt actio, ſeù mutatio poſitiua*. Quæ contradicunt his, quæ protulerat contra illos ſub n. 2. cum ait. *Sed tenendum eſt cum communi ſententia, generationem nouæ formæ, quæ educitur, & inducitur in aliqua materia, & corruptionem formæ, quæ præexiſtebat in eadem numero materia, etſi naturaliter in non viuentibus, neceſſariò ſe comitentur, non tamen eſſe eandem numero actionem, ſeù mutationem, ſed eſſe actiones, ſeù mutationes, plusquàm genere diuerſas*; En quomodo ſibi videtur contradicere, quod an ſit verum, necne iudicent alij ex his, quæ ſubdit n. 3. volens forſan conciliare ambas opiniones. Probatur tamen noſtra concluſio, (quicquid ſit de huius Doctoris fidelitate) ex Doctrina Scoti loco citato, nam idem non ſeparatur ab eodem, accipiendo vniformiter identitaté, & ſeparationem, ſi realiter realiter, & ſi ratione ratione, ſiquidem hoc includit oppoſitum primi principij ſcilicet quod idem vt eſt idem ſimul ſit, & non ſit, ſed actio generatiua ſeparatur ab actione deſtructiua, ergo actio generatiua non eſt eadem, ac actio deſtructiua. Minor probatur, quia Deus poſſet denudare materiam ab omni forma in ſententia ſcoti, & agens creatum poſſet agere in illam, educendo aliquam formam, & hanc in illam inducere, at dato caſu ibi eſſet actio generatiua abſque actione deſtructiua, ergo actio generatiua eſt ſeparabilis ab actione deſtructiua realiter Maioris prima pars eſt Scoti in 2. d. 12. q. 2. ſecunda verò eſt eiuſdem in p. d. 27. q. 3. §. Contra iſta E. ſub C. vbi ſupponit materiam, quæ eſt ſub forma vini abſque omni forma, agens creatumque poſſe agere in eam, inducendo aliquam formam, tunc materia illa eſſet primum ſuſceptiuum cuiuſcumque formæ, natæ imprimi in materiam nudam, ac proinde nulla ibidem poſſet eſſe actio deſtructiua, quæ præcederet actionem generatiuam. Minor probatur, quia in tali caſu eſſet ibi actio productiua formæ ex materia, à priuatione eiuſdem ad eductionem, & inductionem illius in materia, quæ reuera eſſet actio generatiua abſque actione deſtructiua, ergo actio generatiua ſeparatur ab actione deſtructiua. Secundo ſuadetur iſta minor, & probatur concluſio ex Scoto in 4. d. 11. q. 3. vbi probat dari formam mixtionis in quolibet viuente, antecedenter ad animam, quandoquidem datur de facto actio deſtructiua totius animalis in eius interitu, atqui in tali caſu nulla ſuccedit actio generatiua alicuius formæ nouæ, cùm forma mixtionis præhabuerit eſſe per generationem miſti, ergo actio deſtructiua ſeparatur ab actione generatiua, ac proinde non ſunt vna, & eadem actio, in ſententia Doctoris ſubtilis. Tertio probatur ex eodem in 2. d. 1. q. 3. ſub Li. quia propoſitio Ariſtotelis in t. 17. nimirum, quod generatio vnius eſt corruptio alterius, & econuerſò, licet vt plurimùm ſit vera tamen non neceſſariò ſe conſequuntur, quin vna poſſit ab alia ſeparari, & vtraque habere ſtatum nempè quando omnia mixta reſoluentur in elementa, ergo cùm vtraque ſit actio, & mutatio, ſequitur huiuſmodi actiones eſſe ab inuicem ſeparabiles. Antecedens probatur, quia agens generans, licet nequeat inducere formam, quam intendit, in materiam, niſi ab ea expellat formam præexiſtentem, vt incompoſſibilem cùm ſua, tamen hoc ſibi accidit, ſiquidem intendit ſolùm terminum propriæ actionis, ergo actio generatiua vnius non eſt actio deſtructiua alterius, vel econuerſo. Quarto probatur, quia actiones, habentes terminos realiter ſeparabiles, nequeunt identificari, quandoquidem res, à quibus habent entitates, habent pariter identitatem, aut diſtinctionem, ergo quæ habent eſſe à terminis diuerſis realiter nequeunt identificari realiter, ſed actio generatiua, & deſtructiua ſunt huiuſmodi, ergo non poſſunt identificari realiter. Minor patet ex dictis ſuperius, ſiquidem actio generatiua habet pro termino formam ſubſtantialem poſitiuam, & actio deſtructiua terminatur ad priuationem formæ at priuationem ens, & poſitiuum ſunt diſtincta realiter, ergo actio generatiua, & deſtructiua habent terminos realiter diſtinctos. Quinto probatur, nam ſicut ſe habet generatio ad

cor.

Digitized by Google

corruptionem,ita actio generatiua ad actionem corruptiuam, ſeu deſtructiuam,quandoquidem ſe conſequuntur pariformiter, ſed generatio abſque contradictione poteſt eſſe ſine corruptione, vel econuerſo, corruptio ſine generatione, quia non ſunt eadem mutatio, ex Doctore Subtili in ſecundo d.2.q.7. ſub D. & E,ergo etiam actio generatiua poterit eſſe ſine actione corruptiua, ſeu deſtructiua, vel econuersò, quia non ſunt eadem actio. Concludendum eſt igitur de mente Doctoris ſubtilis, generationem, & corruptionem, etiam in ratione actionis, eſſe diſtinctas realiter, quicquid contendat aſſerere Dominus meus Maſtrius etiam de mente Scoti loco ſupracitato in hac concluſione.

Obijcitur tamen multipliciter contra has concluſiones,& primò contra primam nàm generatio, & corruptio conueniunt in eadem diffinitione eſſentiali, ergo nequeunt diſtingui realiter. Conſequentia patet,quia diffinitio eſſentialis importat eſſe rei, ergo vna diffinitio vnam rem, & non plures. Antecedens probatur ex Ariſtotele in r. 23. vbi inquit: *Quando autem totum tranſmutetur, non manente aliquo ſenſibili,vt ſubiecto eodem, ſed vt ex genitura tota ſanguis, aut ex aqua aer, aut ex aere omni aqua generatio iam hoc tale, huius autem corruptio.* Ergo cum generatio, & corruptio conueniant in mutatione totius in totum, nullo ſenſibili manente, ſubiecto eodem, in quibus conſiſtit diffinitio, ſequitur habere eandem diffinitionem, & eſſe eandem mutationem.

Reſpondetur antecedens eſſe verum de eadem diffinitione in genere, non verò in ſpecie, quandoquidem generatio eſt mutatio totius in totum poſitiuum, corruptio verò totius in totum priuatiuum, quæ cum ſint diuerſi termini reales, & realiter ſeparabiles, conſtituunt generationem, & corruptionem mutationes realiter diuerſas, vt ſuperiùs dictum, & probatum fuit.

Obijcitur ſecundo quia acceſſus ad vnum locum, & receſſus ab alio eſt vnicus motus localis, ergo actio, ſeu mutatio, qua accedimus ad vnam formam illam generando, erit eadem cum illa, qua recedimus ab alia, illam corrumpendo. Conſequentia patet, cum ſit eadem ratio de motu, ac mutatione.

Reſpondetur negando antecedens, ſiquidem inquit Doctor Subtilis in 2. d. 2. q. 7. ſub D.& E, *ſicut generatio,& corruptio ſunt duo motus diſtincti, & habent proprios terminos diſtinctos, licet frequenter concurrant, & tunc ſunt quatuor termini, duo ſcilicet à quibus, vna priuatio, & vna forma, & duo termini ad quos, ſcilicet vna priuatio, & vna forma: Ita in motibus eſt receſſus à termino à quo, & acceſſus ad terminum ad quem: & tamen ſicut generatio abſque contradictione poteſt eſſe ſine corruptione, vel econuerſo, quia non ſunt eadem mutatio, ita poteſt eſſe motus, vel mutatio in quantum eſt acceſſus ad terminum ad quem, abſque alio motu, qui eſt receſſus à termino à quo.* Igitur ſecundum Scotum, non tantùm antecedens, ſed etiam conſequens ſunt neganda, quia huiuſmodi motus, ac mutationes acceſſus, & receſſus ſunt diuerſi, cum ſint inter terminos diuerſos realiter, vt explicatum eſt.

Obijcitur tertio contra tertiam concluſionem nàm quod deſinit eſſe ex vi poſitionis alterius, ſuccedens illi, dicitur in illud conuerti, ſed forma, quæ corrumpitur, ex vi poſitionis formæ nouæ per generationem, deſinit, & corrumpitur, ergo forma quæ corrumpitur dicitur verè conuerti in formam de nouo ſuccedentem per generationem ac proindè generatio eſt quædam partialis conuerſio. Maior patet, quia conuerſio, communiter diffinitur, quod ſit deſitio, terminata ad poſitionem alterius incompoſſibilis: Vel vt alij dicunt, eſt tranſitus vnius rei in aliam incompoſſibilem. Minor etiam clareſcit, quia forma, quæ corrumpitur, ideò deſinit eſſe, quia agens intendit ponere aliam incompoſſibilem in eadem materia, ergo quæ generatur de nouo, ſuccedit ex vi deſitionis illius.

Reſpondetur ex Doctore Subtili in 4. d. 11.q.3. ſub H. & q.4. infrà C. & Quol. 10. N. negando abſolutè maiorem, quia illud, quod deſinit eſſe, poteſt deſinere eſſe per corruptionem, ad quod ſuccedit aliud per generationem, & non per conuerſionem; modo conuerſio, & corruptio, ac generatio ſunt mutationes pœnitus diſtinctæ realiter, & abinuicem ſeparabiles, vt dictum eſt ſuperiùs. Neque diffinitiones allatæ admitti poſſunt, cùm non diſtinguant conuerſionem à generatione, & corruptione, in

Digitized by Google

quibus fit tranſitus à forma corrumpenda deſinente, ad aliam generandam in eadem materia, & tamen forma, quæ corrumpitur non conuertitur in formam, quæ de nouo generatur; ſiquidem conuerſio non ſupponit ſubiectum commune vtrique termino à quo, & ad quem, ſicut neceſſariò exigitur in generatione, & corruptione.

Vel dicendum ſecundo ex eodem ibidem, & in 2.d. 2. q. 7. ſub D. & E, minorem eſſe omninò falſam, quia forma deſinens eſſe, non deſinit ex vi poſitionis formæ nouæ, quia accidit, quod cum tali deſitione concurrat poſitio alterius formæ, ſiquidem vna poteſt ab alia ſeparari, vt dictum eſt cum Scoto in reſponſione ad præcedens argumentum; igitur quàmuis ad corruptionem vnius formæ ſequatur communiter generatio alterius, non propterea huiuſmodi tranſitus dicendus eſt conuerſiuus, cùm non ſit neceſſario deſitiuus ex vi poſitionis alterius.

Vel dicendum tertio negando conſequentiam illatam ex maiore, & minore tranſactis, ſiquidem conuerſio de neceſſitate exigit fieri inter terminos poſitiuos, generatio verò, & corruptio neceſſariò requirunt alterum priuatiuum; vndè licet ad poſitionem formæ generandæ præſupponatur deſitio formæ per corruptionem, quia huiuſmodi tranſitus non eſt inter terminos poſitiuos, ſed priuatiuos, propterea non eſt dicendus conuerſiuus vllo pacto, ſed generatiuus. Ita colligitur ex Scoto in 4.d.11. q.4. ſub C. §. *Contra iſtud, manifeſtum eſt quod panem non eſſe, non eſt formaliter corpus Chriſti eſſe hic, nec econuersò, quia poſſet panis non eſſe, corpore non poſito hic, & econuersò: ſimiliter non eſſe corporis hic, & eſſe, panem hic, non ſunt formaliter idem, ſed oppoſiti termini, ergo poſſumus habere duos tranſitus quiditatiue diſtinctos, quorum vterque habet ſuos proprios terminos, & tunc ſtat tota difficultas tacta de generatione, vt diſtinguitur à corruptione & de perſe formale diſtinctione huius deſitionis, vt diſtinguitur à poſitione corporis Chriſti*. En quomodo de mente Doctoris Subtilis, conuerſio non ſequitur ad poſitionem generationis, quàmuis hæc ſuccedat ad corruptionem, cùm poſſint à ſeinuicem ſeparari.

Obijcitur quarto ex communi Philoſophorum, ac Medicorum placito, quia alimentum intus ſumptum per nutritionem dicitur conuerti in ſubſtantiam aliti, virtute caloris naturalis agentis in illud, ſed nutritio huiuſmodi eſt generatio quædam partialis ex Doctore Subtili in ſecundo d. 19. q.vn. ſub A. & in tertio d. 16. q. 2. D. & in 4.d.44.q.1. ſub C.§. Quantum ergo ad iſtum articulum &c. ergo generatio eſt partialis conuerſio, & non mutatio diſtincta realiter ab eadem.

Reſpondetur ex eodem in citatis locis, maiorem ex ſe veram ſumendo conuerſionem pro quauis inductione formæ ſubſtantialis in materiam, & ſic non diſtinguitur à generatione, per quam aggeneratur vna pars noua, & vnitur parti præcedenti, vel toti, falſam verò ſi accipiatur conuerſio ſtricte, nimirum pro mutatione ſubſtantiali inter terminos poſitiuos; ſiquidem alimentum, cum per nutritionem tranſit in ſubſtantiam aliti, non tranſit cum materia ſub forma alimenti, ſed ſub priuatione formæ carnis, quæ per generationem nutritiuam vnitur parti præcedenti eiuſdem aliti; qua de cauſa talis mutatio nequit vocari conuerſio propriè, quin potiùs generatio largo ſumpta prout ſe extendit ad omnem formæ ſubſtantialis inductionem poſt priuationem. Vndè, cùm non ſumatur in propoſito, nec conuerſio, nec generatio propriè, non ſequitur alteram cum altera conuerti poſſe: adeò vt conuerſio poſſit dici quædam generatio, nec generatio quædam conuerſio, vt prætendit argumentum, ſed ſolùm poſſe de ſeinuicem efferri, accipiendo vtramque in ſua ampla ſignificatione.

Obijcitur quinto contra tertiam concluſionem quia corruptio non eſt actio, ſicut corrumpere non eſt agere; ex oppoſito verò generatio eſt actio, & generare eſt agere, ergo corruptio non eſt actio diſtincta realiter à generatione actione. Conſequentia tenet, quia diſtinctio realis, cùm ſit relatio realis, debet eſſe inter extrema exiſtentia realiter, ergo ſi corruptio non eſt actio realis, ſed ſolùm generatio realis eſt actio vera, nequit inter illas cadere diſtinctio realis. Antecedens probatur, quia per actionem aliquid attingitur ab agente, ſed per corruptionem nihil attingitur ab agente, cum eius terminus ſit priuatio

fo mæ

formæ corrumpendæ, & priuatio eſt nihil reale, ergo corruptio non eſt actio, & corrumpere non eſt agere. Maior probatur, quia actio eſt influxus agentis, ac influxus terminatur ad aliquid, ergo per actionem aliquid attingitur ab agente. Minor inſuper probatur, quia ſicut Deus non annihilat efficiendo, ſed ſubtrahendo concurſum ex Doctore Subtili in 4. d. 11. quæſt. 4 ſub N. 5. *Ad Auguſtinum reſpondeo, Deus nulla actione poſitiua annihilat rem, quia annihilare eſt deſinere creaturam conſeruare* ita agens naturale corrumpendo, id non efficit per peculiarem actionem à generatione diſtinctam. Confirmatur quia quemadmodum ens reale dicit entitatem poſitiuam in ſuo conceptu formali, & non diuiditur in ens reale poſitiuum, & priuatiuum, quinimo implicat in adiecto dicere ens reale priuatiuum, ita implicat actionem realem diuidi in poſitiuam, & priuatiuam realem; ac proindè dici nequit, quod actio realis ſit communis ad actionem poſitiuam, quæ ſit generatio, & ad actionem priuatiuam, quæ ſit corruptio.

Reſpondetur negando vltimam conſequentiam; neque rationes adductæ à Maſtrio, & Merinero, ex Doctoribus oppoſitæ ſententiæ nonnihil vrgent, vt à noſtra deflectere cogamur: vndè ad primam cui mukum inſiſtunt, negatur antecedens abſolute; ſiquidem actio realis diſtinguitur in productiuam, cuiuſmodi eſt generatio, & in deſtructiuam, vt eſt corruptio. Ad probationem concedimus per actionem aliquid attingi, vel poſitiuum, vel priuatiuum; modò per corruptionem, quamuis non attingatur aliquid poſitiuum cùm non ſit actio poſitiua, attingitur tamen aliquid priuatiuum, cùm ſit actio priuatiua, & realis, ſiquidem priuatio eſt ens reale priuatiuum, & non purum nihil, vt probauimus in Phyſicis Diſp. 5. q. 1. primi libri, vbi etiam oſtendimus, ens reale, de mente Scoti, dicere conceptum vniuocum enti reali poſitiuo, negatiuo, & priuatiuo, contra Maſtrium, & Merinerum. Ad probationem minoris, deſumptam ex Doctore Subtili, negamus conſequentiam, quæ infertur ex paritate; ſiquidem non eſt par ratio de Deo annihilante, & agente naturali corrumpente: Deus enim cum habeat in ſua poteſtate purum nihil, quod eſt negatio extra genus, ſicut poteſt ex nihilo dare eſſe rei, creando, nulla media actione de genere actionis præſuppoſita, ita poteſt aufferre eſſe, annihilando, per nullam actionem poſitiuam, verùm dumtaxat non conſeruando, cæterum agens naturale creatum, quia non habet poteſtatem ſuper terminis à quibus, & ad quos abſolutè, ſed tantum mediante actione de genere actionis, & mutatione circa paſſum, ſicut nequit dare eſſe formæ abſque actione generatiua poſitiua, ita non poteſt ab ea tollere eſſe, abſque actione deſtructiua priuatiua, vt docet idem Scotus citatus in eadem quæſtione, vbi ponit differentiam inter annihilationem, & corruptionem. Ad confirmationem patet reſponſio ex dictis; nàm ſi Dominus meus Maſtrius, & Merinerò meliùs perpendiſſet doctrinam Scoti in primo d. 23. q. vn. E. H. d. 28. q. 1. & 2. B. C. D. & in 4. d. 16. q. 2. ante E vbi diſtinguit ens reale in poſitiuum, negatiuum, & priuatiuum non tàm facilè dixiſſent quod ens reale in ſuo conceptu formali importat ſolùm entitatem poſitiuam; quin potiùs poſuiſſent conceptum formalem entis realis in habere eſſe independenter ab opere intellectus, quia ſic vniuocaſſent in eo omnia entia, quæ habent eſſe præciſo opere intellectus, ſiuè ſint poſitiua, ſiuè negatiua, aut priuatiua. Ex quo infertur quàm ſit alienum à Scoto negare actionem diuidi, ac partiri poſſe, & debere in actionem realem poſitiuam, & priuatiuam, cùm omnes contineantur vniuoce ſub ente reali in communi.

Obijcitur Sexto ex Scoto in 4. d. 13. q. 1. actio formaliter accepta dicit reſpectum agentis transmutantis ad paſſum transmutatum; actio verò pro materiali importat formam, ſecundum quàm paſſum reſpicit agens transmutans, ſed numquam reſultat actio pro formali in agente, niſi poſita forma in paſſo, vt docet Scotus ibidem, ac in primo d. 35. q. vn. L. & in 4. d. 1. q. 2. E. ergo cum per actionem deſtructiuam nihil ponatur in paſſo, conſequenter falſum erit dicere, quod in agente ſit vera actio pro formali ſumpta, quæ dicatur corruptiua, vel deſtructiua.

Reſpondetur, quod per actionem

 cor-

Digitized by Google

corruptiuam, licet non ponatur in paſſo aliquid poſitiuum, ponitur tamen aliquid priuatiuum, & hoc ſufficit, vt per ipſum reſultare poſſet reſpectus in paſſo transmutato ad agens tranſmutans per actionem deſtructiuam formæ corrumpendæ.

Vtrum Generatio, & Corruptio ſeruent Ordinem inter ſe, vt generatio vnius ſit corruptio alterius, vel econuerſo, corruptio vnius ſit generatio alterius?

QVÆSTIO III.

Circa hanc quæſtionem, quam de facto exagitare intendimus, & non de poſſibili, adſunt varia Doctorum placita; nàm aliqui conſiderantes non poſſe induci aliquam formam in materiam, niſi ab ea expellatur, quam habet, aſſerunt corruptionem eſſe priorem generatione, ita vt hæc ſit vera, & cauſalis: corruptio vnius eſt generatio alterius, hoc eſt, ideò noua forma gignitur, & introducitur in materia, quia antiqua expellitur ab ea. Ita ex noſtris Rubionus in 2. d. 12. qu. 4. art. 2. Faber in Philoſophia naturali Theor. 40. & in 4. d. 14. q. 2. Diſp. 17. cap. 3. quos videtur ſequutus Ateſius 1. lib. de Gener. q. 22.

Alij verò perpendentes, quod agens per ſe intendit generationem, & per accidens duntaxat corruptionem formarum, oppoſitum aſtruunt, nempe generationem formæ, & eius introductionem in materia eſſe priorem corruptione formæ præexiſtentis, ita quod iſta cauſalis ſit abſolute vera: ideò eſt corruptio vnius formæ, quia eſt generatio alterius formæ. Sic Suarez in Metaphy. Diſp. 27. Sect. 11. num. 21. Hurtadus de Gener. Diſp. 1. ſect. 9. Arriaga Diſp. 8. Phyſic. ſect. 1. Auerſa q. 10. ſect. 5. & q. 37. ſect. 7. quos reffert, ac ſequitur Maſtrius hic Diſp. 5. qu. 4. num. 106. & 107. ac in Phyſicis Diſp. 5. qu. 3. ar. tertio vbi citat Mayronium in 4. d. 1. q. 4. Doctorem Subtilem in 2. d. 1. q. 3. ad tertium princip. & in 4. d. 1. q. 5. ſub F. & d. 43. q. 5. art. 2.

Alij tandem diſtinguunt diuerſa genera cauſarum ſcilicet efficientis, formalis, & materialis, cenſentque in genere cauſæ efficientis, generationem, & introductionem formæ nouæ præcedere corruptionem, & expulſionem antiquæ, adeo quod hæc ſit vera: generatio vnius formæ eſt cauſa corruptionis alterius: Cæterum in genere cauſæ materialis oppoſitum aſtruunt; ſiquidem aiunt corruptionem, & expulſionem formæ antiquæ à materia eſſe cauſam generationis formæ nouæ, ita quod ſit verum dicere: corruptio vnius eſt generatio alterius. Ita D. Thomas 1. 2. q. 113. art. 8. ad primum quem ſequuti ſunt communiter eius Diſcipuli vt notant Complutentes hic Diſp. 3. qu. 5. Ruuius Tract. 2. qu. 5. & alij, quorum meminit Faber de Pœnitentia Diſp. 17. cap. 1. & tertio.

Quid autem ſit nobis dicendum, ſecundum veram, & genuinam mentem Doctoris Subtilis, non eſt ita clarum, quia ſi perſpiciatur eius Doctrina, quam tradidit in ſecundo d. 1. q. 3. ſub L. & in 4. d. 1. q. 5. ſub F. & d. 43. q. 5. art. 2. per totum, videtur fauere, ſecundæ opinioni, quam ſequutus fuit Maſtrius citatus ibidem num. 107. ſin autem attendatur ad ea, quæ docuit in 4. d. 1. q. 6. ſub F. & d. 16. q. 2. ſub S. colligitur, illum fauiſſe primæ ſententiæ, cui adhæſit poſt relatos Doctores, etiam Rubens de Generatione & Corruptione Diſp. 9. q. 6. §. Dicendum eſt. Nihilominus quibuſdam de more adnotatis noſtrum etiam proferemus placitum pro viribus, & conformius, qua poterimus, Doctrinæ Scoticæ.

Primo igitur notandum eſt, ex eodem Doctore Subtili in præcitatis locis hic, & in præcedenti quæſtione hanc difficultatem poſſe à nobis exagitari, & de poſſibili, & de facto. Si priori modo attendatur, cùm inter generationem, & corruptionem nullus detur reſpectus exiſtentiæ prioris, vel poſterioris, cauſæ, vel effectus aut dependentiæ eſſentialis, quandoquidem ſunt mutationes, & actiones abinuicem ſeparabiles, vt oſtendimus in ſuperioribus cum Scoto, conſequenter dicendum eſt, nullum adeſſe ordinem inter ſe, vt vna poſſit inferre alteram, iuxta effatum Ariſtotelicum: corruptio vnius eſt generatio alte-

alterius, vel econuerſo; generatio vnius eſt corruptio alterius: ſiquidem poſſet dari ſtatus in alterutra. Si verò pertractetur difficultas poſteriori modo, hoc contingere poteſt dupliciter, vel loquendo de ordine intentionis, vel executionis. Si de priori ſit ſermo, cùm generatio formæ nouæ ſit per ſe intenta ab intentione agentis, & corruptio formæ antiquæ ſolum per accidens, concludere debemus, generationem fore priorem natura corruptione. Si verò agatur de poſteriori, cùm nulla forma noua induci poſſit in materiam, ſi prius, ſaltem natura non fuerit forma, quam habet, expoliata, dicendum eſt, corruptionem formæ præexiſtentis eſſe priorem naturaliter generatione formæ ſubſequentis; adeò quod in priori ſenſu, propoſitio Ariſtotelis ſit vera: generatio vnius eſt corruptio alterius; & in poſteriori, econuerſo ſe habeat, nimirum corruptio vnius eſt generatio alterius; ſiquidem quemadmodum ordine intentionis, generatio formæ eſt cauſa, & corruptio formæ præexiſtentis eſt effectus; ſic per oppoſitum, ordine exequutionis, corruptio formæ præexiſtentis eſt cauſa, & generatio formæ nouæ, incumpoſſibilis priori, eſt effectus: ordo namque executionis, inquit Scotus pluribus in locis, eſt contrarius ordini intentionis. Ex hac diſtinctione, putamus poſſe conciliari primam, & ſecundam opinionem, & loca Doctoris Subtilis, quæ eiſdem fauere videntur, in vnum redigere.

Secundo Notandum ex aliàs ſæpius obſeruatis, prioritatem, vt ad præſens ſpectat, eſſe duplicem, ſcilicet temporis, & naturæ. Prioritas temporis, repetitur inter illa, quorum vnum exiſtit, in tempore priori, quam aliud. Prioritas verò naturæ attenditur in ijs, quorum vnum eſt cauſa exiſtentiæ alterius, etiam in eodem inſtanti temporis. Ad propoſitum noſtrum, ſi loquamur de prioritate temporis, certum eſt, has mutationes non poſſe adinuicem ordinari, vt vna ſit prior alia, cùm ambæ, communiter loquendo habeant eſſe in eodem inſtanti temporis; alioquin ſi gigneretur forma ignis, priuſquàm corrumperetur forma ligni, darentur ſimul in eadem materia duæ formæ ſubſtantiales; quod implicare, etiam diuinitùs, aliàs oſtendimus: aut ſi corrumperetur prius tempore forma ligni, antequam eſſet genita in eadem materia forma ignis, daretur, pro aliquo tempore, materia denudata omni forma ſubſtantiali, quod pariter eſt naturaliter impoſſibile, & contra ordinem vniuerſi, vt demonſtrat Ariſtoteles in textu 15. 16. 17. & 18. huius primi libri, ac alibi pluribus in locis. Si verò ſit ſermo de prioritate naturæ, dicimus illas ordinari, vel ordine intentionis, vel executionis, vt vna ſit cauſa exiſtentiæ alterius, vt concludimus in præcedenti notabili.

Tertio Notandum eſt, generationem, & corruptionem dupliciter conſiderari poſſe, vno modo pro inductione nouæ formæ in materiam, ac prodeſitione formæ antiquæ ab eadem: alio modo pro diſpoſitionibus præcedentibus inductionem, vel deſitionem formarum. Si priori modo conſiderentur, certum eſt fieri in eodem inſtanti temporis, in quo prius natura inducitur forma noua, expellens formaliter antiquam ob incompoſſibilitatem, quam habet cum illa, vt dicit ſecunda opinio, vel in quo prius natura expellitur ab agente forma antiqua è materia, vt locum relinquat formæ inducendæ, ſicut tenet prima ſententia. Si verò poſteriori modo ſpectentur, nulli dubium eſt, tàm generationem, quàm corruptionem fieri in tempore; ſiquidem huiuſmodi diſpoſitiones, cùm fiant per mutuam actionem, & paſſionem contrariarum qualitatum adinuicem dimicantium, quæ exigunt motus, & motus tempus, conſequenter dicendum eſt, generationem, & corruptionem, hoc pacto ſumptas exiſtere in tempore per actionem veram, & realem agentis introducentis formam nouam, & expellentis antiquam. Sic docet Doctor Subtilis in ſecundo d.19.q. vn. §. Concedo & in 3.d.16. q. 2. C. & §. ſed contra iſta; & in 4.d.1.q.5. ſub F. & d. 43.q. 5. §. de ſecundo art. ſub B. & C. ac alibi pluries.

Quarto Notandum eſt ex Scoto in 2.d.1. q.3. ſub L. effatum Ariſtotelicum, quo nititur ſtabilire perpetuitatem generationum in mundo, nimirum. Generatio vnius eſt corruptio alterius; vel econuerſo: Corruptio vnius eſt generatio alterius, poſſe tripliciter conſiderari ſcilicet formaliter, cauſaliter, & concomitanter. Si primo modo conſideratur, nequit habere veritatem, ſiquidem, vt ſuperius prædictum eſt, generatio, & corruptio ſunt duæ mutationes realiter diſtinctæ, ac à ſeinuicem ſeparabiles,

les, quarè impoſſibile eſt, vt vna prædicetur de alia in recto, dicendo, generatio eſt corruptio, vel corruptio eſt generatio. Si verò ſecundo modo attendatur, poteſt habere veritatem, aut in ordine intentionis, aut in ordine executionis, vel per ſe, vel per accidens; quandoquidem generatio vnius formæ ſubſtantialis, intenta ab agente, eſt cauſa, vel formalis, vel efficiens, ſaltem per accidens, vt corrumpatur forma, cui eſt incompoſſibilis forma genita, & intenta ab agente, alioquin duæ formæ diſparatæ poſſent ſtare ſimul, etiam naturaliter, quod eſt inpoſſibile. Si tandem ſpectetur tertio modo haber pariter veritatem; nàm ad generationem, vel corruptionem vnius formæ in materia, concomitatur generatio, vel corruptio alterius formæ in eadem materia, nè cogamur admittere, aut duas formas ſubſtantiales diſparatas ſimul, aut materiam denudatam ab omni forma, ſaltem per aliquod ſpatium, vel inſtans temporis, quæ ſotent inconuenientia in ſententia Ariſtotelis.

Quinto Notandum eſt ex eodem ibidem, & in 4.d.1. q.5. ſub F. quod licet Ariſtoteles protulerit ſuum axioma de generatione, & corruptione ſimpliciter, ſeù ſubſtantiali, tamen extendi poteſt ad generationem, & corruptionem ſecundum quid, ſeu accidentalem, vt corruptio vnius accidentis inferat generationem alterius in eodem ſubiecto, vel econuersò, generatio vnius accidentis inferat corruptionem alterius in eodem: ſeruata tamen hac lege, vt accidentia generanda, & corrumpenda ſint incompoſſibilia ad exiſtere ſimul, vt ſunt calor, & frigus; alioquin ſi loquamur de accidentibus, quæ non exigunt incompoſſibilitatem cum alijs, non erit verum dicere, generatio vnius eſt corruptio alterius, aut corruptio vnius eſt generatio alterius: lumen enim gignitur abſque corruptione alterius & impulſus in proiectis corrumpitur ſine alterius generatione: ſimiliter ſonus deſinit abſque alterius generatione, vt experientia comprobari poteſt in his, & in alijs eiuſdem rationis.

Seſto Notandum ex eodem Doctore Subtili in 4.d.11.q 1. B.C. & q.3. art. 2. generationem, & corruptionem compatari poſſe, vel ad terminum formalem, hoc eſt ad formam ſubſtantialem, quæ educitur de materia, vel ad totalem, ideſt ad compoſitum, coaleſcens ex materia, & forma. Si compararetur ad formam ſubſtantialem, cùm in viuentibus reperiatur duplex, altera, quæ dat eſſe corporeum, & appellatur corporeitatis: altera, quæ dat eſſe viuens, & eſt anima ſenſitiua, vel vegetatiua, *diuerſimode* reſpondendum eſt de veritate, aut falſitate Aziomatis Ariſtotelici; nam generatio formæ ſubſtantialis in habentibus tantùm formam priorem, infert, vel cauſaliter, vel concomitanter corruptionem alterius formæ, & econuerſo, corruptio vnius infert generationem alterius formæ eiuſdem rationis. Aſt in viuentibus non valet, quia corrupta anima ſenſitiua, aut vegetatiua, vel abſcedente anima rationali, nil gignitur de nouo, ſed remanet corpus mixtum coaleſcens ex materia prima, & forma corporeitatis; quod erat altera pars totius viuentis, ſeù animati. Si autem comparentur huiuſmodi mutationes ad compoſitum ſubſtantiale, axioma non valet, ſiquidem ad generationem totiùs compoſiti; nihil, quod habeat rationem totius categorematici corrumpitur: & ad corruptionem totius compoſiti categorematici, nullum aliud compoſitum de nouo generatur, quicquid dicant Thomiſtæ de cadauere, & eius forma vicaria; quandoquidem, vt docet Scotus in 4.d.11.q. 3. §. Alij concedentes concluſionem &c. ſub. Q. nihil ſubſtantiale de nouo acquiritur, verùm ſola denominatio inſurgit cadaueris, & eius formæ, quæ in viuente præcedebant ſub alijs nominibus.

Ex his ſit prima concluſio. Generatio, & corruptio, ſi attendantur tantum de poſſibili, nullum præſeferunt inter ſe ordinem prioritatis, & poſterioritatis. Colligitur ex Doctore Subtili in 2. d. 1. q. 3. ſub L. ac alijs in locis, quos adnotauimus in præcedenti quæſtione. Probatur, nàm quæcumque poſſunt habere eſſe exiſtentiæ cum independentia vnius ab alio, nullum coguntur ſubire ordinem prioritatis, & poſterioritatis in eorum exiſtentia, ſed generatio, & corruptio ſic ſe habere poſſunt, vt vna exiſtere valeat independenter ab alia, ergo nullum coguntur ſubire ordinem prioritatis, & poſterioritatis, quoad earum exiſtentiam. Maior patet per oppoſitum, quia ſicut dependentia vnius ab alio infert ordinem prio-

prioritatis, & poſterioritatis, vt patenter deprehenditur inter cauſam, & effectum, ita per oppoſitum independentia tollit ordinem prioris, & poſterioris inter illa quo ad exiſtere. Minor probatur, quia forma Cœli habuit eſſe per generationem, vt oſtendimus in primo Phyſicorum Diſp. 4. q. 2. & nunquam habitura eſt non eſſe per corruptionem, vt pariter probauimus in 8. Phyſicorum Diſp. 1. q. 4. Similiter mixta aliquando reſoluenda ſunt per corruptionem in elementa, & in his dari ſtatum, ergo tàm generatio, quàm corruptio poſſunt habere eſſe & non eſſe exiſtentiæ independenter à ſeinuicem. Secundo quia intantum mutationes ſe concomitantur, inquantum terminus *ad quem* vnius, poteſt eſſe terminus à *quo* alterius, ſed poteſt dari aliqua generatio termini *ad quem*, qui non ſit terminus à *quo* alicuius corruptionis, ergo poteſt dari generatio abſque concomitante corruptione, & econuerſo, ac proindè ſine vllo ordine prioritatis, ac poſterioritatis ad ſeinuicem. Maior patet ex natura mutationum ſe concomitantium, vt docet Ariſtoteles 5. Phyſicorum t. 7. Minor vero clareſcit ex præcedenti probatione, & ex tertia probatione primæ concluſionis poſitæ in præcedenti quæſtione ſecunda.

Secunda Concluſio. Supponendo de facto dari generabile, & corruptibile in rerum natura, vt videtur ſupponere Philoſophus in textu 17. huius primi libri Generatio, in ordine intentionis, eſt prior naturaliter corruptione. Hæc verò eſt prior naturaliter illa in ordine executionis. Ambæ verò exiſtunt in eodem inſtanti temporis. Colligitur tota concluſio ex Doctore Subtili in præcitatis locis, & præſertim in 2. d. 1. q. 3. L. & in 4. d. 43. q. 5. §. de ſecundo dico &c. ſub B. & C. & d. 16. q. 2. ſub S. Probatur prima pars, quia illud eſt prius natura alio, ordine intentionis, quod prius intenditur ab agente naturali, & illud eſt poſterius, quod poſterius intenditur ab illo, ſed generatio formæ nouæ, & eius introductio in materiam, prius natura intenditur ab agente naturali, & poſterius natura intenditur corruptio, & expulſio formæ antiquæ ab eadem materia, ergo in ordine intentionis generatio eſt prior natura corruptione. Maior probatur, quia agens naturale agit propter finem, & finis, in ordine intentionis, eſt prior intentus ab eo, quam ea, quæ ſunt ad finem, vt docet Ariſtoteles ſecundo Phyſicorum t. 78. 80. & 81. ergo illud eſt prius natura alio, quod habet rationem finis, & prius intenditur ab agente naturali. Minor probatur, quia formæ nouæ generatio, & eius introductio in materiam prius natura intenditur, quàm corruptio formæ præexiſtentis, imò hæc intendit ſolùm per accidens, quatenùs nimirum impedit introductionem formæ ab eo perſe intentæ, ergo generatio formæ nouæ eſt prior natura, corruptione formæ antiquæ. Conſequentia probatur ex Ariſtotele t. 66. vbi inquit, *nihil autem ſecundum accidens eſt prius iis, quæ perſe ſunt; manifeſtum eſt, quod neque cauſa per accidens, prior eſt ea, quæ eſt per ſe*. Ergo cùm corruptio formæ ſit cauſa per accidens, & ſolum reſpiciatur per accidens ab agente generante, quod per ſe ſe gerit in generatione formæ nouæ, ſequitur corruptionem formæ antiquæ eſſe poſteriorem natura generatione formæ nouæ. Antecedens probatur, quia terminus totalis generationis eſt compoſitum ex materia, & forma ex Ariſtotele 7. Metaph. t. 26. ergo agens naturale generans, & intendens compoſitum, debet prius natura generatio formam nouam, quæ cum materia præexiſtenti, conſtituit compoſitum, ergo generatio formæ nouæ, & eius introductio, prius natura intenditur, quam corruptio formæ antiquæ, cum, vel ipſa ſola intendatur ab agente generante, vel in priori ſigno naturæ, antequam moliatur deſtructionem formæ antiquæ, ſuæ nouæ incompoſſibilis. Secunda pars probatur, tùm quia ordo executionis eſt contrarius ordini intentionis; hic enim reſpicit finem, per media poſtea conſequendum; ille verò media ordinata ad aſſecutionem finis, atqui forma noua intenta ab agente generante habet rationem finis, nequitque introduci in materiam eandem, ſi prius non fuerit expoliata forma, quam habet per corruptionem, ergo corruptio illius debet in priori ſigno naturæ præcedere introductionem alterius formæ nouæ; alioquin duæ formæ diſparatæ, & incompoſſibiles poſſent naturaliter conſiſtere ſimul in eadem materia, quod nemo conceſſerit: tùm etiam, quia materia eſt primum ſuſceptiuum formæ ſubſtantialis, atqui non poſſet eſſe primum ſuſcepti-

uum formæ ſubſtantialis nouæ, niſi prius antiquam exueret, ergo in ordine executionis, prior debet corruptio formæ exiſtere in materia, quàm generatio formæ nouæ. Maior patet ex alias probatis in primo Phyſicorum diſp. 4. q. 4. quandoquidem etſi ex imperfectione agentis, vt plurimum præcedere debeant nonnullæ diſpoſitiones in fieri formæ introducendæ in materia, non tamen exiſtere debent in facto eſſe, ergo materia nuda eſt primum ſuſceptiuum formæ ſubſtantialis alioquin compoſitum non eſſet ens per ſe, ſed peraccidens, vt oſtendit Ariſtoteles in textu contra Antiquos. Tertia pars probatur, quia generatio formæ nouæ, & corruptio antiquæ, in eadem numero materia non fiunt in tempore, ergo in inſtanti, non naturæ, vt probatum eſt, igitur in inſtanti temporis. Antecedens eſt notum ex deductis in 4. Not. Alioquin in aliquo temporis ſpatio, vel materia poſſet eſſe ſimul ſub duabus formis incompoſſibilibus, vel ſub neutra, ac proinde denudata omni forma, quæ ſunt naturaliter ambo impoſſibilia, vt demonſtrat Ariſtoteles contra Antiquos, quare protulit in t. 17. Generatio vnius eſt corruptio alterius, & econuerſo, nè detur materia otioſa in ſuſceptione formarum, ergo inferendum eſt, generationem, & corruptionem ſimpliciter fieri in inſtanti temporis; & non in aliquo temporis ſpatio.

Tertia Concluſio. Generatio, & Corruptio ſumptæ pro diſpoſitionibus formæ introducendæ, vel expellendæ à materia, fiunt in tempore effectiuè ab agente naturali, & formaliter à qualitatibus contrarijs. Eſt Scoti in 2.d.19.q.11.§.Concedo §.& in 3.d. 16. q.2.C.& §.Sed contra iſta. Et in 4. d. 1. q. 5. ſub F.& d 43.q.5.att.2.ſub B.& C. ac d. 44. q. 1. §. Quantum ergo ad iſtum articulum &c. ſub E. Probatur prima pars, quia actiones, quæ fiunt per motum, fiunt in tempore; quandoquidem tempus eſt menſura motus ſecundum prius, & poſterius, ex Ariſtotele 4. Phyſicorum à t. 106. vſque ad t. 112. ſed diſpoſitiones requiſitæ ad introductionem formæ in materiam, & ad expulſionem formæ præexiſtentis ab ea, ſunt actiones quæ fiunt ab agente naturali per motum, ergo fiunt in tempore. Minor experientia comprobatur, ſiquidem ignis, priuſquam introducere valeat propriam formam in materiam ligni, agit in lignum per calorem, illud deſicando, & expellendo abeo frigus, & humidum oppoſitum, ſed in tali actione fit motus alterationis, per tranſitum ab vna qualitate ad alteram qualitatem contrariam, ergo tales diſpoſitiones fiunt per motum alterationis: Deindè qualitates contrariæ dimicando ad ſeinuicem, ſuis actionibus inducunt reſiſtentiam vnius contra aliam, agendo, & reagendo, ita tamen, vt fortior ſuperet debiliorem, ac tandem illam deſtruat, ſed in talibus actionibus vnius, & reactionibus alterius, conſiſtunt diſpoſitiones, vtriuſque formæ, & introducendæ, & expellendæ à materia. Ergo diſpoſitiones generatiuæ, & corruptiuæ fiunt in tempore. Conſequentia tenet, quia actiones, & reactiones qualitatum actiuarum ad ſeinuicem dimicantium, nequeunt eſſe abſque motu, ac proinde cum tempore. Secunda pars probatur ſimul cum tertia à Doctore Subtili in 4.d.1. q. 5. ſub F. vbi inquit: *Vbicumque eſt formalis incompoſſibilitas in creatura, vnum illorum non expellit aliud actiuè, ſed tantum formaliter; agens autem vnum inducens effectiuè, expellit aliud effectiuè; qualitates contrariæ reſpectu eiuſdem ſubiecti, videntur habere incompoſſibilitatē formalem, ergo idem agens effectiuè indocuit calorem, ita effectiuè expellit frigus, non autem effectiuè calor expellit frigus ſed tantum formaliter, ob inco npoſſibilitatem, quam habent reſpectu eiuſdem ſubiecti.* Et ibidem d. 43. q. 5. ſub C. addit: *Sicut nec calor in ligno expellit effectiuè frigus à ligno, ſed ipſum calidum, quod effectiuè cauſat calorem in ligno, effectiue expellit frigus ab eo.* Ergo diſpoſitiones formæ generandæ, & introducendæ in materiam, ac formæ corrumpendæ, & expellendæ ab ea, fiunt effectiuè ab agente generante; formaliter verò à qualitatibus contrarijs, & incompoſſibilibus in eadem ſimul, in tempore, & non inſtanti temporis. Secundo probatur, quia effectus in genere cauſæ formalis, ſupponit ſemper cauſalitatem efficientis; ſiquidem nulla forma per ſe ineſt ſubiecto, aut abeſt ab eo, ergo ad incompoſſibilitatem in genere cauſæ formalis, concurrit etiam efficiens efficiendo. Nec valet dicere, cauſam efficientem exigi ad introductionem formæ, non verò ad expulſionem alterius, quandoquidem cauſalitas effectiua nequit eſſe circa productionem vnius, niſi ſit etiam circa expulſionem alterius,

Digitized by Google

rius, maximè quando illud eſt impeditiuum exiſtentiæ effectus prioris; patet enim à ſimili, quod agens nequit locare effectiuè vnum corpus in vno loco, ſi prius non expellat aliud corpus impeditiuum ab eodem, ergo ad incompoſſibilitatem effectus in genere cauſæ formalis, prærequiritur cauſalitas agentis in genere cauſæ efficientis; ac proindè huiuſmodi cauſalitates, formalis, & effectiua ad inuicem ſe comitantur, ita quod ſi vna ponatur in eſſe formaliter, altera neceſſariò ponenda eſt effectiuè; mutuò enim ſic ſe iuuant.

Quarta Concluſio. Axioma Ariſtotelicum: Corruptio vnius eſt generatio alterius, & èconuersò: Generatio alterius eſt vnius corruptio, non eſt verum formaliter, ſed tantum cauſaliter, & concomitanter, modis explicatis in Notabilibus. Eſt Scoti in præcitatis locis, & ferè communis omnium contra Achillinum lib. 2. de Elementis ar. 3. Probatur prima pars, tùm quia vnum diſparatum nequit formaliter prædicari de altero diſparato, vt patet ex diffinitione oppoſitionis diſparatæ, quam dedimus in logica lib. Prædicam. Diſp. 10. q. 1. ex Scoto 5. Metaph. ad tex. cap. 10. n. 78. & in primo Sent. d. 11. q. 2. ſub D. & in Prædicam. q. 38. tùm etiam, quia duo diſparata ſunt incompoſſibilia ad eſſe ſimul in eodem, vt habetur ex eodem in citatis locis, ſed generatio, & corruptio, ſunt duæ mutationes diſparatæ formaliter, & etiam ſubiectiuè, ergo nequeunt de ſe inuicem prædicari, neque ſimul ſe compati in eodem, ac proinde non poteſt verè dici formaliter: Corruptio vnius eſt generatio alterius; vel econuerſo; generatio vnius eſt corruptio alterius. Minor patet ex dictis in duabus præcedentibus quæſtionibus. Secunda Pars ſimul cum tertia remanent ſufficienter declaratæ in 4. & 6. Not. vbi oſtendimus neceſſitatem concomitantiæ harum mutationum, ob incompoſſibilitatem duarum formarum ad eſſe ſimul in eadem materia, aut ob impoſſibilitatem denudationis materiæ, ab omni forma, vi agentis naturalis, ergo ne naturaliter concedere cogamur hæc duo impoſſibilia in natura, dicendum eſt, generationem vnius eſſe cauſam, ſaltem per accidens, corruptionis alterius, & econuerſò; vel vnam ad alteram quoquo modo ſequi concomitanter, ſiquidem, quemadmodum ad generationem, & introductionem vnius formæ in materiam, ſequitur expulſio per corruptionem alterius ſibi incompoſſibilis ab ea, ſic per corruptionem vnius formæ in materia, neceſſariò ſequi debet generatio alterius ſibi incompoſſibilis, adeò vt ita ſeinuicem alternatim comitentur, nè pereat generationum, & corruptionum ſubſtantialium ſeries.

Quinta Concluſio. Huiuſmodi axioma valet in generatione, & corruptione, tùm formæ, tum compoſiti ſubſtantialis in rebus inanimatis; ſecus in viuentibus, in quibus reperitur duplex forma ſubordinatim poſita. Eſt Scoti in 4. d. 11. q. 3. art. 2. & omnium eorum, qui in viuentibus, præter animam, ponunt formam mixtionis, ſeù corporeitatis. Probatur prima pars, quia, cum duæ formæ ſubſtantiales, diſparatæ, ſint incompoſſibiles ſimul in eadem materia, vel ad corruptionem vnius, alia ſuccedit, vel non: ſi ſuccedit, & non niſi per generationem, habetur intentum, quod corruptio vnius eſt generatio alterius; ſi non ſuccedit, ergo manet materia nuda expoliata omni forma, ſed hoc, naturaliter loquendo, diu non poteſt, vt ſuperius oſtendimus cum Ariſtotele, igitur dicendum eſt, aliam formam per generationem ſuccedere, & ſic ad corruptionem vnius formæ, ſequi generationem alterius. Secunda pars probatur, quia totum compoſitum, ſicut corrumpitur ad corruptionem formæ, ſic ad formæ generationem in materia, gignitur etiam compoſitum, ergo quemadmodum corruptionem vnius formæ ſubſtantialis, concomitatur alterius generatio, ſic ad vnius compoſiti ſubſtantialis deſtructionem, ſequi debet alterius compoſiti poſitio per generationem. Tertia pars probatur ſimul cum quarta quandoquidem ad corruptionem compoſiti totalis, ſicut non eſt neceſſe gigni nouum compoſitum totale, vt patet in morte cuiuslibet viuentis, ſic ad corruptionem, vel ſeparationem animæ, non eſt neceſſe gigni aliquam formam in materia, cùm remaneat forma corporeitatis, quæ in generatione hominis, vel animalis, prius debet eſſe corporeum, quàm animatum per animam ſibi aduenientem. Nec valet dicere, quod in corruptione totius animalis, quemadmodum remanet cadauer, quod eſt totum genitum in interitu illius, ita gignitur forma cadaueris ad corruptionem animæ ſenſitiuæ, vel ſeparatio-

Digitized by Google

nem intellectiuæ à materia; non valet inquam, quia ſicut falſum eſt, cadauer eſſe quoddam totum de nouo genitum, diſtinctum à corpore, quod informabatur ab anima, ſic ficititium eſt dari de nouo formam, quam vocant vicariam, genitam ad corruptionem, vel ſeparationem animæ à materia, ſiquidem, vt oſtendimus in 2. de Anima Diſp. 1. q. 3. ex Scoto in 4. d. 11. q. 3. art. 2. in quolibet viuente, neceſſitatem admittendi formam corporeitatis diſtinctam ab anima, ſic debemus concludere, poſſe dari in viuentibus corruptionem, vel generationem vnius totius abſque corruptione, vel generatione alterius, & conſequenter etiam poni poſſe generationem, vel corruptionem vnius formæ, ſine generatione, aut corruptione concomitante alterius formæ ſubſtantialis.

Sexta Concluſio. Quàmuis Ariſtoteles protulerit illud axioma: *Generatio vnius eſt corruptio alterius*, & econuersò, corruptio vnius eſt generatio alterius de ſubſtantijs, ſiuè totalibus, ſiuè partialibus, ſicut hactenus oſtendimus, tamen poſſe extendi etiam ad accidentia aſſerimus cum Doctore Subtili in 2. d. 1. q. 3. L. & in 4. d. 1. q. 5. ſub F. ac alibi; non quidem ad omnia, ſed tantùm ad ea, in quibus eſt incompoſſibilitas formalis, vt poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Probatur prima pars, quia ſpecies ſenſibiles, & lux poſſunt gigni, & in medium produci abſque deſitione, vel corruptione alterius accidentis ſibi incompoſſibilis: ſimiliter impulſus, & ſonus poſſunt deſinere eſſe abſque generatione aliorum accidentium ſibi incompoſſibilium, ergo in talibus non valet axioma Ariſtotelicum: Generatio vnius eſt corruptio alterius, vel corruptio vnius eſt generatio alterius. Conſequentia patet, quia tale axioma valet duntaxat vbi eſt contrarietas poſitiua, vt docet Ariſtoteles hic in t. 20. at huiuſmodi accidentia carent contrarietate poſitiua, vt patet, ergo tale axioma nequit in talibus verificari. Secunda pars facilè ſuadetur, quia contraria ſe expellunt ab eodem ſubiecto ob incompoſſibilitatem, quam habent exiſtendi ſimul, vt patet de caliditate, & frigiditate, humiditate, & ſiccitate, ac ſimilibus, ex diffinitione contrariorum, ergo generatio vnius in ſubiecto infert corruptionem alterius; eiuſque expulſionem ab eodem; & econuersò, corruptio vnius infert generationem alterius in eodem. Conſequentia patet, quia incompoſſibilitas duorum contrariorum in ordine ad idem ſubiectum, vel eſt formalis, vel effectiua, ſi formalis, introductio vnius expellit aliud formaliter, & ſic vnum dicitur formaliter gigni in eodem, & aliud formaliter corrumpi, ſi verò ſit effectiua, vnum ponitur à generante in ſubiecto, & aliud ab ipſo expellitur, & ſic generatio vnius infert corruptionem alterius, & corruptio vnius aduocat ad ipſum alterius generationem; non ſimpliciter, quia hæc eſt tantum in ſubſtantijs, ſed ſecundum quid, cùm hæc poſſit eſſe in nonnullis accidentibus.

Obijcitur primo contra primam & ſecundam Concluſionem, probaturque generationem eſſe ſimpliciter priorem corruptione formæ præexiſtentis, nedum ordine intentionis, verum etiam executionis, quia illud primo producitur, & inducitur in aliquo ab agente naturali, quod primò intenditur ab eo, quàm illud, quod ſecundariò, & virtute primi intenditur, ſed agens naturale primò intendit productionem, & introductionem formæ nouæ in materiam, quam expulſionem antiquæ ab eadem; tum quia hanc ſolum per accidens corrumpit, & in gratiam illius expellit à materia, vt docet Scotus in 2. d. 1. q. 3. ſub L, ergo generatio formæ nouæ, & eius introductio eſt prior expulſione, & corruptione antiquæ, etiam in executione. Nec valet dicere introductionem formæ nouæ eſſe quidem priorem expulſione antiquæ in genere cauſæ efficientis, non verò in genere cauſæ materialis, quia ſic hæc debet eſſe prior illa; nàm quemadmodum actio inductiua, tàm actiua, quàm paſſiua (cum ſint ſimul natura) eſt prior actione expulſiua in genere cauſæ efficientis, ſic etiam erit prior expulſione paſſiua, & in genere cauſæ materialis; ſiquidem expulſio actiua, & paſſiua ſunt ſimul natura, ergo generatio formæ nouæ in quocumque ordine, erit prior natura corruptione antiquæ.

Reſpondetur maiorem eſſe veram in ordine intentionis, falſam verò in ordine executionis; nàm cum iſti ordines ſint contrarij, vt annotauimus cum Doctore Subtili, illud, quod eſt primum in intentione, debet eſſe vltimum in executione: Cùm igitur

gene-

generatio formę nouæ primò intendatur ab agente naturali, quàm expulſio, & corruptio formæ antiquæ, in executione, hæc debet eſſe prius natura, quàm illa in materia, alioquin peruerterentur iſti ordines, quibus vtitur Doctor Subtilis pluribus in locis ſuæ Doctrinæ, & præſertim in primo d. 41. q. vn. ſub A. & B. in 3. d. 7. q. 3. ſub B. & in 4. d. 16. q. 2. ſub S. Ad confirmationem dicitur eodem modo eſſe veram in ordine intentionis, ſecus autem in ordine executionis, quia ſic corruptio, & expulſio formæ antiquæ in quocumque genere cauſæ debet eſſe prior, alioquin duæ formæ incompoſſibiles naturaliter poſſent eſſe ſimul, quod nemo ſanæ mentis dixerit.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis ſecundæ. Quia effectus cauſæ eſt poſterior ſua cauſa, ſed corruptio, ſeù expulſio formæ antiquæ eſt effectus ſecundarius formæ nouæ, ergo generatio formæ nouæ, & eius introductio debet eſſe prior expulſione formæ antiquæ. Maior patet. Minor probatur, tùm quia forma antiqua expellitur in gratiam formæ nouæ: tùm etiam quia expulſio formæ antiquæ ſe habet ad inſtar aperitionis feneſtræ, vt ingrediatur aer, cum in gratiam huiuſmodi ingreſſus aperiatur aer, ſicut ad expulſionem formæ ingreditur in materiam alia forma, ſed ingreſſus aeris eſt prior aperitione feneſtræ cùm per talem ingreſſum vere, & realiter aperiatur feneſtra, ergo à ſimili primo erit in materia introductio formæ nouæ, quam expulſio antiquæ etiam in executione.

Reſpondetur, minorem eſſe veram ordine intentionis, non verò executionis, quia ſic corruptio formæ habet rationem cauſæ, & introductio formæ genitæ rationem effectus; ſiquidem idem gignitur noua, quia abijcitur antiqua; alioquin ſi hæc conſiſteret, numquam educeretur de materia, & induceretur in eam per generationem noua. Ad primam probationem dico illam eſſe veram in ordine intentionis, in ordine autem executionis econtrariò ſe habet, ſicut ordo executionis eſt contrarius ordini intentionis. Ad ſecundam eodem modo reſpondetur, nàm ingreſſus aeris, in intentione eſt cauſa aperitionis feneſtræ, verum in executione, vbi ingreſſus aeris eſt effectus, ſic aperitio feneſtræ eſt cauſa, quare ingrediatur aer, vnde quemadmodum in vno ordine, vnum eſt primum, & aliud poſtremum, ſic in alio, quod erat poſtremum euadit primum & in hoc, meo videri, decipiuntur auctores prioris, & poſterioris ſententiæ, non conſiderantes, vt debuerunt, contrarietatem vtriuſque ordinis, quos ſi attendiſſent, idem omninò, & non diuerſum aſſeueraſſent, quicquid dicant Maſtrius, & alij cum ipſo.

Obijcitur tertio contra tertiā partem eiuſdem concluſionis Ex Maſtrio oppoſitum mordicùs tenente Diſp. 5. q. 5. art. 1. ſiquidem Ariſtoteles in 4. Phyſic. t. 129. & 7. Phy. t. 37. ait generationem ſubſtantialem eſſe velociorem, & tardiorem: in 6. Phyſi. t. 59. habet in generatione, & corruptione aliquid ſemper prius factum, vel corruptum eſſe ante complementum ipſorum, ſicut in motu ſucceſſiuo mutari præcedit mutatum eſſe, & econtra: & ibidem in t. 83. ait ſecundum eam mutationem, quæ in contradictione eſt, nullum eſſe impoſſibile, ſi tempus mediet, & ſit neque perfectum ens, neque non ens, atqui generatio, & corruptio ſunt mutationes, quæ ſunt in contradictionem, ex eodem 5. Phyſicorum t. 7. & 9. ergo ex his manifeſte concluditur, generationem, & corruptionem eſſe poſſe cum ſucceſſione, & fieri in tempore. Neque valet, inquit Maſtrius, frequens effugium, quod Ariſtoteles loquatur de præuia alteratione, quæ vocatur diſpoſitiuè generatio, vel corruptio, non autem de generatione ſubſtantiali, vel corruptione, quæ ſint mutationes introductiuæ, vel expulſiuæ formæ ſubſtantialis, de quibus nos, ſiquidem, vt patet ex textibus, ibi diſtinguit, determinatque generationem, vt ſecernitur à præuia alteratione, licet non loquatur de ea, vt præſcindit à præuia alteratione, verum vt concomitatur alterationem, à qua habet, vt ab extrinſeco, vt dicatur ſucceſſiua, ergo generatio, & corruptio, hoc pacto ſaltem acceptæ, de neceſſitate fiunt in tempore, & non in inſtanti temporis.

Reſpondetur negando vltimam conſequentiam, vt porè non deductam ex antecedente, fundato, non benè, & in citatis textibus Ariſtotelis, quandoquidem, non effugiendo, ſed ſerio ſe loquendo, dicimus ibidem ſemper eſſe loquutum, de generatione,

ſione,& corruptione, diſpoſitiue, non verò formaliter ſumptis; namſi formaliter accipiantur, cùm ſint mutationes, quæ in contradictionem accidunt, non ſunt propriè motus, nec conſequenter ſucceſſiui, verum duntaxat inſtantanei, vt docet in 5. Phyſic. à t.7. vſque ad 10. quare ſi alibi videatur dicere,eas fieri in tempore, & ſibi conuenire velocitatem,& tarditatem, ac prius fieri ſecundum partes, quàm ſecundum totum, & ſimilia pati motus, & temporis attributa, manifeſtum eſt, quod ibi acceperit generationem, & corruptionem diſpoſitiuè tantùm, & non formaliter, enim verò, quemadmodum iſtis competit fieri in inſtanti, ſic illis in tempore ſecundum ipſum, quicquid aliter ſentiat Dominus meus Maſtrius cum ſuis aſſeclis.

Obijcitur quarto ex Doctore ſubtili in 4. d.43.q.5.art.2.ſub B. vbi inueſtigans,ſi formatio corporis Reſurrectionis tempore, erit in inſtanti, videtur ponere differentiam inter virtutem creatam, & increatam, dicens, *quod erit in inſtanti, quia fiet immediatè virtute diuina, nàm Angelus non poterit illam formam ſubſtantialem inducere in materia: virtus autem Diuina,& ſi poſſit ſucceſſiuè inducere formam ſicut virtus creata, & forma ſubſtantialis poſſet ſucceſſiuè induci, quod aliqui negant; tamen magis congruit, quod illà virtus formam inducibilem in inſtanti, inducat in inſtanti, quia nunquam eſt ſucceſſio neceſſaria, niſi propter aliquem defectum agentis*. Ex quibus verbis colligit diligentiſſimus Maſtrius, quod ſi forma corporis in Reſurrectione in inſtanti introduceretur, hoc erit virtute diuina, ergo virtute creata nequit induci in inſtanti,ſed tantum ſucceſſiuè.

Reſpondetur conſequens verum eſſe ſumendo generationem, ſeù inductionem formæ ſubſtantialis diſpoſitiuè, non verò formaliter, quod haud obſcurè deprehenditur ex verbis Doctoris, non tantum adductis,verùm & adducendis;quippe ſequitur; *Nàm omneſilla cauſa tacta à Commentatore quarto Phyſicorum,Cap.de Vacuò mobilis ad motorem, & mobilis ad medium, & mediy ad motorem, reducuntur finaliter, ſicut alias tetigi,ad imperfectionem virtutis agentis, propter quam imperfectionem poteſt ſibi mobile reſiſtere,non abſolutè,ſed vt requirit terminos, & medium, per quod transferendum eſt à termino in terminum. Nunc autem illa virtus, nullam poteſt habere imperfectionem:hac autem forma inducibilis eſt in inſtanti,patet,quia poteſt perficere in inſtanti.* Ex his colligo duo; Alterum,quod forma corporis ſit indiuiſibilis in inſtanti, & perfectiua corporis in inſtanti. Alterum,quod ſi non inducitur immediatè in inſtanti, hoc prouenit ex imperfectione agentis creati, quod cogitur ſucceſſiue vincere reſiſtentiam contrariorum, & diſponere materiam ad illam recipiendam. Primum ſpectat ad generationem formaliter ſumptam: ſecundum ad eandem diſpoſitiuè conſideratam, & per hoc poteſt reſponderi ad omnia motiua contraria.

Obijcitur quinto ex eodem Maſtrio,Quia in qualibet generatione,& corruptione formæ ſubſtantialis præcedere debent diſpoſitiones præuiæ,quæ non niſi in tempore introduci poſſunt in materia ob diuiſibilitatem eiuſdem in plures partes, ergo generatio, & corruptio formæ fieri non poterunt per concomitantiam,niſi in tempore. Antecedens communiter conceditur ab omnibus. Conſequentia probatur, quia vltimas diſpoſitiones neceſſariò, & naturaliter conſequitur introductio formæ genitæ, & expulſio formæ corrumpendæ,ſi ergo illæ ſucceſſiuè introducuntur, idem dicendum erit de formis,quoad introductionem,& expulſionem. Conſequentia tenet,nam quemadmodum nequit dari pars determinata quæ vltimò diſponatur ad formam, ſic nec ad illam recipiendam,vel abijciendam. Nec valet reſpondere, argumentum totum valere de diſpoſitionibus præuijs,quæ cum ſint accidentia benè poſſunt ſucceſſiuè acquiri, non verò de formis ſubſtantialibus,quæ non niſi in determinata parte, & quantitate recipi debent: Non valet inquam, tùm quia illa determinata pars eſt diuiſibilis in alias partes ſecundum omnes dimenſiones, cum ſit homogenea, & continua, ergo prius agens introducet diſpoſitiones præuias in prima medietate, quàm in ſecunda, & cùm introduxerit illas in ſecunda conſequenter eodem ordine introducet formam ſubſtantialem prius in primà parte & poſteà in ſecunda, ſiquidem forma ſubſtantialis ſequitur ſuas diſpoſitiones, & ſic ſucceſſiuè,tùm etiam, quia vltima diſpoſitio formæ introducendæ, cùm ſit incompoſſibilis formæ cor-

Digitized by Google

corrumpendæ, debet abijcere illam à materia;vel ergo in illa tunc temporis introducta fuerit forma genita,vel non.Dici nequit primum, quia forma ſubſtantialis introducitur ſolùm poſt vltimam diſpoſitionem,quæ adhuc manet expugnando formam corrumpendam ab ea: neque poteſt dici ſecundum, quia tunc fatendum erit, materiam manere per aliquod ſpatium temporis abſque forma aliqua ſubſtantiali,quod in ſententia Ariſtotelis,dici non poteſt,ergo potiùs dicendum, formam ſubſtantialem præcedentem ſucceſſiuè expelli à materia, & eodem modo ſequentem introduci in tempore, & per partes, ſicut introducuntur diſpoſitiones præuiæ,& non in inſtanti.

Reſpondetur,concedendo antecedens,& negando conſequentiam. Ad vnius probationem, iterum negatur conſequentia. Et cum probatur,non poſſe dari partem determinatam, quæ vltimò diſponatur ad formam cùm ſit diuiſibilis in infinitum, dico verum eſſe de diuiſibilitate ſecundum partes proportionales, & ab extrinſeco, falſum loquendo de diuiſibilitate in partes eiuſdem quãtitatis,& aliquotas,ac abextrinſeco.quia ſic datur determinata,& vltimò diſponibilis ad formam ſubſtantialem recipiendam ſecundum ſe totam ſimul, & in inſtanti ad modum entium permanentium, vt dictum eſt cum Scoto in 4. d. 43. q. 5. art. 2. in reſponſione ad præcedens argumentum Neque hoc eſt contra eundem Doctorem Subtilem citatum à Maſtrio in 2.d.2.q.9.ſub F.& N quia ibi locutus eſt de inanimatis de poſſibili,in quibus ab intrinſeco reperiri nequit aliqua determinata quantitas,cùm ſint diuiſibilia in ſemper diuiſibilia in infinitum, vt etiam nos oſtendimus in primo Phyſicorum Diſp.2.q.3.ſect.2.concl. 4. cæterùm loquendo de facto, & ab extrinſeco,ſicut in illis datur maximum, & minimum vt pariter probauimus ibidem ſect. 1. concl. 2. ſic poteſt aſſignari determinata quantitas in rebus inanimatis ab extrinſeco, quæ ſit diſponibilis ad formam ſubſtantialem, & introducendam, & abijciendam in inſtanti, maximè quando ſubeſt generationi,& corruptioni,quæ ſunt mutationes inſtantaneæ eſſentialiter diſtinctæ à motibus ſucceſſiuis: vndè non ſequitur, quod ſi agens creatum, ob ſuam imperfectionem, diſponendo materiam ad introductionem, vel ad expulſionem formæ prius diſponere cogatur primam partem, & ſic ſucceſſiuè vſque ad vltimam,ſic etiam ſequatur ſucceſſiuè huiuſmodi diſpoſitiones,introductionem,vel expulſionem formarum per partes,ſiquidem, cùm hæ ſint inducibiles in inſtanti, ſicut perficiunt in inſtanti totam materiam, vt dicit Scotus citatus in 4.d.43.q.5.ſub B.non introducuntur, aut abijciuntur totæ ſimul, niſi poſt vltimam diſpoſitionem materiæ. Et cùm quæritur an poſt vltimam diſpoſitionem, quæ pugnat pro expulſionæ formæ corrumpendæ, introducta fuerit forma genita, dicimus, quod in eodem inſtanti temporis,& in pluribus ſignis naturæ, abijcitur forma corrupta, & introducitur forma genita, adeo vt pro nullo inſtanti temporis, aut eiuſdem temporis parte, ſit dari materiam abſque aliqua forma ſubſtantiali, vt infertur in argumento. Concludimus igitur, quod licet generatio, & corruptio, pro diſpoſitionibus acceptæ ſint de neceſſitate menſuratæ tempore, tamen pro formali ſumptæ menſurantur inſtanti temporis.

Obijcitur ſexto contra tertiam concluſionem ſi generatio, & corruptio diſpoſitiuè ſumptæ fiunt in tempore, vel effectiuè ab Agente, vel formaliter à formis contrarijs, ſequitur generationem, & corruptionem formaliter ſumptas fieri debere etiam in tempore, & ſucceſſiuè, ſed conſequens eſt contra tertiam partem ſecundæ concluſionis, vbi probauimus illas fieri in inſtanti temporis. ergo ſimiliter dicendum eſt, illas diſpoſitiuè ſumptas, non fieri in tempore, ſed in inſtanti. Sequela maioris probatur, quia generatio, & corruptio continentur in ſuis diſpoſitionibus virtualiter, ergo ſi illæ menſurantur tempore, & iſtæ debent ſic menſurari.Tùm quia ſanatio non fit in termino temporis, verum ſucceſſiuè in tempore, cùm motus ſanationis menſuretur tempore, ergo à ſimili ſi motus generationis, & corruptionis diſpoſitiuè fiat in tempore, etiam generatio, & corruptio formæ fieri debent in tempore, & non in termino temporis, idest in inſtanti Antecedens eſt Ariſtotelis in 8. Phyſicorum t.23.vbi ponit etiam exemplum de guttis excauantibus lapidem,quod licet vltima cauet lapidem in virtute aliarum,quæ mouentur in tempore, nihilominus excauatio illa dicitur eſſe facta in tempore,ſucceſſiuè,& non in inſtanti.

Re-

Digitized by Google

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad cuius probationem negatur conſequentia; ſiquidem licet diſpoſitiuè generatio, & corruptio, contineantur in illis alterationibus, diſpoſitiuis ad introductionem, aut expulſionem formarum, vt in quaſi virtute, non tamen ſequitur eodem modo menſurari debere; nàm alterationes, cum ſint motus habent menſurari tempore, quod eſt menſura motus; generatio verò, & corruptio quia ſunt mutationes, non habent menſurari tempore, ſed inſtanti temporis. Ad illa exempla Philoſophi, quæ adducuntur pro ſecunda probatione ſequelæ maioris dicimus cum Scoto, vt colligitur in 2. d. 2. q. 9. ſub P. & Q. non eſſe ad propoſitum, ſiquidem ibidem Ariſtoteles per illa duo exempla voluit oſtendere, quod non omnia ſemper moueantur, ſed aliquando quieſcant: lapis enim non mouetur motu excauationis à qualibet gutta; itaut hæc pars lapidis ab iſta gutta, & alia ab alia gutta, & ſic ſucceſſiuè in qualibet parte temporis, verùm duntaxat ab vltima, ſuceſſiuè tamen, in virtute præcedentium: ſimiliter qui mouetur ad ſanitatem, non ſanatur toto tempore continuè, ita quod vna pars eius menſuretur vna parte temporis, & ſic ſucceſſiuè, ſed ſanatio fit ſucceſſiuè in vltima parte temporis, & non in eius termino, ſed in virtute partium præcedentium tota ſanatio fit in toto tempore, & non in inſtanti, quare hæc exempla non ſunt ad propoſitum, loquendo de generatione, & corruptione; tùm quia generatio, & corruptio non ſunt motus, ſed mutationes, quæ diuerſis menſuris menſurantur: tùm quia ſunt potiùs in oppoſitum, cùm ex his deducantur generationes, & corruptiones non eſſe formaliter in materia ſecundum partes, & partes, itaut ad vnam partem alterationis diſpoſitiuæ, ſequatur vna pars formæ introducendæ, vel abijciendæ, & ſic ſucceſſiuè vſque ad vltimam partem, verùm omnes introducantur, vel abijciantur poſt vltimas diſpoſitionis partes, ac proinde in inſtanti, & non in tempore.

Obijcitur ſeptimo contra quartam, & quintam concluſionem, ſimul ex Alexandro Achillino lib. 2. de Elem. art. 3. n. 112. col. 3. quæcunque conueniunt in eadem diffinitione formali ſunt idem formaliter, ſed generatio, & corruptio ſunt huiuſmodi, ergo ſunt idem formaliter, ac proinde generatio vnius eſt corruptio alterius, & econuersò ſunt veræ formaliter, & non tantum cauſaliter, vel concomitanter. Maior patet ex diffinitione identitatis formalis. Minor probatur, quia tàm generatio, quàm corruptio conueniunt in acquiſitione termini ad quem, & perditione termini à quo, ſiue ſint poſitiui, ſiue priuatiui, ſed in his duabus mutationibus acquiſitiuis conſiſtit diffinitio communis generationi, & corruptioni, ergo conueniunt in eadem diffinitione formali. Maior probatur, quia generatio eſt mutatio de non eſſe termini poſitiui, hoc eſt formæ ſubſtantialis, ad eſſe illius, corruptio verò eſt mutatio de non eſſe termini priuatiui ad eſſe illius, ergo conueniunt in acquiſitione termini ad quem, & abiectione termini, ſiue ſint poſitiui, ſiue priuatiui. Minor probatur, nam de ratione motus eſt eſſe acquiſitiuus vnius termini, & deperditiuus alterius ex Commentatore 3. Phyſic. com. 48. ergo cum generatio, & corruptio ſint motus, ſumendo motum longè, habent conuenire in eadem diffinitione.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dico, generationem, & corruptionem conuenire quidem in diffinitione generica motus, ſumendo motum large, ſicut etiam vocantur motus, non tamen ſpecificè quinimò ſic diſtinguuntur formaliter, & ſpecificè; quia generatio eſt mutatio acquiſitiua termini poſitiui, corruptio verò mutatio acquiſitiua quidem termini, ſed priuatiui, per quem diſtinguitur ſpecie, & formaliter à generatione; adeò vt non ſit verum dicere corruptio eſt generatio, vel econuerſo, generatio eſt corruptio, ac per conſequens, nec generatio vnius eſt corruptio alterius, aut econuersò formaliter. Ad Comment. dico, locutum fuiſſe de diffinitione motus, ſicut de motu, genericè, non verò ſpecificè, de quibus nos intendimus; modo conuenientia in genere patitur diſtinctionem ſpecificam, vt alibi dictum eſt.

Obijcitur octo contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis, ſi axioma Ariſtotelicum eſſet verum cauſaliter, ſequeretur generationem eſſe cauſam corruptionis, & econuersò, corruptionem eſſe cauſam generationis, ſed conſequens implicat, ſicut inuoluit contradictionem, quod idem ſit cauſa, & effectus, ergo implicat etiam, quod tale axioma ſit verum cauſaliter.

Re-

Digitized by Google

Reſpondetur maiorem eſſe veram in diuerſis generibus cauſarum, vel diuerſis ordinibus, vt ſuperius declaratum eſt Not. 4. & 6. non tamen in eodem. Ad minorem dico, implicare quidem in eodem genere, & eodem ordine, quia cauſa, & effectus diſtinguuntur realiter, modo diſtinctio realis non poteſt cadere in eadem re, cùm ſit relatio realis; non implicare autem, quod de eodem verificari poſſint cauſa, & effectus in diuerſo genere, & diuerſo ordine, vt ſupra declaratum eſt in hac eadem quæſtione, & in 2. Phyſic. Diſput. 7. q. 2. per totam.

Obijcitur nono contra tertiam partem eiuſdem concluſionis, ſi tale axioma eſſet verum, maxime foret tale ad ſaluandam perpetuitatem generationum in eadem materia finita, ſed hoc non eſt dicendum ergo tale axioma non eſt neceſſariò verum. Maior eſt Ariſtotelis in primo de Generat. t. 17. reſpondendo ad difficultatem Antiquorum in t. 16. Minor probatur, quia multoties datur generatio abſque corruptione concomitante, & etiam corruptio ſine generatione conſequente, ergo per hoc non ſaluatur perpetuitas generationum, & corruptionum in rerum natura. Antecedens probatur, tùm quia in primordio Cœli, & Elementa fuerunt genita ex eadem materia abſque vlla præcedenti corruptione; ſiquidem eorum formæ fuerunt eductæ à Deo à materia immediatè ab ipſo creata, vt probauimus in primo Phyſicorum Diſp. 4. q. 2. tum etiam, quia in nutritione corrumpitur forma alimenti, ſine generatione alterius formæ, anima enim in nutritione hominis extenditur ad informandam materiam alimenti, ergo falſum eſt, tale axioma eſſe neceſſarium ad ſaluandam perpetuitatem generationum, & corruptionum in Mundo, materia prima exiſtente finita.

Reſpondetur ex Scoto in 2. d. 1. q. 3. ſub L. quod tale axioma non eſt ſimpliciter verum, nec per illud ſaluari ſimpliciter perpetuitatem generationum, & corruptionum, cùm in vtriſque poſſit dari ſtatus, vt ſuperius dictum eſt; nihilominus facta ſuppoſitione, quod omne generabile ſed iterum corruptibile, & quod eius generatio alterius ſit corruptio, vt videtur ſupponere Ariſtoteles, eius propoſitio mutua in agentibus naturalibus habet veritatem in aliquibus, & in aliquibus non, vt declarauimus in Not. & probauimus in concluſionibus; vnde in propoſito neganda eſt vniuerſaliter minor propoſitio. Ad cuius probationem, dicimus antecedens non eſſe verum, adhibita ſuppoſitione, quod omne generabile naturaliter ſit iterum corruptibile, & econuerſò. Et cum probatur de generatione Cœlorum, & Elementorum, quæ nullam ſupponebant corruptionem aliorum corporum, poſſumus nos illam admittere, vtpotè quia credimus materiam primam in principio fuiſſe creatam immediatè à Deo; cæterùm ad aures Philoſophi, ponentis materiæ æternitatem, & ſubinde corpora generabilia, ac corruptibilia ex ea deducta, negandum eſſet antecedens, ſiquidem ſemper fuiſſet verum dicere, corruptio vnius eſt generatio alterius, & generatio vnius eſt corruptio alterius. Ad ſecundam autem probationem dicimus cum Doctore Subtili, in corruptione formæ alimenti, aggenerari in alito nouam partem formæ corporeitatis, & animæ vegetatiuæ, ac ſenſitiuæ, vt etiam in hac ſit verùm dicere, corruptio vnius eſt generatio alterius, & econuerſo: Videndus eſt Doctor in d. 44. q. 1. §. Quantum ad iſtum articulum, ſub C. & D. ac inſuper videnda ſunt ea, quæ ſcripſimus ex eodem lib. 2. de Anima Diſp. 2. q. 3. per totam, vbi poſuimus ordinem nutritionis per generationem, & corruptionem alimenti, & aliti.

Obijcitur decimo contra ſextam concluſionem, quia ſi tale axioma verificari poſſet etiam in accidentibus contrarijs, ſequeretur vnum contrarium poſſe agere ad deſitionem alterius, & econuerſo in vno, & eodem ſubiecto, ſed hoc eſt falſum, ergo tale axioma nequit verificari vllo pacto in accidentibus contrarijs. Sequela maioris patet, quia in accidentibus deſitio eſt corruptio, ſicut poſitio in ſubiecto eſt eorum generatio, vt docet Ariſtoteles hic in textu Minor probatur, accipiamus enim duo accidentia contraria, nimirum calorem, & frigus, quæ ad inuicem pugnent, & quæritur an calor exiſtens in agente expellat frigus exiſtens in ligno, vel aqua, vel ambo ſe mutuò adoriuntur dum ſunt in ligno, vel aqua, ſed neutrum eſt dicendum, ergo ad inuicem pugnare nequeunt, ac proinde, nec generari, & corrumpi. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minor probatur: non primum, quia cùm exiſtant in diuerſis ſubiectis, nec contra-

rian-

riantur, nec inſeinuicem agere, vel pati poſſunt, aliter migrarent de ſubiecto in ſubiectum, quod repugnat totum naturæ. Nec ſecundum quia tunc ſimul exiſtere poſſent naturaliter, vel in eſſe remiſſo, vel intenſo; atqui nullo pacto pugnare poſſent adinuicem, ſiquidem pugna cum victoria ſupponit alterum eſſe debilius, & alterum fortius in virtute, quod neutrum accidere poſſet, ſi ambo exiſterent in pari gradu, ſiuè remiſſionis, ſiuè intenſionis, ergo nullo modo poſſent ſe adinuicem perimere, vel generari.

Reſpondetur, ex Scoto in 4.d.1.q.5. ſub F. ac alibi ſuperiùs citato, concedendo ſequelam maioris, & negando minorem. Ad cuius probationem dicimus, alterum contrarium poſſe expelli à ſubiecto, dupliciter attenditur, vno modo effectiuè, alio modo formaliter. Primo modo expellitur ab agente inducente alterum contrarium in eodem ſubiecto; nàm idem agens, quod effectiuè inducit calorem in ligno, expellit frigus ab eo ſecundo modo autem vnum contrarium expellit aliud formaliter ob incompoſſibilitatem exiſtendi ſimul cum altero; calor enim effectiuè inductus ab agente calido in ligno, vel aqua, formaliter expellit frigus ab eo, vel ipſa. Et cum probatur oppoſitum, quia tunc poſſent naturaliter ſimul exiſtere; dicimus non eſſe inconueniens in gradibus remiſſis, vt aliàs oſtendimus in Prædicamentis. Et cum ſubditur, quod non poſſent ad ſeinuicem pugnare ob æqualitatem graduum. Dicimus ſupponi vnum falſum, nimirum eſſe paria in gradibus, & in virtute, ſiquidem poſſent eſſe in gradibus remiſſis, & etiam intenſis, verùm inæqualibus, vt vnum poſſit vincere virtutem alterius, & illud expellere, ſeipſo introducto in ſubiecto eodem; ac proindè verum erit dicere, etiam in accidentibus incompoſſibilibus, corruptio vnius eſt generatio alterius; & generatio vnius eſt corruptio alterius.

Vtrum in Corruptione ſubſtantiali fiat reſolutio vſque ad materiam primam?

QVÆSTIO IV.

Hvius quæſtionis ſenſus communiter expenditur à Doctoribus: An in corruptione compoſiti deſinant omnes formæ, tàm ſubſtantiales, quam accidentales, remaneatque ſola materia nuda ſub genito, quæ erat ſub corrupto, cæteraque deſinant eſſe cum deſitione totius? Et ne con ſundantur termini cum terminis aliarum quæſtionum affinium: nimirum, an materia prima ſit ſubiectum inhæſionis accidentium abſolutorum, vel totum compoſitum: & an materia ſit immediatum ſuſceptiuum omnium formarum ſubſtantialium: vel detur in ipſa aliqua forma ſubordinata ſuſceptiua alterius formæ vltimæ, à qua habet eſſe compoſitum, prænoſcendum eſt, ab his in præſentiarum nos velle abſtinere, cùm de illis ſatis egerimus aliàs. De priori nàmque pertractauimus in primo Phyſicorum Diſp.4.q.4. de poſterioribus verò diſputauimus in ſecundo de Anima Diſp. 1 q. 3.& Diſp.3.q.6.ſect. 1. quare reſtringimus præſentem difficultatem ad hos terminos duntaxat: An nimirum dùm corrumpitur compoſitum ſubſtantiale, ſecùm reſoluantur omnia & deſinant eſſe, ſolaque remaneat materia nuda, quæ ſit ſubiectum commune genito, & corrupto ſimpliciter?

Circa quam quæſtionem ſic explicatam varia ſunt Doctorum placita, nàm aliqui ſuſtinent, in corruptione ſubſtantiali remanere ſimul cum materia nonnulla accidentia communia genito, & corrupto, & hic negant fieri reſolutionem vſque ad materiam primam nude expoliatam. Sic Auicenna lib. 1. ſuæ ſufficientiæ cap.7. & Auerroes, Albertus de Saxonia, Henricus Gregorius, Gabriel, Ocamus, Paulus Venetus cum alijs non paucis, quos recenſent, ac citant Ruuius de Generat. & Corrupt. lib.1.cap.4. Tract. 2.q. 4. & Maſtrius Diſp. 5.q.3.num.77.

Alij verò cenſent, in corruptione compoſiti fieri omnimodam reſolutionem omnium formarum, tàm ſubſtantialium, quàm accidentalium, maneroque ſolam materiam communem genito, & corrupto. Ita Albertus Magnus in ſum. de Homine 2. p. Alenſis 1.p.q.57. memb.4. D. Thom. 1. p.q. 76.ar.6. & contra Gentes, ac alibi, cùm ſuis Diſcipulis, quorum meminere Ruuius, & Maſtrius in citatis locis, quibus adiungi poſſunt Fonſeca 8. Metap. cap. 1.q. 2. Conimbric. hic cap.4.q.18.& Pomponatius lib. de Nutrit.& Accretione.

Alij

Alij denique diſtinguunt de Compoſitis animatis,& inanimatis. In prioribus negant fieri huiuſmodi reſolutionem vſque ad materiam primam: in poſterioribus vero affirmant. Sic Scotiſtæ cum ſuo Magiſtro,quos refert,ac ſequitur Maſtrius citatus arr. 1. & 2. ſub n. 78. & 89. & ſequentibus. Quibus,& nos libenter ſubſcribimus, vt loquamur conſequenter ad ea, quæ concluſimus lib. Phyſicorum primò,& ſecundo de Anima nuperrimè relatis. Vnde pro declaratione,& fundamento noſtræ ſententiæ, ac aliarum confutatione.

Primo Notandum eſt ex aliàs obſeruatis, compoſitum eſſe duplex,ſcilicet incompletum,& completum. Compoſitum incompletum eſt illud, quod conſtat ex materia prima, & forma ſubſtantiali, ex ipſa per generationem educta,quæ forma corporis appellatur,quia dat eſſe,vt compoſitum, ex illis reſultans,ſit corpus, non metaphyſicum, cuiuſmodi eſt illud, quod ponitur directè in prædicamento ſubſtantiæ, ſed phyſicum, quod indirectè inibi collocatur, ſicut altera pars,quæ cum anima conſtituit viuens. Dicitur autem compoſitum incompletum, non quod ſibi deſit aliquod eſſentiale requiſitum ad eſſe totius phyſici, cùm coaleſcat ex actu, & potentia ſubſtantiali phyſica,verùm quia non habet per illam formam eſſe vltimatum, ſed ordinatur ad aliud eſſe perfectius, vt eſſe animatum per aliquam animam, vel vegetatiuam, vel ſenſitiuam, aut rationalem. Compoſitum verò completum eſt illud, quod coaleſcit ex materia ſecunda,vt eſt corpus phyſicum,ſeù compoſitum incompletum, & forma vltima, à qua recepit eſſe vltimatum ſubſtantialiter, vtpotè non ordinabile ad aliud eſſe ſubſtantiale, appellaturque viuens, cùm vltra formam corporis, quæ dicitur corporeitatis, habeat etiam animam, quæ tribuit ei eſſe animatum. Vtrumque compoſitum eſt generabile,& corruptibile; vnde quemadmodum prius in generatione ſua admittit duntaxar formam corporeitatis, & poſterius vltra illam etiam animam; ſic in corruptione,prius reſoluitur immediatè in materiam primam, quæ eſt ingenerabilis,& incorruptibilis,cum deſitione formæ corporeitatis, & accidentium ipſam conſequentium, poſterius autem reſoluitur immediatè in materiam ſecundam,quæ cum ipſa ſit etiam corruptibilis,ipſa mediante, illud etiam reducitur ad nudam materiam, vt iterum induatur noua forma, cùm corruptio vnius ſit generatio alterius.

Secundo Notandum ex aliàs attentis in primo Phyſicorum, & ſecundo de Anima: materiam eſſe ſubiectum accidentium, poſſe dupliciter intelligi, vno modo, loquendo de ſubiecto immediatè, itaut accidentia ſibi inhæreant,ſi ſint abſoluta, aut in ea fundentur immediatè,ſi fuerint reſpectiui alio modo mediate, ita quod prius adhæreant, vel fundentur in alio, nimirùm in forma illam informante, vel in compoſito ex illis reſultante. Si de priori ſubiecto ſit ſermo,materia prima poteſt dici ſubiectum immediatum quorundam accidentium reſpectiuorum, quæ in ipſa fundantur, & terminantur ad formas ſubſtantiales, cuiuſmodi ſunt reſpectus vnionis, eductionis inductionis, & informationis paſſiue ſe habentes; & etiam quorundam accidentium abſolutorum in fieri,vt ſunt qualitates,& quantitates,quæ, veluti diſpoſitiones,præcedere debent introductionem formæ in materia, ne promiſcuè videretur introduci quælibet forma ſubſtantialis, ſiquidem generans non generat, niſi in materia benè diſpoſita. Si verò loquamur de ſubiecto mediato, verum eſt materiam eſſe ſubiectum omnium accidentium, tàm abſolutorum, quàm reſpectiuorum, quandoquidem iſta conſequuntur vel formas ſubſtantiales, quæ ſubiectantur vel conſequuntur compoſitum, coaleſcens ex materia ſecunda, & forma vltima, & hæc reſident in materia, vel mediate, vel immediatè,conſequenter dicendum eſt omnia accidentia, quæ immediate ſubiectantur in compoſito perfecto, vel imperfecto, ijs mediantibus ſubiectari etiam in materia, cùm ſit fulcimentum, & baſis omnium formarum ſubſtantialium,& compoſitorum; tàm incompletorum, quàm completorum, vt aliàs dictum,& probatum eſt.

Tertio Notandum eſt, reſolutionem oppoſito modo ſe habere ad compoſitum; quandoquidem agens ad generationem prius diſponit materiam mediantibus quibuſdam accidentibus,vt ex ea poſſit educere formam ab ipſo intentam; deinde illam ſic eductam inducit in materiã illam vniendo per informationem; poſteà agit ad reſultantiam totius compoſiti, ſiquidem ex per ſe actu, cuiuſmodi eſt forma, & ex per ſe potentia, qualis eſt materia, vel prima, vel ſe-

ſecunda, reſultat totum compoſitum perſe, vt docet Ariſtoteles 8. Metaph. t. 15. denique illud veſtit accidentibus, conuenientibus ſibi, & eius formæ, vel formis ſubſtantialibus. At in reſolutione oppoſito modo ſe gerit, prius enim per accidentia contraria, aggreditur accidentia totius, vel formæ corrumpendæ, in quibus conſeruabatur eorum eſſe, illaque debilitat, per actionem destructiuam, quouſque ad interrectionem vltimi gradus reducat, deinde formam expugnat, ad cuius interemptionem, ſequitur demolitio compoſiti, & ad eius caſum, cadunt pariter cum illa omnia accidentia, fitque reductio formalis totius ædificij naturalis ad baſim materiæ primæ immediatè, ſi fuerat compoſitum inanimatum, vel materiæ ſecundæ immediate, ſi fuerat animatum, & tandem materia ſecunda cum ſuis accidentibus deſtruitur, fitque reſolutio vltimata in materiam primam, & in hac ſtatus corruptionis vnius, & initium generationis alterius. Totus hic proceſſus traditur à Doctore Subtili in 4.d.12.q.3. ſub literis O.P.Q.& R, cuius nos aliàs meminimus in primo Phyſicorum. Diſp.4.q.4. & aliqualiter in ſecundo de Anima Diſp.1.q.3. ac alibi ſparſim.

Ex his ſit prima concluſio. In corruptione compoſiti inanimati fit reſolutio, tùm ſubſtantialis; tum accidentalis vſque ad materiam primam, & nudam. Colligitur ex Scoto in 2.d.3.q.4.& in 4.d.11.q.3.& d.12.q.3. ſub lit. citatis. Probatur prima pars, quia in compoſito ſubſtantiali inanimato, præter materiam primam reperitur ſola forma corporeitatis, ſed deſtructo compoſito, deſtruitur, & ipſa forma corporeitatis, quæ eſt ſubſtantia, ergo ipſo corrupto, ac deſtructo, fit reſolutio in ſola materia prima. Conſequentia tenet, quia reſolutio ſubſtantialis oppoſito modo ſe habet, ac compoſitio ſubſtantialis, ſed hæc fit tantum ex materia prima & forma corporeitatis, ergo cùm hæc deſtruatur ad deſtructionem compoſiti, ſequitur reſolutionem fieri in ſolam materiam, quæ manet incorrupta. Secunda pars probatur, quia accidentia non ſubiectantur immediate in materia prima, verùm duntaxat in compoſito ex materia, & forma, ergo ad deſtructionem compoſiti, pereunt, etiam accidentia in eodem ſubiectata, ac proindè compoſitio accidentalis reſoluitur in materiam primam, ſicut etiam ſubſtantialis. Antecedens fuit à nobis probatum, ex Ariſtotele pluribus in locis, in primo. Phyſicorum diſp. 4.q. 4. concluſione prima ad quam remiſimus lectorem, ne fiat inutilis repetitio. Conſequentia patet, quia accidentia inhærẽt ſubiecto, ergo ſi conſeruantur ad conſeruationem illius, etiam pereunt ad deſtructionem eiuſdem; ſiquidem inquit Ariſtoteles in Prędicam. cap. de ſubſtantia: *Non ergo exiſtentibus primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid eorum remanere*, ſed in primis ſubſtantijs, exiſtunt ſecundæ ſubſtantiæ, & accidentia, ex eodem ibidem, igitur quemadmodum ad deſtructionem primarum ſubſtantiarum deſinunt etiam ſecundæ, ſic ad corruptionem illarum, neceſſariò deſinunt etiã accidentia.

Secunda Concluſio. In corruptione verò cõpoſiti animati, fit reſolutio vſque ad materiam primam, non tamen immediatè, ſed mediatè duntaxar. Eſt Doctoris Subtili in 4. d.11.q.3. vbi ſubtiliter oſtendit in viuentibus præter animam, dari aliam formam, quam vocat corporeitatis, ab anima realiter diſtinctam. Probatur, quia poſt interitum compoſiti animati, vel per abſceſſum animæ rationalis, vt in homine, vel per corruptionẽ animæ ſenſitiuæ, vt in brutis, vel per corruptionem animæ vegetatiuæ, vt in planta, remanet corpus organicum, cùm quibuſdam accidentibus corporalibus, vt docet experientia in omnibus animatis, ergo in horum interitu, non fit immediata reſolutio vſque ad materiam primam. Conſequẽtia patet, quia corpus organicum ſupra materiam primam addit formam corporeitatis, coaleſcentis ex pluribus partibus etherogeneis, vt eſt notum apud omnes, ergo cum in interitu corporis animati remaneat adhuc corpus organicum cum ſua forma, & non ſola materia prima, ſequitur non fieri reſolutionem immediatam vſque ad illam. Antecedens patet, quia in homine manet, poſt eius interitum, corpus diſtinctum in diuerſis partibus Etherogeneis, ſicut dum erat viuus, & cùm eiſdem accidentibus, nempè quantitate, qualitate, figura lineamentis, & cicatricibus, quæ erant in corpore viuo, vt probauimus in ſecundo de Anima Diſp.1.q.3. Sed corpus ſic diſtinctum in partes, & ita affectum accidentibus eſt corpus organicum, vt oſtendimus in citato loco ex Ariſtotele in ſecundo de Anima t.7.& 9. ergo poſt interitum compoſiti animati remanet corpus organicum. Nec valet dicere, nõ eſſe illud corpus, quod erat viuum, ſed ſimile illi, quia hoc effugium

fuit

fuit impugnatum, & valide expugnatum ibidem cum Scoto in 4. d. 11. q. 3. ac Sanctis Patribus ab eodem relatis ſub litera Q. ergo concludendum eſt, non fieri reſolutionem compoſiti animati in eius interitu, immediatè in materiam primam, verum duntaxat mediante reſolutione eiuſdem corporis organici, quod corrumpitur non poſt multum temporis, & reſoluitur in materiam nudã, ſicut dictũ eſt de cęteris cõpoſitis inanimatis.

Tertia Concluſio. In corruptione ſubſtantiali non remanent accidentia media in facto eſſe inter genitum, & corruptum, ſubiecta ta in materia prima, veluti principia formæ ſubſtantialis generandæ. Eſt communis omnium Scotiſtarum contra Auctores relatos in prima ſententia, quibus addi poteſt Serbellonus de Ortu, & Interitu. Diſp. 2. q. 2. ar. 5. §. 50. cum nonnullis Recentioribus ab ipſo ſine nomine citatis. Probatur quia Subſtantia a toto genere præcedit omne accidens ratione, cognitione, tempore, & natura ex Ariſtotele 7. Metaph. t. 4. ſed forma ſubſtantialis eſt ſubſtantia incompleta, ordinata ad materiam, ſicut actus ad ſuam potentiam, ex eodem 8. Metaph. t. 15. ergo nullum accidens habet præcedere formam ſubſtantialem, vt poſſit eſſe principium productiuum illius. Confirmatur ex his, quæ diximus in primo Phyſicorum Diſp. 4. q. 4. conc. 3. Secundo probatur, quia nullum accidens, ſiue ſecundum ſe, ſiue in virtute ſubſtantiæ poteſt effectiue agere ad generationem ſubſtantiæ, vt oſtendimus in 2. Phyſic. Diſp. 5. q. 4. concl. 2. ex Scoto, & Ariſtotele citatis ibidem, ergo nullum accidens poteſt mediare inter genitum, & corruptum, vt valeat eſſe principium productiuum formæ ſubſtantialis generandæ. Conſequentia patet, quia forma ſubſtantialis eſt ſubſtantia, licet incompleta, ergo cum nullum accidens poſſit effectiue agere ad productionem cuiuſcumque ſubſtantiæ, nullum pariter poterit præcedere formam ſubſtantialem, nec ſic mediare inter genitum, & corruptum, neque proindè ſubiectari in materia nuda. Supereſt igitur, vt in corruptione ſubſtantiali rerum inanimatarum, & aliarum generatione, nullum ſubiectetur accidens in materia, vt ſit principium productiuum nouæ formæ ſubſtantialis, vel deſtructiuum antiquę, quinimò reſolutionem fieri ſimpliciter in materia nuda.

Obijcitur primo contra primam concl. ſi daretur huiuſmodi reſolutio immediate in materiam nudam, in corruptione compoſiti inanimati, ſequeretur efficiens immediatum poſſe agere, quando non eſt, ſed hoc eſt impoſſibile, ergo nequit dari talis reſolutio in materiam nudam. Sequela maioris probatur quia in multis generationibus non eſſent accidentia, & diſpoſitiones, à quibus, tanquam ab efficiente immediato, tunc produceretur forma ſubſtantialis, ergo ſi daretur talis reſolutio, efficiens immediatum poſſet agere quando non eſſet. Antecedẽs probatur, quia forma ſubſtantialis producitur ab accidentibus, & diſpoſitionibus actiuis, quæ ſunt in materia ipſa, ſed diſpoſitiones non ſunt in materia, niſi durante forma priori, quæ tamen non eſt in inſtanti generationis, cùm ſibi noua ſuccedat in eodem inſtanti, ergo in inſtanti generationis non ſunt diſpoſitiones, quæ conſtituant cauſam efficientem immediatam formæ ſubſtantialis. Conſequentia tenet, quia per generationem nouæ formæ, omnes formæ antiquæ, tàm ſubſtantiales, quàm accidentales, corrumpuntur, vt eſt in confeſsò apud omnes, ergo in inſtanti generationis non eſſent diſpoſitiones, quæ ſunt cauſæ efficientes immediatæ nouæ formæ ſubſtantialis.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad probationem dicimus antecedens eſſe verum in facto eſſe, falſum tamen in fieri, quia ſic accidentia, & diſpoſitiones mediant inter genitum, & corruptum, vt poſſint diſponere materiam ad exonerationem formę corrumpendæ, & inductionem formæ generandæ. Et cum infertur, quod tunc non eſſent in eodem inſtanti generationis, cùm nec forma prior ſubſtantialis corrumpenda poſſit eſſe in eodem inſtanti formæ nouæ ſuccedentis, cum quibus deberent eſſe, dicimus eſſe falſum, quia ſicut in eodem inſtanti temporis, & diuerſis naturæ, poſſunt eſſe ambæ formæ ſubſtantiales in materia, ſic, & illæ diſpoſitiones vltimæ poſſent terminare ſua munia ad inſtans vnum temporis, in quo introducatur forma genita, & expellatur antiqua per corruptionem, vt ſuperius diximus in quæſtione præcedenti.

Contra, quia non datur vlla cauſa productiua illarum diſpoſitionum, ergo neque diſpoſitiuè poſſent agere ad corruptionem vnius, & generationem alterius formæ. Antecedens probatur, quia ſi daretur talis cau-

Digitized by Google

ſa, vel eſset forma præcedens, vel diſpoſitiones eiuſdem formæ, ſed neutrum eſt dicendum, ergo, Minor probatur, quia forma præcedens cum ſuis diſpoſitionibus molitetur proprium exitium: tum etiam, quia diſpoſitiones formæ corrumpendæ eſsent contrariæ diſpoſitionibus formæ generandæ, ergo ab eis nequirent cauſari. Nec poſset dici, tales diſpoſitiones produci à forma ſubſtantiali, quæ de nouo producitur, quia tunc idem eſset prius, & poſterius, reſpectu eius, & in eodem genere cauſæ efficientis, quod implicat, vt aliàs dictum eſt, ergo cùm nulla eſset cauſa talium diſpoſitionum pro eodem inſtanti generationis, idem efficiens immediatum formæ, cauſaret, quando non eſset, quod omninò implicat.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dicimus huiuſmodi diſpoſitiones cauſari ab agente generante formã nouam, ſiquidem diſponeret materiam ad receptionem formę, quam intenderet, & ad exonerationem eius ab antiqua forma, quam haberet: ignis enim per ſuum calorem cauſatum in ligno, diſponeret materiam ligni ad receptionem proprię formæ, & in eodem tẽpore expelleret frigus, & cum ipſo formam ligni ab eadem materia ſicut aliàs dictum eſt cum Scoto in 4. d. 1. q. 5. ſub F. & d. 43. q. 5. ſub C. Vndè argumentum non vrget amplius, vt videbatur facere, ob falſam ſuppoſitionem, quod altera formarum deberet cauſare diſpoſitiones neceſsarias pro diſpoſitione materiæ ad generationem formæ, quandoquidem hoc eſt munus agentis generantis effectiuè vnam formam, & ſimul expellentis aliam pariter effectiue.

Obijcitur ſecundo ſi daretur reſolutio vſque ad materiam nudam, nulla eſset ratio, cur hæc potius produceretur, quàm alia alterius ſpeciei, ſed hoc eſset valdè abſurdum ergo, &c. Sequela maioris probatur, quia forma inducenda eſset in materia nuda, abſque omni qualitate determinante, ſed materia nuda eſt indifferens ad omnem formam, ergo nulla eſset ratio, cur hæc potiùs produceretur, quàm alia alteriùs ſpeciei. Nec valeret dicere, quod determinaretur ab agente, nam vel determinaret illam in intentione, vel in executione, neutrum eſt dicendum ergo, &c. Minor probatur, non in intentione, quia talis non ſufficit ad productionem formæ in actu: nec in executione, quia nihil agens faceret circa ſubiectum, per quod determinaretur ad formam, quandoquidem omnis eius actio eſset circa expulſionem formæ antecedentis, & non circa productionem formæ nouæ, ergo nil eſset, vnde materia eſset determinata, magis ad hanc, quàm ad illam formam.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad cuius probationem dicimus, materiam determinaturam ab agente, & in intentione, & in executione, ſiquidem per ſe intenderet formam nouam, & per accidens formam antiquam in executione verò, cauſaret diſpoſitiones pro inductione formæ nouæ, & per accidens cum eiſdem ageret ad expulſionem formæ antiquæ.

Contra, quia materia nuda eſt indifferens ad quodlibet agens, ergo ſi pro eodem inſtanti, quo forma produci deberet, applicaretur ſibi aliud agens, poſset aliam formam recipere ab hoc, relicto priori; quandoquidem eſset pro illo inſtanti denudata omni qualitate, qua determinaretur potius ad hoc agens, & ad eius formam, quàm ad aliud, & ad illius formam. Nec valet dicere fuiſse determinatam per diſpoſitiones antecedentes, immiſsas in tempore antecedenti ad illud inſtans, quia ſi in tali tempore, huiuſmodi diſpoſitiones non traxerunt ſecum potius illam formam, quàm iſtam, reliquerunt materiam nudam, & indifferentem ad vtramque. Nec poteſt dici, tunc determinari à præſentia agentis, quia tale abſque diſpoſitionibus præcedentibus, non minus ſe haberet, ac ſi non eſset præſens, ac proinde materia ſemper eſset indifferens ad quodlibet agens, & ad quãcunque formam, & ſic nulla adeſſet ratio, cur potius hãc, quam illã reciperet.

Reſpondetur negando vltimam conſequentiam, ſiquidem agens determinaret ſibi materiam per ſuas diſpoſitiones, proprias illius formæ, quam intenderet, & per conſequens ad receptionem magis huius formæ, quam alterius. Et licet huiuſmodi diſpoſitiones non eſsent in illo, in quo deberet recipere formam, inſtanti, non officit, cùm ſufficiat illas præfuiſse in tempore immediatè præcedenti ad illud inſtans, ad hoc, vt materia eſset potius determinata ad illam formam recipiendam, quam ad iſtam; forma enim non inducitur in materia, niſi poſt totam diſpoſitionem præmiſſam ab agente in tempore antecedenti, vſque

Digitized by Google

vſque ad inſtans expulſionis alterius formæ vnde non ſequitur, materiam fuiſſe nudam, & indifferentem, quin potiùs determinatam in tempore antecedenti a forma priori, & in eodem inſtanti expulſionis, etiam à ſuccedente genita, & introducta ab agente.

Obijcitur tertio contra ſecundam concluſionem quia in quouis compoſito ſubſtantiali, ſiue animato, ſiuè inanimato eſt tantùm vna forma ſubſtantialis, ergo cùm corrumpitur reſoluitur immediate in materiam primam. Conſequentia tenet ex probatione noſtræ primæ concluſionis. Antecedens probatur ex Ariſtotele in textu cap, 2.3.& 4. huius libri, quia ſubiectum generationis ſubſtantialis nequit eſſe ens actu, alioquin nulla eſſet generatio ſimpliciter, diſtincta ab alteratione, ſed omnis generatio foret ſecundum quid, & alteratio: tùm quia quod mutatur per generationem eſt ſimplex materia nuda, atqui ſi in aliquo compoſito ſubſtantiali darentur duæ formæ, ſubiectum generationis ſubſtantialis eſſet ens actu, nimirum conſtitutum ex materia prima cum priori forma; ſimiliter ſubiectum generationis non eſſet ſimplex materia nuda, quia quodlibet viuens ſupponeret corpus Phyſicum, quod non eſt ſimplex materia nuda, ergo in ſententia Ariſtotelis danda eſt in quolibet compoſito ſubſtantiali tantum vna forma actuans vnam materiam.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dicimus, Ariſtotelem docuiſſe quidem in citatis locis, ſubiectum generationis ſubſtantialis, vt diſtinguitur ab alteratione, & à generatione accidentali, non eſſe ens actu, in actu completo, & perfecto, non tamen excluſit ab eo ens actu, in actu incompleto, & imperfecto, cuiuſmodi eſt materia cum forma corporeitatis, quinimò hoc expreſsè, conceſſit in generatione corporis, ſeù compoſiti animati, quod coaleſcit ex corpore Phyſico organico, tamquam ex materia, & ex anima, veluti ex forma, ſeù actu. anima enim diffinitur ab eodem in ſecundo de Anima t.6. per *eſſe actum primum corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis*: modo certum eſt corpus organicum habere propriam formam dantem ſibi eſſe corporis, diſtinctam ab anima, igitur concedendum eſt, etiam de mente Ariſtotelis, in compoſito animato, quod eſt terminus generationis ſubſtantialis, admitti debere formam corporeitatis, quæ ſit ſubiectum quo generationis ſubſtantialis, diſtinctam realiter ab anima. Et quando ſubdit Ariſtoteles ſubiectum, quod mutatur per generationem, eſſe materiam nudam, locutus eſt de generatione inanimatorum, non verò animatorum, & viuentium, quia de hac verum eſt eſſe corpus organicum, alioquin male diffiniret animam, quæ eſt terminus formalis generationis viuentium, quod non eſt dicendum de tanto Philoſopho.

Obijcitur quarto contra tertiam concluſionem. Nàm in generatione compoſiti ſubſtantialis debent præcedere accidentia, cùm ſint principia diſpoſitiua, ſine quibus nequit gigni compoſitum ſubſtantiale, ergo in corruptione eiuſdem debet fieri reſolutio in accidentibus, & non in materia nuda.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem concedimus præcedere in generatione compoſiti ſubſtantialis, nonnulla accidentia diſpoſitiua ad talem generationem in fieri, non tamen in facto eſſe, quia talia corrumpuntur quando introducitur forma genita, & alia conſequuntur cum ipſa forma noua, ſubiectata in compoſito, manentque ibi vſque ad illius corruptionem, & hæc pariter deſinunt ad deſitionem ſubiecti: vnde cum nulla accidentia maneant inter genitum, & corruptum, ſequitur reſolutionem non fieri immediate in accidentibus, verum in ſola materia prima nuda.

Contra, quia eſto, quod ordine intentionis, in generatione ſubſtantiali, ſit prius compoſitum ſubſtantiale, quàm accidentale, tamen ordine executionis, prius eſt accidentale, quam ſubſtantiale, ergo per oppoſitum, in corruptione ſubſtantiali, prius debet deſinere, & habere non eſſe in materia compoſitum ſubſtantiale, quam accidentale, ordine executionis, ac proinde reſolutio compoſiti ſubſtantialis debet prius fieri in accidentibus, & poſteà in materia nuda. Conſequentia tenet, quia ordo intentionis eſt contrarius ordini executionis, ergo ſi ordine intentionis in generatione prius habet eſſe compoſitum ſubſtantiale, quam accidentale, & in ordine executionis econuersò ſe habeant, ſequitur quod in corruptione ordine intentionis, quamuis prius habeat non eſſe compoſitum accidentale, quam ſubſtantiale, tamen ordine executionis, prius debet habere non eſſe compoſitum ſubſtan-

tiale, quam accidentale, & conſequenter reſolutionem non fieri immediate in materia nuda, ſed in accidentibus in eadem ſubiectatis.

Reſpondetur, verum eſt antecedens de accidentibus, requiſitis in fieri compoſiti ſubſtantialis, quæ corrumpuntur ſimul cum forma præcedenti, non tamen de accidentibus in facto eſſe, quia talia non remanent ſubiectata in materia prima, vt videtur ſupponere argumentum; quandoquidem talia, cum adueniant in compoſito genito, per introductionem formæ nouæ, deſinunt in corruptione compoſiti ſimul cum eius forma. Vndè neganda eſt conſequentia, illata ex conſequenti falſo, deducto ex antecedenti æquiuoco, ſimul cum eius probatione, quia ſupponit ſemper vnum falſum, nimirùm dari accidentia in facto eſſe, mediantia inter genitum, & corruptum, & ſubiectata in materia, quod alias oſtẽdimus, vt dictum eſt ſuperius, etiam in probatione concluſionis huius tertiæ.

Contra, quia accidentia in facto eſſe, præcedentia formam, ſunt compoſſibilia cum illa in eadem materia, ergo poſſunt recipi ſimul cum illa, & informare eandem numero materiam. Antecedens probatur, tum quia ſunt diſpoſitiones, & non impedimenta ipſius formæ: tùm etiam, quia ratione ſua non repugnant in ratione exiſtendi, ergo poſſunt ſtare ſimul in facto eſſe, & informare etiam antecedenter materiam nudam. Nec valet dicere, quod non poſſint conſiſtere antecedenter ad formam ſubſtantialem in materia, quia non educuntur de potentia materię immediate, verum duntaxat de potentia compoſiti ſubſtantialis, quod eſt eius ſubiectum, quia hoc eſt petere principium, & adducere pro ratione, id quod eſt in controuerſia, ergo cum nulla adſit ratio excludens accidentia ab inhærentia immediata in materia ſimul cum forma genita, non eſt cur nequeant conſiſtere, & ſubiectari immediatè in materia.

Reſpondetur negando antecedens, ſiquidem incompoſſibilitas non prouenit ratione formæ ſubſtantialis abſolutè, verùm ratione eius, vt eſt perſe actus, & ratione potentiæ materiæ, quatenus perſe ſimul cum forma ſubſtantiali ordinantur ad conſtitutionem totius perſe, vt diſtinguitur à toto per accidens, vt docet Ariſtoteles 8. Metaph. t. 15. Non poſſet autem forma ſubſtantialis eſſe perſe actus, nec materia perſe potentia, ſi mediarent inter illas accidentia abſoluta, & ſubiectata in materia, quia hæc facerent cum illa vnum per accidens, maxime in ſententia Doctoris Subtilis, ſuſtinentis materiam habere actum entitatiuum, igitur ratio repugnantiæ, vt accidentia nequeant ſubiectari, ſimul cum forma ſubſtantiali, immediatè in materia prima, prouenit ex toto perſe, & ex materia, & forma, vt ſunt eius partes perſe, Ad probationes antecedentis, neganda eſt conſequentia, quandoquidem prior probatio non officit, licet enim accidentia diſpoſitiua ad introductionem formæ nouæ & expulſionem antiquæ admittantur media inter vtramquè, non tamen ſubiectantur in materia, ſed in compoſito corrumpendo, & cum illo deſinunt eſſe ad corruptionem ſuæ formæ, & introductionem alterius ſibi incompoſſibilis, quare ex hoc nequit argui compoſſibilitas accidentium in facto eſſe in materia, quinimo deducenda eſt incompoſſibilitas ex rationibus adductis, tùm ex parte materiæ ac formæ, quæ ſunt partes perſe, tùm ex parte compoſiti ſubſtantialis, quod eſt totum perſe diſtinctum ab eo, quod eſt peraccidens. Nec poſterior faceſſit quicquam, quia non petitur principium, vt inſertur in argumento, quinimò adducitur germana ratio, quandoquidem materia prima, cum ſit ſubiectum generationis ſubſtantialis, vt diſtinguitur à generatione accidentali; & compoſitum ſubſtantiale ſit ſubiectum generationis accidentalis, vt diſtinguitur à ſubſtantiali, vt docet Ariſtoteles in hoc primo lib. de Gener. & Corrupt. t. 10. 11. & 12. ac præſertim t. 23. & 24. ſicut hoc nequit eſſe ſuſceptiuum termini generationis ſubſtantialis, ita nec illa termini generationis accidentalis poterit eſſe ſuſceptiua, alioquin generatio, & alteratio non diſtinguerentur realiter, vt docuit Philoſophus. Ex his infertur, quod ſicut materia nequit ſuſcipere formam ſubſtantialem, ſi non educatur ab ea, ſic neque compoſitum ſubſtantiale poterit ſuſcipere formas accidentales niſi educantur ab eo, ergo quemadmodum ratio eductionis formæ ſubſtantialis è materia eſt cauſa, quare recipiatur immediatè in ipſa, ita ex oppoſito, quia accidentia corporalia non educuntur de

ma-

Digitized by Google

materia, ſed de compoſito ſubſtantiali, erit ratio, quare nequeant recipi ſubiectiuè in eadem, verùm duntaxat in compoſito. Qui plura cupit ad hoc propoſitum, videat quæ ſcripſimus in primo Phyſicorum Diſp. 4.q.4. & habebit intentum.

Vtrum Generatio diſtinguatur realiter ab Alteratione?

QVÆSTIO V.

QVamuis ex dictis de Generatione, & Corruptione ac Alteratione potuiſſemus facillimo negotio ſatisfacere propoſitæ difficultati, tamen ad vberiorem doctrinam tradendam, potiſſimùm de Alteratione, neceſſarium duximus illam ſeorſim exagitare; quare cùm nulla videatur inter Doctores controuerſia, (quippe qui omnes conſentiunt reſolutioni, quam dedit Ariſtoteles hoc primo lib. cap. 4 à t. 23. & inde) propterea quibuſdam de more notatis pro maiori claritate eorum, quæ dicturi ſumus in concluſionibus infra ponendis, ſtatim ad rem properamus.

Primo igitur notandum eſt hic nos loqui de generatione, & corruptione ſimpliciter, ſeu ſubſtantiali, prout diſtinguitur à generatione, & corruptione ſecundum quid, quia ſicut certum eſt, hanc, cum terminetur ad accidentia, aliqualiter coincidere cum alteratione, non eſt ita manifeſtum, illam, etſi ad ſubſtantiam terminetur, ab alteratione realiter ſeiungi; quandoquidem alteratio eſt ita neceſſaria ad generationem ſubſtantialem, ſaltem in ratione mutationis, ponendam naturaliter in eſſe, vt abſque illa haberi minimè poſſit: Diſpoſitiones namque pro hac determinata forma neceſſariò præmittuntur ab agente naturali, vt materia, quæ de ſe indifferens ad omnes formas exiſtit, ad hanc potius, quàm ad aliam, reddatur determinata iuxta intentionem agentis naturalis: idcircò de illa quærendum eſt determinatè, an diſtinguitur realiter ab alteratione, quod eſt inueſtigare, an generatio, & corruptio formaliter ſumptæ ſecernantur realiter à præuijs diſpoſitionibus, ab agente naturali præmiſſis, antequam expellatur forma corrumpenda, & introducatur alia forma de nouo generanda.

Secundo Notandũ ex varijs textibus Ariſt. in quibus ſermonẽ contigit ſibi habuiſſe de alteratione, eius nomen eſſe æquiuocum, & multiplex: Nàm alteratio quandoque ſumitur cõmuniſſime pro omni mutatione accidentali, à qua res dicitur fieri altera, & non alia, hoc eſt, differens ab alia accidentaliter, non autem eſſentialiter, vt innuit Porphyrius cap. de Differentia, & de hac locutus eſt Ariſtoteles lib. 2. de Generatione, & Corruptione t. 1. ſecundum opinionem Antiquorum, qui, cum non diſtinguerent generationem ab alteratione, conabantur dicere, omnia, quæ fiunt, ſiue ſubſtantialiter, ſiuè accidentaliter, fieri tantum ad alterum, hoc eſt accidentaliter. Interdùm ſumitur communiter pro mutatione, qua acquiritur qualitas, quæcunque ſit illa, ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis; ſiue habeat contrarium, ſiue non, & de hac ſermonem habuit in 3. Phyſic. ſum. 2. pluribus in locis. & 5. Phyſicorum à t. 18. vſque ad finem capitis. Aliquando ſumitur propriè pro mutatione ad qualitatem contrarium habentem, de qua pariter locutus eſt 5. Phyſicorum, ſed præſertim 7 Phyſicorum de qualitatibus inferentibus paſſionem in ſenſibus à t. 14. & ſequentibus, & t. 32. ac inde vſque finem, & 1. de Cœlo, & Mundo, t. 21. Demùm ſumitur alteratio pro mutatione ad qualitatem, habentem contrarium quidem, ſed expellendum ab eodem ſubiecto, & de hac potiſſimum eſt ſermo in præſentiarum, cum quæritur: An diſtinguatur realiter à generatione, & corruptione, ſiquidem huiuſmodi alteratio eſt præuia diſpoſitio ad generationem, & corruptionem ſubſtantialem, quoniam ab aliquibus vocatur earundem paſſio, identificata realiter materiæ, cum qua remanet in genito, & corrupto, eadem numero; verùm an hæc ſint conuenienter dicta, & Doctori Subtili conſona; iudicet qui legerit ex dictis, ac dicendis.

Tertio Notandum ex Ariſtotele in hoc primo lib. de Generatione & Corruptione t. 23. Generationem, & Alterationem diuerſimodè diffiniri, inquit enim. *Alteratio quidem eſt, quando manente ſubiecto ſenſibili exiſtente, transmutatur in eius paſſionibus, aut contrarijs, aut medijs exiſtentibus, vt corpus ſanum eſt, & rurſus laborat, manens idem, & æs, quandoque rotundum, quandoque autem angulare, idem exiſtens. Quando*

Digitized by Google

autem totum tranſmutetur, non manente aliquo ſenſibili, vt ſubiecto eodem, ſed vt ex genitura tota ſanguis, aut ex aqua aer, aut ex aere omni aqua, Generatio iam hoc tale, huius autem Corruptio. Quæ diffinitiones, vt communiter tradunt expoſitores, ita ſonant. Alteratio eſt mutatio ſubiecti eiuſdem, ſenſibiliter manentis, de vna qualitate contraria in aliam contrariam, vel mediam, vt cum corpus mutatur de ſanitate in ægritudinem, aut de caliditate in frigiditatem, vel tepiditatem, nulla facta mutatione ſubſtantiali in eodem. Generatio verò eſt mutatio totius ſubiecti, categorematicè ſumpti in aliud categorematicè ſumptum, non manente aliquo ſenſibili, vt ſubiecto eodem, hoc eſt aliquo accidente, quod idem numero maneat ſub genito, & corrupto. Ex quibus diffinitionibus elicitur conuenientia aliqua, & diſconuenientia inter generationem, & alterationem. Conueniunt quidem in genere, quia ambæ ſunt mutationes, ſumendo mutationem, & motum largè, vt aliàs obſeruatum eſt. Diſconueniunt verò in multis, tùm quia ſubiectum in alteratione manet idem ſubſtantialiter, & categorematicè ſumptum ſub terminis contrarijs, vt ſub albo, & nigro, at in generatione ſubiectum categorematicè acceptum mutatur in aliud, & manet ſolùm ſincategorematicè, nempe materia prima: tùm quia generatio terminatur ad ſubſtantiam, alteratio verò ad accidens: tùm quia generatio verſatur inter terminos priuatiuè oppoſitos, hoc eſt inter priuationem, & eius formam ſubſtantialem: alteratio verò inter terminos poſitiuos contrarie oppoſitos, vel diſparate, cuiuſmodi ſunt qualitates contrariæ, vel mediæ: tùm denique, quia alteratio eſt mutatio ſucceſſiua, quia qualitates ſucceſſiuè acquiruntur in ſubiecto eodem, generatio autem eſt mutatio inſtantanea, cùm forma ſubſtantialis indiuiſibiliter introducatur in materia, vt ſuperiùs probatum eſt. Ex quibus omnibus infertur diſtinctio realis inter generationem, & alterationem; tàm ex parte terminorum ad quos, & à quibus, quàm ex parte ducationis vtriuſque, quia altera menſuratur tempore, altera verò inſtanti temporis: & vna terminatur ad ſubſtantiam, alia verò ad accidens, quæ ſunt res diſtinctæ realiter.

Quarto Notandum eſt, alterationem eſſe motum, & motum phyſicum, ſecundum quem corpus naturale ſucceſſiue alterat, vel alteratur per qualitates, vel à ſe cauſatas in aliud, vel in ſe receptas, & hæc eſt duplex ſcilicet abſoluta, & comparata, quandoquidem per alterationem aut acquiritur qualitas ſimpliciter noua, vt cum corpus ex calido fit frigidum, ex inſipido ſapidum, ex in odoro odorum, aut econuerſò, & ſic dicitur alteratio abſoluta; aut acquiritur qualitas ſecundum quid noua, vel ſecundum gradus plures, vel pauciores, vt quando corpus ex minus calido, vel frigido, fit magis calidum, aut frigidum, vel econtra, quando ex magis calido, vel frigido fit minus calidum, aut frigidum, & tunc vocatur alteratio comparata. Vtraque autem partitur in corruptiuam, perfectiuam, & diſpoſitiuam. Corruptiua alteratio, eſt quæ terminatur ad qualitates contrarias, & adinuicem pugnantes in ſubiecto eodem, quarum altera ſi acquiritur, abijcitur altera ab eodem, qua de cauſa vocatur alteratio corruptiua, quia per vnam qualitatem agens tendit ad corruptionem alterius. Perfectiua alteratio eſt, quæ terminatur ad qualitates non habentes contrarium, quinimò perficientes accidentaliter ſubiectum, vt ſunt ſpecies intelligibiles, ſenſibiles, ſcientię, intellectiones, volitione & huiuſmodi qualitates ſpirituales. Diſpoſitiua demùm alteratio eſt, qua ſubiectum determinatur per actionem agentis, medijs qualitatibus contrarijs, ad recipiendam magis vnam formam ſubſtantialem, quàm aliam, cùm ad alterutram ſit indifferens, cuiuſmodi eſt alteratio, qua per calorem, & ignis ſiccitatem lignum magis diſponitur ad corruptionem ſui, & eius materia potiùs determinatur ad ſuſcipiendam in ſe formam ignis, quàm ad retinendam formam eiuſdem ligni; & de hac potiſſimum loquimur, cùm quærimus, an generatio, & alteratio, quæ adinuicem videntur ſe concomitari, ſint vna, & eadem mutatio, vel duæ à ſeinuicem realiter diſtinctæ.

Ex his ſit prima concluſio. Generatio ſimpliciter, ſeù ſubſtantialis, & alteratio, ſiuè corruptiua, ſiue diſpoſitiua, ſunt mutationes à ſeinuicem realiter diſtinctæ. Eſt Ariſtotelis in hoc primo libro cap. 4. Sum. p.t.23. & 24. ac Doctoris Subtilis in 4.d.11.

q. 1. art. primo ſub A, & B. ac alibi pluribus in locis. Probatur prima pars ex Ariſtotele quinto Phyſicorum t. 7. 9. & 10. in quibus locis enumerat tres mutationis ſpecies, & inter illas recenſet generationem, & alterationem. Deinde in 6. Phyſicorum t. 32. inquit, mutationem eſſe, qua aliquid aliter ſe habere poteſt nunc, quàm prius, atqui per generationem materia ſubſtantialiter, & compoſitum ſubſtantiale per alterationem aliter ſe habere poteſt accidentaliter nunc, quam prius, ergo generatio, & alteratio ſunt mutationes. Minor probatur, quia materia exiſtens ſub forma ligni, cùm introducitur forma ignis in ea, aliter ſe haber, quàm prius ſe habebat ſub forma ligni: Similiter lignum frigidum, dum exuit frigiditatem, & induit caliditatem, aliter ſe habet, nunc, quàm prius ſe habebat, ergo tàm materia, quàm lignum mutantur, hoc per alterationem. & illa per generationem, igitur generatio, & alteratio ſunt mutationes. Secunda pars probatur, quia mutationes reales, habentes terminos realiter diſtinctos, & à *quibus*, & ad *quos*, realiter diſtinguuntur, ſiquidem motus, & mutationes ſpecificantur ab huiuſmodi terminis ex Ariſtotele 5. Phyſicorum t. 7. & t. 35. ſed generatio, & alteratio ſunt huiuſmodi ergo diſtinguuntur realiter. Minor probatur, nàm termini generationis ſunt forma ſubſtantialis, & eius priuatio: termini verò alterationis ſunt qualitates, vel contrariæ, vel mediæ ex eodem Ariſtotele hic t. 24. quæ realiter diſtinguuntur, ergo generatio, & alteratio ſunt mutationes reales realiter diſtinctæ. Deinde ſuadetur hæc ſecunda pars ex aliis differentiis, relatis in tertio Not. Quandoquidem diffinitiones generationis, & alterationis ſunt realiter, & eſſentialiter diſparatæ, vt patet in t. 23. menſuræ, ac ſubiecta harum mutationum realiter diſtinguuntur, vt manifeſtum eſt ex prædictis textibus, ergo generatio, & alteratio ſunt mutationes vndequàque realiter diuerſæ.

Secunda Concluſio. Quàmuis generatio, & alteratio ſint mutationes realiter diuerſæ, nihilominus ſi ſumantur, vt dicunt ordinem ad agens naturale, ſunt ita naturaliter connexæ, vt impoſſibilitas generationis, inferat impoſſibilitatem alterationis, ſi non abſolutæ, ſaltem corruptiuæ, ac diſpoſitiuæ. Eſt Ruuij hic tract. 3. q. 1. num. 108. contra Maſtrium Diſp. 3. q. 1. nu. 4. de Alteratione, qui putat pro ſe habere Doctorem Subtilem in 4. d. 6. q. 5. D. & d. 12. q. 3. per totam. Vtraque tamen ſuſtineri poteſt abſque cenſura improbabilitatis. Probatur prima pars ex Ariſtotele in hoc primo lib. de Generat. & Corrupt. t. 1. vbi inquit: *Quapropter ſi non ſit poſſibile ex igne fieri aquam, neque ex aqua terram, neque ex albo nigrum erit aliquid, neque ex molli durum: eadem autem ratio, & de aliis, hoc autem erat alteratio*. Atqui factio aquæ ex igne, & terræ ex aqua, innuit generationem; factio verò nigri ex albo, & duri ex molli denotat alterationem, ergo ex Ariſtotele impoſſibilitas generationis infert impoſſibilitatem alterationis. Neque valet dicere cùm Ruuio, & Maſtrio, hoc intuliſſe Ariſtotelem ex conceſſis ab Empedocle, qui putabat non poſſe fieri generationem elementorum inſeinuicem, & tamen affirmabat poſſe fieri alterationem corruptiuam paſſionum eorumdem elementorum ad ſeinuicem, contra quem ſic arguebat; Paſſiones alicuius ſubiecti nequeunt alterari corruptiuè, niſi deſtruatur ſubiectum, igitur data impoſſibilitate deſtructionis ſubiecti, datur impoſſibilitas generationis, ac proindè neceſſariò debet ſequi impoſſibilitas alterationis corruptiuæ, verum cùm Ariſtoteles oppoſitum adſtruat in elementis, non debuit oppoſitum inferre in qualitatibus, ſicut faciebat Empedocles: Non valet inquam huiuſmodi reſponſio, cùm ſit manifeſtum effugium in doctrina Philoſophi, quandoquidem ſecundum ipſum, alteratio corruptiua eſt ita connexa cum corruptione ſubſtantiali, & diſpoſitiua cum ſubſtantiali generatione, vt ſine ipſis agens naturale neque poſſit agere ad corruptionem formæ præcedentis, neque ad generationem formæ ſubſequentis, ſiquidem inquit, pluribus in locis, ſed præſertim in ſecundo de Anima t. 24. Actus actiuorum non inſunt, niſi in patiente bene diſpoſito, ergo, quemadmodum ſecundum eundem hic t. 17. generatio, & corruptio, in generabilibus, & corruptibilibus, ſe taliter concomitantur, vt impoſſibilitas vnius inferat impoſſibilitatem alterius, ita dicendum eſt de huiuſmodi alterationibus, in ordine ad generationem, & corruptionem, quod ſi hæ forent impoſſibiles naturaliter, & naturaliter

illæ

Digitized by Google

illæ eſſent impoſſibiles. Nec valet reſpondere hoc noſtrum eſſe effugium in doctrina Ariſtotelis, quippequi oppoſitum manifeſtè docuit in eodem textu primo ſuperius citato, inquit enim arguendo contra Antiquos, *Hoc autem, quod dicimus, facile eſt videre: quemadmodum enim videmus quieſcente ſubſtantia, in ea tranſmutationem fieri ſecundum magnitudinem, quæ vocatur augmentatio, & diminutio, ſic, & alterationem*. Non valet inquam in propoſito, quia licet ſit verùm, quod ibidem dicitur de augmentatione, & diminutione, etiam de alteratione abſoluta, & quæ terminatur ad qualitates non habentes contrarium, ſicut nec magnitudo, hoc tamen nequit dicere de alteratione, terminata ad qualitates primas contrarias, cuiuſmodi eſt alteratio corruptiua, & diſpoſitiua, quippeque cùm ordinentur ad generationem, & corruptionem, veluti ad fines, per ipſas, intentos ab agente naturali, nequeunt ab illis ſeiungi quoad executionem, itaquod quemadmodum illæ non poſſunt haberi ſine iſtis, ſic illis ceſſantibus, & iſtæ ceſſare coguntur, cùm ampliùs non ſint neceſſariæ. Ex his confici poteſt hæc ratio pro hac prima parte. Alteratio corruptiua, & diſpoſitiua naturaliter ordinantur ad generationem, & corruptionem, cùm ſine ipſis naturaliter haberi nequeant in rerum natura, ergo ſicut ad poſitionem illarum neceſſariò ponendæ ſunt alterationes, corruptiua ad expulſionem formæ corrumpendæ, & diſpoſitiua ad introductionem formæ generandæ, ita ad negationem illarum in rerum natura negandæ ſunt neceſſariò iſtæ, ac proindè ad impoſſibilitatem generationis ſubſtantialis, ſequitur impoſſibilitas alterationis, tùm corruptiuæ, tùm diſpoſitiuæ conſequentia tenet per illam regulam: ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, & negatio negationis, & eò maximè, quia ſumus in cauſis præciſis, naturaliter loquendo. Secunda pars ſuadetur ex Maſtrio citato tùm quia Ariſtoteles in primo Phyſicorum t. 24. arguens contra Parmenidem & Meliſſum ponentes vnum principium immobile omnium rerum, & negantes generationem, & corruptionem ex conſequenti, reprehendit illos, quod poſuerint etiam illud immobile, quia poterat alterari, & moueri localiter per partes, ſi non ſecundum totum, ergo negat generatione, & corruptione, eſt poſſibilis alteratio, & ſecundum locum mutatio ſecundum Philoſophum: tum quia prius, vt prius poteſt eſſe ſine poſteriori, ſed alteratio in executione eſt prior generatione, & corruptione, ergo quàmuis illæ non eſſent poſſibiles in rerum natura, vna tamen quieſcente ſubſtantia genita, non eſſent impoſſibiles iſtæ alterationes in illa: tùm quia non omnis alteratio corruptiua habet pro fine intrinſeco generationem, vt patet de calore, qui pro fine intrinſeco non habet gignere ignem, vel carnem, verum duntaxat calorem reſpectu cuius eſt inſtrumentum diſpoſitiuum, ergo licet deficeret generatio carnis, vel ignis, non propterea deficeret à ſuo fine intrinſeco, qui eſt producere calorem, & per ipſum alterare lignum incorruptibile: quare non videtur tanta connexio inter has mutationes, vt impoſſibilitas vnius reddere debeat etiam impoſſibilem alteram. Tertia pars non meliùs probari poteſt, quàm ex dictis pro vtraque opinione, & ſolutione argumentorum propoſitorum ad oſtendendam probabilitatem vtriuſque partis.

Obijcitur primo contra primam concluſionem, quia quæcunque habent connexionem eſſentialem ad inuicem nequeunt diſtingui realiter, ſed generatio, & alteratio ſunt huiuſmodi, cum poſſibilitas, vel impoſſibilitas vnius inferat poſſibilitatem, vel impoſſibilitatem alterius ex ſecunda concluſione, ergo nequeunt diſtingui realiter.

Reſpondetur negando minorem; ſiquidem connexio alterationis cum generatione non eſt ab intrinſeco, & ex principijs vtriuſque mutationis, verum duntaxat per concomitantiam, cùm alteratio ſe habeat tantum diſpoſitiuè ad generationem naturalem. Ad probationem concedimus vtique talem connexionem concomitantem, & ab extrinſeco, cùm qua ſtare poteſt diſtinctio realis ex alijs capitibus, vt diximus in tertio Not. & in probatione concluſionis.

Vel dicendum maiorem eſſe falſam, quia etiam inter totum eſſentiale, & ſuas partes adeſt connexio eſſentialis, & tamen diſtinguuntur realiter, cùm ſe habeant vt cauſa, & effectus; igitur cum ſic ſe habeant etiam alteratio, ſaltem corruptiua, & diſpoſitiua reſpectu generationis, & corruptionis ſubſtantiæ, ſiquidem ſunt inſtrumenta agentis gene-

generantis, & corrumpentis, quamuis adſit inter illas connexio eſſentialis, non propterea officiet, quin inter eas cadere poſſit diſtinctio realis.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam concluſionem fundamenta Maſtrij aduerſus Ruuium, quibus nititur eneruare ſecundam partem concluſionis ſecundæ tùm quia Ariſtoteles contra Parmenidem, & Meliſſum, ponentes eſſe tantum vnum ens infinitum, & ex conſequenti negantes generationem, & corruptionem, dicit tale non poſſe eſſe omninò immobile, cum poſſet moueri localiter ſecundum partes, & etiam alterari, igitur alteratio poſſet eſſe abſque generatione, & corruptione, tùm quia cum alteratio ſit prior generatione, & corruptione, poterit eſſe ſine illis; prius enim cum ſit independens à ſuo poſteriori, poteſt exiſtere ſine illo; tum quia non omnis alteratio corruptiua habet pro fine generationem, ergo nequit concludi tanta connexio, vt impoſſibilitas vnius valeat impoſſibilitare exiſtentiam alterius.

Reſpondetur negando conſequentiam, nec enim rationes allatæ vrgent, vt cogamur diſcedere à priori ſententia. Vndè ad primam quæ fundatur in Ariſtotele, dicimus, philoſophum ibi non eſſe locutum de alteratione corruptiua, & diſpoſitiua, de quibus nos, ſiquidem hæ nequeunt exiſtere abſque generatione, & corruptione, ſecundum ipſum, vt oſtendimus in probatione partis prioris, ſed de abſoluta, vel perfectiua, vtpotè conuenienti etiam enti ingenito, & alterutra ſufficiebat ei, vt oſtenderet falſitatem Parmenidis, & Meliſſi in ponendo ſuo principio vno, & infinito, penitùs immobili. Ad ſecundam dicimus, illud axioma, prius, vt prius poteſt eſſe ſine poſteriori, eſſe verum vbi non eſt eſſentialis dependentia in poſteriori ad prius, vt patet in dependentia totius eſſentialis à partibus vnitis; modo in propoſito non valet, cum generatio, & corruptio ſubſtantialis naturaliter dicant dependentiam eſſentialem ad alterationem corruptiuam, & diſpoſitiuam, quandoquidem agens naturale nequit agere, vel generando, vel corrumpendo, niſi paſſum ſit rectè diſpoſitum, vt docet Ariſtoteles ſecundo de Anima t. 24. ac alibi pluribus in locis. Ad tertiam negatur antecedens, immò huiuſmodi alteratio habet neceſſariò pro fine intrinſeco generationem agentis naturalis, cùm ſit eius inſtrumentum generatiuum. Ad probationem de calore, dicimus verum eſſe, ſumendo calorem ſeorſim, non tamen coniunctim, & quatenus eſt inſtrumentum calidi in agendo, quia ſic agit in finem, intentum ab agente principali, cuius eſt inſtrumentum, vel alteratione corruptiua ad corruptionem formæ corrumpendæ, aut diſpoſitiua ad generationem formæ generandæ.

Dices, ergo calor ſeorſim ſumptus, ſi habet pro fine intrinſeco producere calorem in ſubiecto, poſſet alterare illud, ac per conſequens alteratio corruptiua poterit eſſe abſque generatione, & corruptione ſubſtantiali. Conſequentia tenet, ſupponendo ſubiectum eſse incorruptibile, & calorem eſse qualitatem, ad quam ſit alteratio corruptiua, vt reuera eſt, cum habeat frigus pro contraria qualitate. Illatum probatur ex Scoto in 4. d. 6. q. 5. ad primum pro opinione, vbi habet, *quod qualitas alterans eſt inſtrumentum ad generandum ſubſtantiam, hòc tamen non eſt, quod ſit inſtrumentum in actione alterandi, immò reſpectu alterationis eſt perfectum principium in tantum, quod ſi per ſe eſſet, poſſet alterare*, & in 4. d. 12. q. 3. ſubdit, quod accidens ſeparatum poteſt eſse actiuum, ac ſi foret coniunctum; atqui vt coniunctum poſſet alterare ſubiectum, & non corrumpere, ergo etiam ſeparatum poſſet alterare aliquod ſubiectum abſque generatione, & corruptione; & conſequenter poteſt eſſe alteratio corruptiua abſque generatione, & corruptione.

Reſpondetur negando illatum de alteratione corruptiua, & concedendo illud de alteratione abſoluta; nec aliter loquitur Scotus citatus, ſi rectè perpendatur; nam licet in priori dicat, qualitatem in ratione alterandi non eſse inſtrumentum ſubſtātiæ ad generandum ſubſtantiam, ſed eſse reſpectu alterationis perfectum principium, quod ſi eſset per ſe poſset alterare, nihilominus ſubdit, *ſed ſolum propter hoc dicitur inſtrumentum reſpectu ſubſtantiæ, quia agit ad aliquam formam, quæ eſt diſpoſitio ad ſubſtantiam, vnde ad ſubſtantiam diceretur magis agens diſponens, vt diuiditur contra perficiens, quàm agens inſtrumentale, diuiſum contra principale.* Ex quibus verbis manifeſtè deducitur alteratio abſoluta, & corrupti-

ptiua, vel diſpoſitiua ad generationem ſubſtantiæ: nàm quando dicit, qualitatem, etiam per ſe, poſſe eſſe principium reſpectu alterationis alicuius ſubiecti, loquitur de alteratione abſoluta, quæ ſe habet vt perfectio eiuſdem, non autem de alteratione corruptiua, vel diſpoſitiua, quoniam de hac fatur, cum inquit eſſe inſtrumentum diſpoſitiuum ſubſtantiæ ad generandum ſubſtantiam, quia ſic qualitas nequit alterare ſubiectum, niſi in ordine ad generationem alicuius ſubſtantiæ. Nec aliter locutus eſt in poſteriori, ſiquidem accidens ſeparatum poteſt alterare ſubiectum, vel alteratione abſoluta, vel corruptiua, ſicut coniunctum, concedimus; corruptiua ſolùm, vel diſpoſitiua ad ſubſtantiam, negamus; igitur poteſt dari alteratio abſque generatione, vel corruptione, concedimus de priori, non de poſteriori, de qua loquimur nos. Et quod hæc ſit mens Doctoris percurrito illum in ſecundo loco citatum, ſub P. & A. ac R. & habebis intentum, quia eſſet nimis longum, ac tædioſum totam eius literam verbaliter tranſcribere.

Obijcies tertio fundamenta Ruuij, quatenus militant contra ſententiam Maſtrij, & præſertim auctoritatem Ariſtotelis lib. 1. de Generatione, & Corruptione t. 1. roboratam à nobis èx doctrina eiuſdem alibi traditam. Deinde rationem, fundatam in connexione eſſentiali alterationis cùm generatione, & corruptione, ergo ſequitur ex his, quod ſi generatio, & corruptio non eſſent in rerum natura, aut interdùm ceſſarent, impoſſibilis naturaliter foret alteratio.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem connexio alterationis cum generationis, & corruptionis mutationibus, non eſt eſſentialis dependentiæ, verum duntaxat concomitantiæ naturalis, ſicut eſt dependentia generationis ab corruptione, vel econuerſo, cùm omnes huiuſmodi mutationes poſſint ab inuicem ſeparari, vt probatum eſt ſuperius. Neque rationes allatæ in contrarium multum faceſſunt, vt nos conuincant de oppoſito: nàm ad primam, quæ fundatur in textu Ariſtotelis citato, negatur conſequentia, & ratio in contrarium adducta tàm à Ruuio, quàm à Maſtrio optimè demonſtrat veritatem illius negationis. Nec valet ad hoc propoſitum, quod nos in contrarium attulimus, ſiquidem licet alterationis cùm corruptiuæ, tùm diſpoſitiuæ connexio cum generatione, & corruptione, ſicut generationis cum corruptione ſit concomitantiæ, ita quod ad vnam ſequatur ordinariè alia, non eſt tamen neceſſitatis; nàm quemadmodum poteſt dari, etiam naturaliter, generatio abſque corruptione præcedenti, vt patet in primæua generatione Cœlorum, & Elementorum, ita potuit dari huiuſmodi generatio formarum abſque alteratione diſpoſitiua, & corruptiua, ſicque à ſeinuicem naturaliter ſeiungi: Et ſicut generatio poteſt naturaliter exiſtere abſque talibus alterationibus, ita alterationes huiuſmodi poterunt fieri in aliquo ſubiecto, ſiue à qualitate coniuncta ſubſtantiæ, ſiue ab eadem ſeparata; poteſt enim manus mutari de caliditate in frigiditatem, & econuersò abſque illius generatione, & corruptione, & ſpecies Euchariſticæ poſſunt calefacere, & frigefacere, dulcorare, & amaritudine replere palatum abſque eiuſdem mutatione eſſentiali. Ex quibus manifeſte deducitur quidem concomitantiæ alterationis cum generatione, & corruptione, non autem dependentia, & connexio eſſentialis, & per hoc patet reſponſio etiam ad rationem, adductam pro Ruuio, & ex his probabilitas vtriuſque ſententię, quam promiſimus in tertia parte eiuſdem concluſionis. Pro complemento huius materiæ de Generatione, & Corruptione, eſſent pertractandæ nonnullæ aliæ quæſtiones, quas mouent, & exagitant Recentiores, & potiſſimùm illæ, quæ ſpectant ad ſubiectum, & terminum, ſiuè formalem, ſiue totalem generationis, cæterùm quoniam de his omnibus ſufficienter egimus, partim in primo Phyſicorum *Diſp.* 2. q. 2. ſect. 1. & Diſp. 4. q. 4 et Diſp. 3 q. 8. & 5. Phyſicorum Diſp. 2. q. 2. & 2. de Anima Diſp. 3. q. 6. per totam, propterea his in præſentiarum omiſſis ad alia, quæ attinent ad Alterationem, ſequendo Ariſtotelis textum properamus, & quærimus ſexto in ordine.

Vtrum Alteratio abſoluta fieri poſſit ſecundum omnes qualitates, & tantum ſecundum illas, vel etiam ſecundum relationes?

QVÆSTIO VI.

HAnc quæſtionem videri ſolutam, & per conſequens inutilem, vt à nobis ite-

iterùm exagitetur, ex his, quæ ſcripſimus 7. Phyſicorum Diſput.1.q.2.ex aperta mente Ariſtotelis ibidem quiſpiam forſan iudicabit; verùm enimuerò, quia hic titulus Nonnihil magis prætendit, quàm quæ alibi reſoluimus, non erit abs re, ſi eandem materiam denuò diſputationi, ac exagitationi tradiderimus, & eò maxime, cum non deſint Doctores, qui oppoſitum eorum defendere conentur, quæ inibi docuimus nos.

Nàm Clemens Timplerus in ſua Phyſica Generali cap.15. Problem.3. ſuſtinet, alterationem poſſe fieri ſecundum omnes qualitates ſeparabiles à ſuis ſubiectis, ſiuè ſint ſenſibiles, & corporales, ſiue inſenſibiles, & ſpirituales. Et Problem. 6. idem docet poſſe fieri etiam ſecundum relationes. Cui videntur fauere Simplicius ſuper Prædicamenta, & Doctor Subtilis 2.d.1.q.5. ſub F. & G. dum aſſerunt motum eſſe ad abſolutum, & ad reſpectiuum, cùm primum aliter ſe habere poſſit ad ſe, & reſpectiuum ad alterum, atqui certum eſt alterationem eſſe motum, igitur, & iſti aſſerere debent, alterationem fieri poſſe, nedum ſecundum omnes qualitates ſeparabiles, ſed etiam ſecundum relationes.

Cæterùm oppoſita ſententia probatur efficaciter ab Ariſtotele 7. Phyſicorum à t. 12. vſque ad t. 20 in quibus demonſtrat, non poſſe fieri alterationes ſecundum omnes qualitates, verum duntaxat penes illas, quæ ſunt tertiæ ſpeciei, excludendo omnes relationes, præter locales. Ipſum ſequuntur omnes Peripatetici, cùm quadam tamen modificatione, ſicut obſeruauimus in 5. Phyſicorum Diſp. 11.q. 1. quos, & ibi citauimus.

Quid autem dicendum nobis ſit, ſecundum germanam mentem Doctoris, aliquibus de more notatis, noſtram aperiemus ſententiam in concluſionibus infra probandis.

Primo Notandum eſt, qualitates corporis naturalis, cui ineſt alteratio, ſunt in duplici differentia, nam aliæ ſunt ſeparabiles à ſuo ſubiecto, aliæ verò inſeparabiles. Separabiles ſunt illæ, quæ actu ſeparari queunt à ſuo ſubiecto, ſalua remanente eius eſſentia; Inſeparabiles verò, quæ ab eodem ſeiungi non poſſunt, abſque deſtructione illius, cuiuſmodi ſunt paſſiones, proprietates, naturalis potentia, vel impotentia, quæ identificantur realiter cum ſuis ſubiectis. Separabiles ſunt in duplici differentia, quædam enim ſunt ſenſibiles, ſiue corporales, quædam verò ſunt inſenſibiles, ſiue ſpirituales. Priores ſunt duplices, aliæ enim ſunt, quæ immediate afficiunt corpora naturalia, cuiuſmodi ſunt caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, qua de cauſa vocantur primæ qualitates tangibiles: Poſteriores, quæ habent eſſe ex prioribus, vel ex ipſarum miſtione, quæque tantum mediate apparent, afficiuntue corpora naturalia, & propterea dicuntur ſecundæ, vt ſunt odores, ſapores, colores, grauitas, leuitas, mollities, durities, lenitas, aſperitas, craſſities, tenuitas, & conſimiles. Qualitates autem ſeparabiles, & inſenſibiles, ſiuè ſpirituales ſunt, quæ afficiunt ſubiecta ſpiritualia, cuius modi ſunt habitus intellectuales, intellectiones, volitiones, & aliæ, quæ ſpectant ad primam ſpeciem qualitatis. His omnibus poſſunt addi etiam qualitates quartæ ſpeciei, cuiuſmodi ſunt formæ, atque figuræ, quæ cum ſint formaliter relationes, vt aliàs oſtendimus, habent magis de ſpiritualitate, quàm de ſenſibilitate, & propterea ſub qualitatum inſenſibilium ſerie annumerari poſſunt. Ex his omnibus infertur, quod cum ab eis ſubiecta, quæ afficiunt, poſſint ſubire aliqualem mutationem. Siquidem poſſunt ſe aliter habere nunc, quam prius, & nonniſi mutationem, quæ ſit alteratio, hanc, quam vocamus abſolutam alterationem, poſſe fieri ſecundum omnes qualitates ſeparabiles, ſiuè ſenſibiles, ſiuè inſenſibiles, ſeù corporales, & ſpirituales.

Secundo Notandum ex Doctore Subtili in 4.d.13.q.3 ſub D. ac alibi ſæpius, relationem eſſe duplicem, ſcilicet intrinſecus, & extrinſecùs aduenientem. Prior inſurgit in fundamento poſito termino in quacunque diſtantia, & non acquiritur niſi ad acquiſitionem termini, comprehenditque ſub ſe omnes relationes de prædicamento Ad aliquid. Poſterior verò non inſurgit ſtatim poſitis extremis in quauis diſtantia, ſed requiritur debita approximatio vnius ad aliud, & hæc comprehendit ſub ſe omnes reſpectus ſex principiorum, ſcilicet actionem, paſſionem, ſitum, habitum, vbi, & quando. De his omnibus quæritur, an ſecundum illas poſſit fieri alteratio Phyſica.

Tertio Notanda eſt diuiſio Alterationis Phy-

ptiua, vel diſpoſitiua ad generationem ſubſtantiæ:nàm quando dicit,qualitatem,etiam per ſe,poſſe eſſe principium reſpectu altera tionis alicuius ſubiecti, loquitur de altera tione abſoluta, quæ ſe habet vt perfectio eiuſdem, non autem de alteratione corruptiua,vel diſpoſitiua,quoniam de hac fatur, cum inquit eſſe inſtrumentum d ſpoſitiuum ſubſtantiæ ad generandum ſubſtantiam, quia ſic qualitas nequit alterare ſubiectum, niſi in ordine ad generationem alicuius ſubſtantiæ. Nec aliter locutus eſt in poſteriori, ſiquidem accidens ſeparatum poteſt alterare ſubiectum, vel alteratione abſoluta, vel corruptiua,ſicut coniunctum,concedimus; corruptiua ſolùm, vel diſpoſitiua ad ſubſtantiam,negamus; igitur poteſt dari alteratio abſque generatione, vel corruptione, concedimus de priori, non de poſteriori, de qua loquimur nos. Et quod hæc ſit mens Doctoris percurrito illum in ſecundo loco citatum,ſub P.& A. ac R. & habebis intentum,quia eſſet nimis longum, ac tædioſum totam eius literam verbaliter transcribere.

Obijcies tertio fundamenta Ruuij, quatenus militant contra ſententiam Maſtrij, & præſertim auctoritatem Ariſtotelis lib.1. de Generatione, & Corruptione t. 1. roboratam à nobis ex doctrina eiuſdem alibi traditam. Deinde rationem,fundatam in connexione eſſentiali alterationis cùm generatione, & corruptione, ergo ſequitur ex his, quod ſi generatio, & corruptio non eſſent in rerum natura, aut interdùm ceſſarent, impoſſibilis naturaliter foret alteratio.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſiquidem connexio alterationis cum generationis,& corruptionis mutationibus, non eſt eſſentialis dependentiæ, verum duntaxat concomitantiæ naturalis, ſicut eſt dependentia generationis ab corruptione, vel econuerſo, cùm omnes huiuſmodi mutationes poſſint ab inuicem ſeparari, vt probatum eſt ſuperius. Neque rationes allatæ in contrarium multum faceſſunt, vt nos conuincant de oppoſito:nàm ad primam quæ fundatur in textu Ariſtotelis citato,negatur conſequentia, & ratio in contrarium adducta tàm à Ruuio,quàm à Maſtrio optimè demonſtrat veritatem illius negationis. Nec valet ad hoc propoſitum, quod nos in contrarium attulimus, ſiquidem licet alterationis cùm corruptiuæ, tùm diſpoſitiuæ connexio cum generatione,& corruptione, ſicut generationis cum corruptione ſit concomitantiæ, ita quod ad vnam ſequatur ordinariè alia,non eſt tamen neceſſitatis; nàm quemadmodum poteſt dari, etiam naturaliter, generatio abſque corruptione præcedenti,vt patet in primæua generatione Cœlorum,& Elementorum, ita potuit dari huiuſmodi generatio formarum abſque alteratione diſpoſitiua, & corruptiua, ſicque à ſeinuicem naturaliter ſeiungi:Et ſicut generatio poteſt naturaliter exiſtere abſque talibus alterationibus, ita alterationes huiuſmodi poterunt fieri in aliquo ſubiecto, ſiue à qualitate coniuncta ſubſtantiæ, ſiue ab eadem ſeparata; poteſt enim manus mutari de caliditate in frigiditatem, & econuersò abſque illius generatione, & corruptione, & ſpecies Euchariſticæ poſſunt calefacere, & frigefacere,dulcorare,& amaritudine replere palatum abſque eiuſdem mutatione eſſentiali. Ex quibus manifeſte deducitur quidem concomitantiæ alterationis cum generatione, & corruptione, non autem dependentia, & connexio eſſentialis, & per hoc patet reſponſio etiam ad rationem, adductam pro Ruuio, & ex his probabilitas vtriuſque ſententię,quam promiſimus in tertia parte eiuſdem concluſionis. Pro complemento huius materiæ de Generatione, & Corruptione,eſſent pertractandæ nonnullæ aliæ quæſtiones,quas mouent, & exagitant Recentiores, & potiſſimùm illæ, quæ ſpectant ad ſubiectum, & terminum, ſiuè formalem,ſiue totalem generationis, cæterùm quoniam de his omnibus ſufficienter egimus, partim in primo Phyſicorum Diſp. 2. q.2.ſect.1.& Diſp.4.q.4 et Diſp.3 q.8. & 5. Phyſicorum Diſp.2. q. 2. & 2. de Anima Diſp.3.q. 6. per totam, propterea his in præſentiarum omiſſis ad alia, quæ attinent ad Alterationem, ſequendo Ariſtotelis textum properamus,& quærimus ſexto in ordine.

Vtrum Alteratio abſoluta fieri poſſit ſecundum omnes qualitates, & tantum ſecundum illas,vel etiam ſecundum relationes?

QVÆSTIO VI.

Hanc quæſtionem videri ſolutam, & per conſequens inutilem, vt à nobis ite-

iterùm exagitetur, ex his, quæ ſcripſimus 7. Phyſicorum Diſput. 1. q. 2. ex aperta mente Ariſtotelis ibidem quiſpiam forſan iudicabit; verùm enimuerò, quia hic titulus Nonnihil magis prætendit, quàm quæ alibi reſoluimus, non erit abs re, ſi eandem materiam denuò diſputationi, ac exagitationi tradiderimus, & eò maxime, cum non deſint Doctores, qui oppoſitum eorum defendere conentur, quæ inibi docuimus nos.

Nàm Clemens Timplerus in ſua Phyſica Generali cap. 15. Problem. 3. ſuſtinet, alterationem poſſe fieri ſecundum omnes qualitates ſeparabiles à ſuis ſubiectis; ſiuè ſint ſenſibiles, & corporales, ſiue inſenſibiles, & ſpirituales. Et Problem. 6. idem docet poſſe fieri etiam ſecundum relationes. Cui videntur fauere Simplicius ſuper Prædicamenta, & Doctor Subtilis 2. d. 1. q. 5. ſub F. & G. dum afferunt motum eſſe ad abſolutum, & ad reſpectiuum, cùm primum aliter ſe habere poſſit ad ſe, & reſpectiuum ad alterum; atqui certum eſt alterationem eſſe motum, igitur, & iſti aſſerere debent, alterationem fieri poſſe, nedum ſecundum omnes qualitates ſeparabiles, ſed etiam ſecundum relationes.

Cæterùm oppoſita ſententia probatur efficaciter ab Ariſtotele 7. Phuſicorum à t. 12. vſque ad t. 20 in quibus demonſtrat, non poſſe fieri alterationes ſecundum omnes qualitates, verum duntaxat penes illas, quæ ſunt tertiæ ſpeciei, excludendo omnes relationes, præter locales. Ipſum ſequuntur omnes Peripatetici, cùm quadam tamen modificatione, ſicut obſeruauimus in 5. Phyſicorum Diſp. 11. q. 1. quos & ibi citauimus.

Quid autem dicendum nobis ſit, ſecundum germanam mentem Doctoris, aliquibus de more notatis, noſtram aperiemus ſententiam in concluſionibus infra probandis.

Primo Notandum eſt, qualitates corporis naturalis, cui ineſt alteratio, ſunt in duplici differentia, nam aliæ ſunt ſeparabiles à ſuo ſubiecto, aliæ verò inſeparabiles. Separabiles ſunt illæ, quæ actu ſeparari queunt à ſuo ſubiecto, ſalua remanente eius eſſentia; Inſeparabiles verò, quæ ab eodem ſeiungi non poſſunt, abſque deſtructione illius, cuiuſmodi ſunt paſſiones, proprietates, naturalis potentia, vel impotentia, quæ identificantur realiter cum ſuis ſubiectis. Separabiles ſunt in duplici differentia, quædam enim ſunt ſenſibiles, ſiue corporales, quædam verò ſunt inſenſibiles, ſiue ſpirituales. Priores ſunt duplices, aliæ enim ſunt, quæ immediate afficiunt corpora naturalia, cuiuſmodi ſunt caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, qua de cauſa vocantur primæ qualitates tangibiles: Poſteriores, quæ habent eſſe ex prioribus, vel ex ipſarum miſtione, quæque tantum mediate apparent, afficiuntue corpora naturalia, & propterea dicuntur ſecundæ, vt ſunt odores, ſapores, colores, grauitas, leuitas, mollities, durities, lenitas, aſperitas, craſſities, tenuitas, & conſimiles. Qualitates autem ſeparabiles, & inſenſibiles, ſiuè ſpirituales ſunt, quæ afficiunt ſubiecta ſpiritualia, cuius modi ſunt habitus intellectuales, intellectiones, volitiones, & aliæ, quæ ſpectant ad primam ſpeciem qualitatis. His omnibus poſſunt addi etiam qualitates quartæ ſpeciei, cuiuſmodi ſunt formæ, atque figuræ, quæ cum ſint formaliter relationes, vt alias oſtendimus, habent magis de ſpiritualitate, quàm de ſenſibilitate, & propterea ſub qualitatum inſenſibilium ſerie annumerari poſſunt. Ex his omnibus infertur, quod cum ab eis ſubiecta, quæ afficiunt, poſſint ſubire aliqualem mutationem. Siquidem poſſunt ſe aliter habere nunc, quam prius, & nonniſi mutationem, quæ ſit alteratio, hanc, quam vocamus abſolutam alterationem, poſſe fieri ſecundum omnes qualitates ſeparabiles, ſiuè ſenſibiles, ſiuè inſenſibiles, ſeù corporales, & ſpirituales.

Secundo Notandum ex Doctore Subtili in 4. d. 13. q. 3 ſub D. ac alibi ſæpius, relationem eſſe duplicem, ſcilicet intrinſecus, & extrinſecùs aduenientem. Prior inſurgit in fundamento poſito termino in quacunque diſtantia, & non acquiritur niſi ad acquiſitionem termini, comprehenditque ſub ſe omnes relationes de prædicamento Ad aliquid. Poſterior verò non inſurgit ſtatim poſitis extremis in quauis diſtantia, ſed requiritur debita approximatio vnius ad aliud, & hæc comprehendit ſub ſe omnes reſpectus ſex principiorum, ſcilicet actionem, paſſionem, ſitum, habitum, vbi, & quando. De his omnibus quæritur, an ſecundum illas poſſit fieri alteratio Phyſica.

Tertio Notanda eſt diuiſio Alterationis Phy-

Digitized by Google

Phyſicæ, quam in præcedenti retulimus quarto Notando nempe in abſolutam, & comparatam,& vtrinque in corruptiuam, perfectiuam, & diſpoſitiuam. Inſuper alia diuiſio alterationis, relata à nobis in 7. Phyſicorum Diſp.1.q.2.nimirum in largiſſimè, largè, ſtrictè, & ſtrictiſſimè ſumptam, & quod prima ſe extendit ad omnia accidentia, ſiue abſoluta ſiue reſpectiua, quæ poſſunt facere rem de nouo alteram: ſecunda ad omnes qualitates ſeparabiles; tertia ad omnes qualitates, quibus ineſt contrarietas, cuiuſmodi ſunt illæ repoſitæ in tertia ſpecie: quarta denique coarctatur duntaxat ad primas qualitates tangibiles, cum ſolum iſtæ ſint propriè per motum alterationis acquiſibiles in ſuis ſubiectis.

Ex his ſit prima concluſio. Alteratio fieri nequit ſecundum qualitates inſeparabiles. Probatur, nam alteratio phyſica eſt motus, quo ſucceſſiuè acquiritur, vel abijcitur qualitas aliqua in ſubiecto manente eſſentia eiuſdem ſubſtantialiter illæſa, ſed qualitates inſeparabiles, cum ſint identificatæ realiter ſuis ſubiectis, nequeunt abijci, vel acquiri in illis, firma remanente eorundem eſſentia, ergo ſecundum illas fieri nequit alteratio phyſica. Maior patet ex diffinitione alterationis phyſicæ,poſita in præcedenti quæſtione 4. Not. Minor ſimiliter eſt manifeſta, quia qualitates inſeparabiles ſunt paſſiones, & proprietates, quæ inſunt rebus ſemper, & conuertibiliter prædicantur de illis, & recenſentur in ſecunda ſpecie qualitatis, in quibus nequit fieri alteratio, vt docet Ariſtoteles 7. Phyſicorum t. 14. & nos ex ipſo ibidem Diſp.1.q. 2. ac ab alijs tenetur communiter.

Secunda Concluſio. Alteratio phyſica fieri poteſt ſecundum omnes qualitates ſeparabiles, ſiue ſenſibiles ſiue inſenſibiles,& ſpirituales. Eſt Timpleri contra Ariſtotelem citatum à t.15. vſque ad 20. & finem capitis, quem & nos inibi ſecuti ſumus,licet hic oppoſitum ſuſtinere non veremur ſub probabilitate cum eodem Timplero. Probatur,quia alteratio abſoluta phyſica ſe extendit ad omnes qualitates, quæ per ipſam poſſunt, vel abijci, vel acquiri in ſubiecto, firma remanente eſſentia ſubiecti, ſed qualitates ſeparabiles, cùm ſenſibiles, tùm inſenſibiles ſunt huiuſmodi, ergo ſecundum eas omnes fieri poteſt alteratio phyſica abſoluta. Maior patet ex diuiſione alterationis poſitæ in præcedenti quæſtione Not. 4. & in præſenti Not. 1. vbi recenſuimus alterationem corruptiuam, perfectiuam, & diſpoſitiuam, quæ terminantur ad omnes qualitates, corrumpentes, aut perficientes ſubiectum, aut diſponentes materiam ad receptionem formæ, ex eadem educendæ per generationem. Minor probatur, quia qualitates ſenſibiles, tam primæ, quàm ſecundæ ordinantur ad generationem, per alterationem diſpoſitiuam ſubiecti, vel ad corruptionem, per corruptiuam, ſiue immediate, ſiue mediate; inſenſibiles verò ordinantur ad perfectionem ſubiecti per alterationem perfectiuam,ergo ſecundum omnes qualitates, tàm ſenſibiles, quàm inſenſibiles fieri poteſt alteratio phyſica abſoluta. Antecedentis pars prima eſt nota ex præcedentibus quæſtionibus, de caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate, quæ immediatè, & perſe diſponunt ad generationem, & corruptionem, de qualitatibus autem ſecundis, quàmuis non ſit ita peruium; tamen peritis non eſt obſcurum, aliquos ſapores, & odores, non ſolùm alterari, verum interficere homines, aliquos colores immutare viſum, ſonos auditum lædere, ſi fuerint excellentes, & ſic de alijs, quæ ſi non immediate, & perſe, ſaltem mediate, aut peraccidens per alterationes varias conducunt ad generationem, & corruptionem ſubſtantiæ;ſecunda pars antecedentis, in qua eſt totalis, & controuerſia cum Ariſtotele, non eſt minus nota, quam prima ſicut enim qualitates ſenſibiles alterant officiendo ſubiecta, ſic inſenſibiles perficiendo, habitus namque intellectuales, vt de nono acquiruntur in potentia intellectiua, nedum perpoliunt illam, quæ prius erat rudis, & velut tabula raſa, vt docet Ariſtoteles tertio de Anima t. 14. ſed etiam diſponunt, & reddunt habentes promptos ad operandum intellectualiter; ſimiliter ſpecies intelligibiles fæcundant intellectum & perficiunt ipſum ad intellectiones ſuorum obiectorum, & vt ſummatim vnico complectamur verbo quotieſcunque ſubiectum ſpirituale procedit à non qualitate inſenſibili ad qualitatem inſenſibilem, aut ab imperfectiori qualitate ad perfectiorem qualitatem inſenſibilem, tunc dicitur alterari alteratione, vel abſoluta, vel comparata. Secundo probatur, quia

quia mutati ex Ariſtotele 6. Phyſicorum t. 32. eſt rem aliter ſe habere nunc, quàm prius ſe habuerit, ſed quotieſcunque ſubiectum aliquod de nouo acquirit aliquam qualitatem, ſiue ſenſibilem, ſiue inſenſibilem, quam prius non habebat, tunc aliter ſe habet, quàm prius; ergo mutatur, non motu augmentationis, quia non eſt ad quantitatem, nec generationis ſimpliciter, quia non eſt ad ſubſtantiam, igitur motu alterationis, qui eſt ad qualitatem, cùm per hoc diſtinguatur ab alijs, vt docet idem Ariſtoteles 5. Phyſicorum t. 7. & 9.

Tertia Concluſio. Alteratio Phyſica abſoluta fit etiam per relationes aliquas, non ad ſe, ſed ad alterum, mutatione communi ad ſe, & alterum. Eſt Scoti in 2. d. 1. q. 5. ſub F. & G. & in 3. d. 1. q. 1. ſub K. Simplicij ſuper Prædicam, quos videtur ſecutus Timpletus cit. Probl. 6. & 6. Metaphy. cap. 5. q. 11. & nos ſequi debemus, extendendo relationem ad omnes, tàm intrinſecùs, quàm extrinſecus aduenientes, licet oppoſitum de aliquibus docuerimus in 5. Phyſicorum Diſp. 1. q. Vnica concluſione 1. & 3. Probatur, quia alteratio fit ſecundum omnes illas formas, quæ de nouo acquiruntur in ſubiecto, & à quibus dicitur mutari, ſed ſecundum omnes relationes, tàm intrinſecùs, quàm extrinſecùs aduenientes fundamento, per acquiſitionem termini, mutatur fundamentum per eas, & non alia mutatione, quàm fit alteratio abſoluta phyſica, ergo phyſica alteratio abſoluta fit etiam ſecundum omnes relationes: Maior eſt nota ex diffinitione alterationis, & mutationis phyſicæ ſuperiùs traditæ. Minor probatur quoad primam partem, quia cùm quiſpiam fit ex inhonorato honoratus, ex ſeruo dominus, ex idiota conſul, ex conſule idiota, ex virgine vxoratus & ex vxorato viduus, ex ſoluto vxoratus, ex non patre pater, ex non filio filius, & econuerſo fit in omnibus mutatio, cùm aliter ſe habeant nunc, quàm priùs, & non ſecundum abſoluta, igitur ſecundum relationes, vel intrinſecùs, vel extrinſecùs aduenientes fiunt mutationes in fundamentis. Secunda pars minoris probatur, quia huiuſmodi mutationes non ſunt generationes, cùm non ſint ad ſubſtantiam, nec augmentationes cùm non ſint ad quantitatem, nec loci mutationes, quia non ſunt ad vbi; ergo debent eſſe alterationes, tùm quia non ſunt aliæ ſpecies mutationis, vel motus; tùm etiam quoniam ſecundum relationes quodammodo qualificantur fundamenta, ergo alteratio phyſica abſoluta fit etiam ſecundum omnes relationes, quia non magis mutantur fundamenta ad alterum per aduentum quarundem relationum, quàm omnium. Conſequentia ex Doctore Subtili citato liquet, quia mutari ſumitur hic pro aliter ſe habere nunc, quàm prius, vt eſt commune ad mutari ad ſe, & ad alterum, prout tradit Simplicius in ſuis Commentarijs ſuper Prædicamenta.

Obijcitur tamen multipliciter ex Ariſtotele 7. Phyſicorum loco citato contra ſecundam & tertiam concluſionem, nàm ſecundum, quod ens perficitur, aut corrumpitur, ſecundum id non alteratur, ſed ſecundum habitus ens perficitur, aut corrumpitur, ergo ſecundum habitus non alteratur. Maior eſt nota; nam aliud eſt perfici, aut corrumpi, & aliud alterari, cum hoc fiat ſucceſſiue, & illud in momento. Minor probatur, quia virtutes ſunt perfectiones, ſeù deductiones entis ad naturæ ſtatum, vitia verò deductiones illius à naturæ ſtatu, & eò maximè perficitur, cum pertingit culmen bonitatis naturæ, & corrumpitur, cum per vitia ab illa deijcitur in deteriora.

Reſpondetur maiorem, & eius probationem eſſe veram perfectione, & corruptione eſſentiali, quia fit vtraque in momento, & non ſucceſſiue, falſam de accidentali, quia ſecundum vtramque fit alteratio ſucceſſiua. Ad minorem dicimus, per habitus virtutum aliquem perfici accidentaliter ſucceſſiue, & ſucceſſiue corrumpi accidentaliter per habitus vitiorum, ac proinde in vtriuſque fieri poſſe alterationem phyſicam abſolutam.

Contra, quia nulla alteratio fit ſecundum relationem, quia alteratio terminatur ad qualitatem, & ad ens abſolutum, ſed omnis habitus eſt relatio, ergo nulla alteratio fit ſecundum habitus.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de alteratione, quæ importat mutationem ad ſe, falſam verò ſi dicat mutationem ad alterum, quia ſic alteratio aliqua eſt etiam ad relationem, vt probatum eſt in 3. concluſione. Ad minorem dicimus, eſſe veram de habitu morali, qui conſiſtit in conformitate ad circumſtantias requiſitas ad bene, vel

malè

Digitized by Google

malè operandum, & ſecundum hunc poteſt fieri alteratio, quæ præſefert mutationem ad alterum, & non ad ſe; falſam verò de habitu phyſico, quia talis eſt qualitas de difficili mobilis à ſubiecto vt docet idem Ariſtoteles in Prædicam. de quali, & ſecundum hunc fieri poteſt alteratio, vt dicit mutationem ad ſe in ſubiecto.

Obijcitur ſecundo nàm quod oritur ex alteratione, ſecundum id nequit fieri alteratio, alioquin daretur proceſſus in infinitum, ſed omnis habitus oritur ex alteratione, ergo ſecundum habitus nequit fieri alteratio. Minor probatur per inductionem; ſanitas enim oritur ex bona alteratione corporis ſecundum quatuor primas qualitates, habitus moralis oritur, & exiſtit, cum homo per alterationem eſt diſpoſitus, & affectus, vt poſſit moderari, benè, vel malè ortas paſſiones in corpore; habitus intellectualis exiſtit, quando ſpiritus animales per alterationem ſunt ſedati & phantaſmata rectè diſpoſita, vt quotieſcunque voluerit homo poſſit intellectiones, aut voliriones elicere, ergo omnis habitus oritur ex alteratione, ac proindè ſecundum eos nequit fieri vlla alteratio.

Reſpondetur negando maiorem, quandoquidem omnis qualitas ſeparabilis oritur aliqua alteratione; primæ namque educuntur per alterationem de potentia ſubiectorum, & ſecundæ ex commiſtione primarum, & tamen ſecundum omnes fit alteratio, vt probatum eſt in ſecunda concluſione, igitur quamuis habitus oriatur ex alteratione, non propterea inferendum, vt ſecundum ipſos non fiat alteratio, quinimo contrarium concludendum erit.

Obijcitur tertio à quauis re non fit denominatio, ab ea nequit fieri alteratio, ſiquidem terminus alterationis eſt res denominans ſubiectum alterabile, ſed a figura, & forma externa nulla res denominatur, ergo ſecundum illas nequit fieri alteratio.

Reſpondetur negando minorem, ſiquidem ſumendo figuram, & formam materialiter, res dicitur figurata, & formata bene, vel malè, vt docet experientia in figuris, & picturis: nam aliquæ ſunt figuratæ quadrangulariter, aliquæ quadratæ, vel orbiculariter; ſimiliter in formis, alia facies eſt luculenter colorata, alia malè, & ſic de cæteris.

Obijcitur quarto quia in ijs, ad quæ non datur per ſe actio, nequit eſſe alteratio, ſiquidem motus, & actio ſe concomitantur; imo ſunt idem ex Ariſtotele tertio Phyſicorum t.22. ſed ad nullas relationes datur per ſe actio, cùm reſultent in ſuis fundamentis, ad poſitionem extremorum, maximæ illæ, quæ vocantur intrinſecùs aduenientes, vt eſt peruium in doctrina Scoti, ergo ſecundum nullas relationes poteſt fieri alteratio.

Reſpondetur, Maiorem eſſe veram de alteratione ad ſe, quia hanc concomitatur per ſe actio phyſica, falſam verò de alteratione ad alterum, quæ hæc fieri poteſt per quancumque formam, quouis modo aduenientem ſubiecto, cùm per illam aliter ſe habeat nunc, quàm prius, & per conſequens etiam per relationes, quouis modo acquirantur in fundamentis, cùm ſufficiat, vt per illas fundamenta aliter ſe habeant nunc quàm prius; neque hoc eſt contra Ariſtotelem, quia, vt obſeruat Scotus in 2.d.1.q.5.ſub G. Philoſophus locutus eſt in tertio Phyſicorum t.9. & 7. Phyſicorum de mobili aliter ſe habente per motum ad ſe, non verò de communi ad ſe, & ad alterum, de quo loquimur nos in præſentiarum cum Simplicio.

Vtrum Alteratio, ſiuè abſoluta, ſiuè comparata ſint motus continuus, & ſucceſſiuus, vel inſtantaneus?

QVÆSTIO VII.

CIrca hanc quæſtionem recenſentur à Recentioribus tres opiniones, quarum prima eſt Egidij de Roma primo de Gen.q.16. quem ſequitur Iandanus 8 Phyſi. q.8. aſſerentis, alterationem, ſiue abſolutam, ſiue comparatam, tàm intenſiuam, quàm extenſiuam, eſſe quidem ſucceſſiuam, cùm acquiratur in ſubiecto ſucceſſiuè ſecundum partem poſt partem, non tamen continuuam, ſed diſcretam, cùm eius partes acquirantur in diuerſis inſtantibus temporis, inter quæ, cum mediet tempus, in quo agens ſolùm diſponit ſubiectum, & non acquiritur aliqua pars alterationis, non poteſt dici vna pars continua cum altera, ſicut nec vnum inſtans

cum

cùm alio inſtanti : vnde ſicut, inſtantia diſcontinuantur per temporis partes intermedias, ita partes alterationis diſcernuntur ad inuicem per diſpoſitiones intermedias, adeo quod tota alteratio, ex illis coaleſcens dicatur diſcreta, & non continua.

Secunda Opinio, parum diſtans à priori, ſuſtinet alterationem, tàm abſolutam, quàm comparatam, eſſe diſcretam, vtpotè acquiſitam per partes indiuiſibiles in diuerſis inſtantibus temporis diſcreti, & non continui: Putat enim hæc opinio, ſicut præcedens, mobile quieſcere in tempore, & per calorem, E. G. ſolùm in eodem diſponi primam partem ſubiecti, vt in inſtanti terminatiuo introducatur prima pars alterationis, & ſic deinceps in cæteris, quare infert, totam alterationem coaleſcere ex partibus indiuiſibilibus, & diſcretis, ac proindè non poſſe dici continuam, ſed diſcretam. Ita ſentiunt Capreolus in primo d. 17. q. 2. art. 2. Soncinas 8. Metaphyſicæ q. 22. Iauellus, & Ferrarienſis 8. Phyſicorum q. 7. Ariaga hic Diſp. 2. n. 33. qui omnes, quamuis negent continuitatem ab alteratione, concedunt tamen eſſe eſſentialiter ſucceſſiuam.

Tertia Opinio defendit, alterationem, tàm abſolutam, quàm comparatam, eſſe continuam, & ſucceſſiuam eſſentialiter, ſiquidem cum alteratio ſit vna ſpecies motus, & hic ſit eſſentialiter continuus, & ſucceſſiuus, ſaltem in ordine ad agens naturale creatum, (quicquid ſit de increato, vt aliàs obſeruauimus) dicendum eſt, alterationem eſſe continuam, & ſucceſſiuam eſſentialiter. Sic ſentiunt Principes vtriuſque Scholæ. D. Thomas hic ad t. 84. lect. 24. & in 2. Sent. d. 5. q. 2. art, 1. & 2. 2. q. 24. art. 2. Scotus verò in 2. d. 2. q. 2. ſub C. & q. 9. & q. 11. ac 12. & in 3. d. 3. q. 1. ſub B. quos ſequuti ſunt communiter Thomiſtæ ſi paucos illos demas, relatos in præcedenti opinione, ac Scotiſtæ, ſi Maſtrium excipias, à nobis relatum in 3. Phyſicorum Diſp. 1. q. 3. nam Diſp. 15. q. 6. art. 2. n. 47. & art. 5. n. 67. & 68. docet, continuitatem, & ſucceſſionem non eſſe de eſſentia motus, ſed tantum paſſiones eius, & motum non eſſe de genere quantitatis, ſed præſeferre relationem, cùm dicat ordinem partium ſecundum prius, & poſterius, quem tamen confutauimus cum Scoto in 3. Phyſicorum loco citato: vnde, vt loquamur conſequenter, ad ea, quæ ibi ſuſtinuimus, tenemur dicere, & nos, alterationem eſſe motum eſſentialiter continuum, & ſucceſſiuum, non autem inſtantaneum.

Pro cuius declaratione, ac fundamento, præter ea, quæ ibidem obſeruauimus, & in præcedentibus quæſtionibus, quinta, & ſexta notandum eſt primo alterationem propriè ſumptam, quatenus præſefert mutationem diuiſibiliter ad qualitates contrarias, de qua ad præſens ſolùm loquimur, quadrupliciter attendi poſſe. Primo modo, vt eſt productio qualitatis contrariæ, habentis oppoſitam, de nouo diuiſibiliter producibilem, & ſic dicitur alteratio abſoluta, & ſimplex abſque vllo addito. Secundo ſumi poteſt pro eiuſdem qualitatis productione, quatenus eſt extenſibilis ad diuerſas partes ſubiecti, & hæc appellatur alteratio extenſiua. Tertio modo, vt eſt productio qualitatis, perfectibilis per aduentum alterius in eadem parte ſubiecti, & hæc vocatur alteratio intenſiua. Quarto modo, prout qualitas præexiſtens, per oppoſitam qualitatem ipſam pugnantem, debilitatur, & remititur in ſua perfectione, & iſta nuncupatur alteratio remiſſiua. Ex his habetur, quod mutationes, ſeu productiones qualitatis 2. 3. & 4. modi conſtituunt alterationem comparatam, productio vero qualitatis in ſubiecto primo modo tantùm conſtituit alterationem ſimplicem, ſeù abſolutam, & de his omnibus quæritur, an ſint motus continui, & ſucceſſiui, vel inſtantanei, diuiſibiles, vel indiuiſibiles.

Secundo Notandum ex his, quæ obſeruauimus in 3. Phyſicorum Diſp. 1. q. 2. motum conſiderari poſſe dupliciter, & pro materiali, & pro formali. Primo modo non diſtinguitur à ſuo termino, qui per motum acquiritur, vt docet Ariſtoteles 3. Phyſicorum t. 4. dùm inquit *Non eſt autem motus præter res, ad quas eſt motus*. Vnde ſi terminus eſt ſubſtantia erit motus generationis; ſi quantitas, augmentationis, ſi qualitas, alterationis, ſi vbi, erit motus localis. Secundo modo dupliciter attendi poteſt, vel genericè, vel ſpecifice. Si primo modo attendatur, eſt via, ſeù tranſitus de termino à quo ad terminum ad quem, ſiue talis ſit diuiſibilis, ſiuè indiuiſibilis, ſiuè ſucceſſiuus, ſiuè inſtantaneus, ſiue termini ſint ambo poſitiui, ſiue vnus poſitiuus, & alter priuatiuus, aut negatiuus, & de motu hoc pacto conſiderato

locutus eſt Ariſtoteles quinto Phyſicorum t. 7. vbi diuiſit illum in tres ſpecies, nempe à ſubiecto in ſubiectum, à ſubiecto in non ſubiectum, & à non ſubiecto in ſubiectum, ſub prima continentur motus augmentationis, & alterationis, ſub ſecunda motus corruptionis, & ſub tertia motus generationis. Si vero ſecundo modo ſpectetur, ſumit ſuum eſſe, ſiue abſolutum, ſiue reſpectiuum concomitanter à termino, à quo pariter accipit eſſe diuiſibile, vel indiuiſibile, ſucceſſiuum, vel inſtantaneum, vt colligitur ex Doctore Subtili in 2. d. 2.q. 4. ſub D, & F. quamobrem ſi terminus eſt abſolutus, aut reſpectiuus, & motus pariter huiuſmodi erit: ſimiliter ſi terminus petat acquiri in tempore, vel in inſtanti, & motus erit vel diuiſibilis, vel inſtantaneus; cùm igitur alteratio habeat pro termino ad quem, qualitatem, & qualitas ſit acquiſibilis in ſubiecto diuiſibiliter, & ſucceſſiue per partes, ſaltem naturaliter loquendo, ſequitur, quod ſit motus continuus, & ſucceſſiuus, non verò inſtantaneus.

Tertio Notandum ex dictis ibidem, motum ſpecifice ſumptum, (cuiuſmodi eſt alteratio) tripliciter ſpectari poſſe, nempe formaliter, materialiter, & concomitanter. Si ſpectetur primo modo eſt fluxus, ſeù acquiſitio termini ad quem; ſi ſecundo modo eſt terminus ad quem, per motum formaliter acquiſitus: Si autem tertio modo compræhendit omnia, quæ antecedunt, vel ſubſequuntur ad acquiſitionem termini, & ſic forma fluens, quæ concomitatur motum, actio, quæ eſt relatio agentis ad paſſum; paſſio, quæ eſt relatio paſſi ad agens; & eductio, quæ dicit relationem agentis ad formam eductam de potentia mobilis, & hæc omnia poſſunt aliqualiter vocari motus, non formaliter, ſed concomitanter. Ex his infertur, quod ſi alteratio, ſiue abſolitta, ſiue comparata; ſiue extenſiua, ſiue intenſiua, formaliter conſiderentur, cùm omnes ſint acquiſitiones qualitatis eiuſdem ſpeciei, & non differant, niſi ſecundum magis, & minus, nam ſunt alterationes eſſentialiter diſtinctæ verùm duntaxat accidentaliter differentes. Si autem concomitanter âttendantur, certum eſt, diſtingui eſſentialiter, ſiquidem actio, paſſio, & eductio, cum ſint formæ reſpectiuæ, diſtinguuntur eſſentialiter à forma fluente, & ab eius fluxu, quæ ſunt formæ abſolutæ: ſimiliter connotata per alterationem comparatam, cum ſint reſpectus tendentes ad acquiſitionem maioris, vel minoris extenſionis, aut intenſionis qualitatis, in diuerſis, vel eadem parte ſubiecti, differunt eſſentialiter ab acquiſitione qualitatis, vt ſie, per alterationem ſimplicem, ſeù abſolutam, in ſubiecto, ſiquidem prior acquiſitio eſt reſpectiua, poſterior verò eſt abſoluta ratione connotati; modò certum eſt, entia reſpectiua formaliter ſumpta, differre eſſentialiter ab entibus abſolutis, formaliter acceptis.

Quarto Notandum ex dictis ibidem qu. 3. quantitatem partiri in continuam, cuius partes copulantur vnico termino indiuiſibili, & diſcontinuam, cuius partes, nullo termino indiuiſibili copulantur, ſed ſemper diſcretæ ſunt. Quantitas verò continua diuiditur in permanentem, cuius partes haberi poſſunt totæ ſimul, & ſucceſſiuam, cuius partes acquiruntur in ſubiecto vna poſt aliam, & nequeunt haberi totæ ſimul, verum vna acquiſita, deperditur altera. Quantitas continua permanens partitur in lineam, cuius partes copulantur punctis, in ſuperficiem, cuius partes copulantur lineis, & in corpus, cuius partes copulantur ſuperficiebus. Quantitas continua ſucceſsiua diuiditur in motum, cuius partes copulantur mutatis eſſe, & in tempus, cuius partes, nempe præteritum, & futurum copulantur inſtantibus. Motus diuiditur in ſucceſsiuum, ſeù diuiſibilem, & inſtantaneum. Motus inſtantaneus, qui menſuratur inſtanti temporis, partitur in generationem, & corruptionem. Motus verò ſucceſsiuus, ſeù diuiſibilis, diuiditur in augmentationem, diminutionem, alterationem, & loci mutationem. Ex his colligitur, quod aliteratio, cùm ſit motus ſucceſsiuus, & non inſtantaneus, quantitas ſucceſsiua, & non permanens, continua, & non diſcreta, includat eſſentialiter ſucceſsionem, & continuitatem, ac per conſequens, quod ſit quiditatiuè, & eſſentialiter motus ſucceſsiuus, & continuus, non autem inſtantaneus, & diſcretus.

Quinto Notandum ex Doctore Subtili in

Digitized by Google

in 2. d. 2. qu. 11. & 12. ſub C. ſucceſsionem alterationis ad duo agentia comparati poſſe, nempè ad agens naturale, & ad agens ſupernaturale. Si priori modò comparetur, eſt ſibi eſſentialis, ſiquidem cum agens naturale nequeat habere in virtute ſua, nec totam realitatem motus, nec totam realitatem termini, eſt enim acquiſibilis ex natura ſua diuiſibiliter, ſequitur, quod neceſſario inducat terminum, ſeù formam diuiſibiliter per partem poſt partem, & ſic ſucceſsiuè. Sin autem comparetur poſteriori modo, cùm agens ſupernaturale ſit virtutis infinitæ, habeatque in virtute ſua, totam realitatem motus alterationis, & totam realitatem, qualitatemque per ipſam acquiſibilem; ſequitur ſucceſsionem non eſſe ſibi eſſentialem; quandoquidem poterit in eodem inſtanti induci in paſſum ſecundum omnes partes ſimul, ac proinde tota alteratio erit inſtantanea, & non ſucceſsiua. Niſi vellemus dicere, motum tranſire in mutationem, virtute diuina, ſicque ſaluare ſucceſſionem eſſe eſſentialem ſimpliciter motui, vt motus eſt ſpecifice, non verò generice, quia ſic tranſire poteſt de ſucceſsiuo in inſtantaneum, ſicut videtur velle Scotus in 4. d. 43. quæſt. 5. art. 2. ſub C. cum inquit, Deum mouere poſſe corpus localiter in inſtanti, quod prius negauerat in 2. d. 2. quæſt. 9. Z. & quæſt. 12. ſub F. & in 3. d. 4. qu. vn. ſub C. quod eſt dicere, Deum, mutare poſſe motum ſucceſsiuum in inſtantaneum, ſiuè in mutationem, non autem mutare, ſeù mouere ſucceſsionem à motu, cùm ſit ſibi eſſentialis ſimpliciter reſpectu cuiuſcunque potentiæ, tàm naturalis, quam ſupernaturalis.

Sexto Notandum eſt, alterationem poſſe dici motum continuum dupliciter; vel vt continuum excludit quamcumque interruptionem, ſiue ceſſationem, & ſic motus Cœli duntaxat dicitur continuus, quia nunquam ceſſat naturaliter loquendo, cum nullum agens naturale inueniatur, quod poſsit reſiſtere ordini à Deo præfixo de huiuſmodi motus continuitate, abſque vlla interruptione, vel ceſſatione: vel vt continuum admittit aliquam interruptionem quidem, ſiue ceſſationem, atquando eſt in mobili, ſemper partes eius copulentur adinuicem per aliquod indiuiſibile, & hoc modo alteratio dicitur motus continuus, non verò in ſenſu priori; quia licet aliquando interrumpatur, aut ceſſet, ob occurſum impedientium contrariorum, vt patet in calefactione aquæ, quæ interdum interrumpitur ob reſiſtentiam frigiditatis contrariæ, nihilominus, ſi reaſſumptis viribus debellet contrarium, motus eius dicitur continuus, quia eius partes diuiſibiles copulantur adinuicem per mutata indiuiſibilia.

Ex his fit prima concluſio. Alteratio, ſiue abſoluta, ſiue comparata, eſt motus continuus, & ſucceſsiuus, non autem inſtantaneus, eſſentialiter; & non accidentaliter. Eſt Ariſtotelis in quinto Phyſicorum t. 7. & 9. ac alibi pluribus in locis, D. Thomæ, & Scoti in præcitatis locis, contra Auctores primæ & ſecundæ opinionis. Probatur ratione fundamentali, deſumpta ex Ariſtotele, nam alteratio, quouis modo accepta, eſt motus phyſicus, ex 3. & 5. ac 7. Phyſicorum, vt alias oſtendimus in tertio Phyſicorum diſp. 1. q. 2. & 3. in 5. Phyſic. Diſp. 1. q. vn. & 7. Phyſic diſp. 1. q. 2. atqui de ratione motus phyſici, ſpecifice ſumpti, eſt, quod ſit quiditatiuè quantitas continua, & ſucceſsiua, ergo alteratio, quouis modo accepta, eſt motus continuus, & ſucceſsiuus quiditatiuè, ac eſſentialiter, & non accidentaliter. Minor eſt nota ex 5. Not. ſiquidem motus phyſicus eſt ſpecies quantitatis ſucceſsiuæ, & continuæ, vt patet ex diuiſione quantitatis, quam tradit Ariſtoteles in Prædicam. cap. de quanto, & 5. Metaphy. cap. 13. t. 18. Nec valet dicere, Ariſtotelem mutaſſe ſententiam, quippequi in 8. Phyſicorum t. 23. loquendo de motu, & potiſsimùm de alteratione, inquit, *quare dicere continuè alterari, valde manifeſtis eſt aduerſari, in contrarium enim alteratio eſt*. Non valet inquam, quia in citato loco, non excluſit continuitatem à motibus, & præſertim ab alteratione, cùm aliàs diſertis verbis; de quolibet hoc faſſus ſit, verùm duntaxat negauit ab illis, eam continuitatem, quam prætendebant. Antiqui in omnium rerum motu, & quiete, abſque interruptione, & ceſſatione, vt apparet in motu Cœlorum, ſiquidem ait, referendo illorum opinionem, *Et dicunt quidam moueri eorum, quæ ſunt, non aliqua quidem, alia vero non, ſed omnia, & ſemper, ſed*

latere hoc noſtrum ſenſum, contra quos arguendo, oſtendit in omni motu, dari interdum quietem, & præſertim in motu alterationis, qnippequi ſubdit: *Cùm ægrotauerit aliquis, neceſſe eſt tēpus fieri, in quo ſanabitur, & non in termino temporis mutari, neceſſe eſt autem in ſanitatem mutari, & in aliud nihil, quare dicere continue alterari, valde manifeſtis eſt aduerſari: in contrarium enim alteratio eſt*, ac proinde non ſemper alterari, ſed aliquando ceſſare. En quomodo non excludit ab ea continuitatem, quæ præſefert copulationem partium per mutata eſſe, verùm duntaxat illam, quæ negat interdum ceſſationem à motu, de qua non loquimur nos, ſicut dicebant Antiqui, cuncta ſemper moueri, quod tamen eſse manifeſte falſum experientia conuincit, ergo Ariſtoteles non mutauit ſententiam de continuitate eſsentiali motus, verùm illam ſtabiliuit ibidem, vt legenti tex. tum patere poteſt: nàm in t. 25. epilogando argumentum contra Antiquos inquit: *Quare manifeſtum eſt, quod alia quidem mouentur, alia verò quieſcunt: cenſere autem omnia aliquando quidem quieſcere, aliquando vero moueri, hoc iam coniungendum eſt ad olim dictas rationes*, quas fecit in 5. Phyſicorum, vbi in t 39. dixit *quoniam continuus omnis motus eſt, & ſimpliciter quidem vnū, & continuum neceſſe eſt eſſe, ſi omnis quidem diuiſibilis eſt, & ſi continus vnus*, & declarat quomodo motus dicatur continuus, dicens: *non enim fiet omnis continuus omni, ſicut neque ad vllum cuiuis quoduis, ſed quorum vnum ſunt vltima*. Ex quibus verbis deducitur, motum eſse continuum, continuitate partium per vnum indiuiſibile, non contiguitate mobilium, & motuum, vt aſſerebant Antiqui; ae proinde motum alterationis eſſe continuum cum ſit, non autem contiguum, verum quandoque interrumpi, & ceſſare. Deinde probatur ratione deſſumpta ab experientia, quia ignis approximatus aquæ, vel alteràt illam, producendo calorem in inſtanti, vel in tempore: non poteſt dici in inſtanti, quia experimur aquam non ſtatim calefieri, ſed ſucceſſiue introducitur calor per partes, ergo in tempore immediate ſequenti illud inſtans; atqui tempus eſt continuum, conſtans ex præterito, & futuro, copulatis per vnum nunc, ſeu indiuiſibile, igitur & alteratio introducta in aquam erit continua. Nec valet dicere, vt imaginantur Auctores primæ & ſecundæ opinionis, non introduci quidem totam alterationem in inſtanti primo, verum in diuerſis, ſucceſſiue autem menſurantibus diuerſas partes, ex quibus coaleſcit tota alteratio, non in tempore continuo, ſed diſcreto, quandoquidem in tempore intermedio, ignis non alterat aquam, ſed tantum diſponit illam per rarefactionem, vt commode recipi poſſit in ſecundo inſtanti temporis continui, vel diſcreti, & ſic de cæteris, vſque ad vltimum gradum alterationis; non valet inquam, tùm quia partes alterationis, ex quibus coaleſcit tota alteratio, non ſunt indiuiſibiles, alioquin indiuiſibile ſubiectaretur in parte diuiſibili ſubiecti, & extenſiue occuparet illam, quod eſt penitus falſum, quia indiuiſibile non tangit, niſi indiuiſibiliter: tùm etiam, quia eſtò partes alterationis, ex quibus coaleſcit tota alteratio, eſſent indiuiſibiles, tunc quærimus an forent in ſeinuicem contiguæ, vel continuæ non poſſunt dicere, contiguæ, quia non ſe tangerent ſecundum vltima, cum aſſerant inter illas, dari morulas, ſeu quietes, in quibus agens naturale vacare dicitur à productione alterius gradus alterationis, aut ſi ſe tangerent, non propterea coaleſcerent in vnum totius alterationis, quia indiuiſibile additum indiuiſibili nequit facere aliquod maius, & ſic non daretur alteratio maior extenſiuè, vel intenſiuè, quod repugnat experientiæ, nec poſſunt dicere, continuæ, quia tunc non forent diſcretæ, vt ipſi aſſerunt, ergo potius dicendum eſt, non dari illas partes alterationis indiuiſibiles, productas in diuerſis inſtantibus, verùm diuiſibiles, copulatas per mutata eſſe indiuiſibilia, productas in tempore, & ſic continuas. Nec poſſunt dicere, non produci in tempore terminatiuo, quod ſequitur immediate ad primum inſtans, quia tunc agens debet vacare à productione alterius gradus alterationis, & conſumere totum illud ſpatium temporis in diſpoſitione ſubiecti pro receptione ſecundi, gradus alterationis, quandoqnidem ſic dicendo, affirmant dari alterationem in tempore, & continuam, nàm

Digitized by Google

diſpoſitio illa, immiſſa ab agente in ſubiecto, eſſet qualitas, acquiſita per motum in tempore intermedio, & nonniſi per motum alterationis, cum hic ſolus ſit ad qualitatem, ergo daretur alteratio in tempore illo intermedio, ac proinde continua, & ſucceſſiua, ſicut ſunt partes temporis, quod ipſi negant. Nec iuuat dicere, diſpoſitionem illam non eſſe qualitatem, ad quam ſit alteratio, ſed alterius rationis, quia gratis confingeretur huiuſmodi reſponſio; ſiquidem, poſito, quod eſſet raritas, cum iſta ſit qualitas, habens, pro contraria, denſitatem, & recepta ſucceſſiuè in ſubiecto, nimirum in aqua, eſſet apta terminare motum alterationis, quæ eſt ad qualitatem, habentem contrarium, igitur talis diſpoſitio eſſet alteratio producta in tempore intermedio, & ſi hæc poteſt dari in tempore cur debet negari de quauis alia? ad quid igitur fugere ad alterationes indiuiſibiles, productas in diuerſis inſtantibus? Denique ſuadetur noſtra concluſio, quia ſicut ſe habet quantitas ad diuidi in partes, & partes proportionales vſque in infinitum ita ſe debet habere qualitas ſuper ipſa intenſa, vel extenſa, ſed in quantitate nequit aſſignari minima, verùm quacunque data, ſemper eſt diuiſibilis in minores, & minores particulas in infinitum, ergo idem dicendum eſt de qualitate. Maior patet, quia qualitas ſubiectatur in quantitate, igitur ita ſe debet habere accidens, ſicut ſubiectum, cui inhæret. Minor probatur, nàm continuum eſt diuiſibile in partes proportionales vſque in infinitum, ſed quantitas eſt continua, vt patet per Philoſophum in Prædicam. cap. 4. & 5. Metaph. cap. 13. t. 18. ergo in ipſa non datur minima quantitas, verum ſemper eſt diuiſibilis in partes in infinitum, igitur idem dicendum de qualitate, tàm extenſiua, quàm intenſiua, ac proinde continua, ſaltem per accidens, ſicut quantitas. Atqui qualitas acquiritur in quantitate per alterationem, ergo etiam alteratio eſt diuiſibilis ſicut qualitas per illam acquiſita, ac proindè continua, & ſucceſſiua, ad inſtar qualitatis, & non inſtantanea, ſiuè indiuiſibilis.

Secunda Concluſio. Alteratio abſoluta, & comparata non diſtinguuntur eſſentialiter, ſi formaliter attendantur, ſecùs ſi concomitanter ſpectentur, vel connotatiuè. Eſt contra Curtum Carmelitanum Diſp. 4. de Alteratione q. 2. & Io. à Sancto Thoma ibidem q. 3. art. 1. & nonnullos alios Recentiores. Probatur prima pars, quia motus, ſi formaliter attendantur, ſumunt ſuam diſtinctionem eſſentialem à terminis ad quos, à quibus pariter habent eſſe, ſed motus alterationis, tàm abſolutæ, quam comparatæ terminantur ad qualitates eiuſdem ſpeciei, ergo alteratio, tàm abſoluta, quàm comparata ſunt eiuſdem ſpeciei, ac proindè non diſtinguuntur eſſentialiter. Maior eſt Ariſtotelis quinto Phyſicorum t. 31. & nos illam oſtendimus ibidem Diſp. 2. q. 1. ex Scoto in 1. d. 2. q. 7. F. & d. 13. qu. vn. A. & Q. & in 3. d. 14. q. 1. E. & in 4. d. 43. q. 1. D. Minor probatur, quia calefactio, ſiue ſimplex, ſiuè extenſa, ſiuè intenſa terminantur ad eandem caliditatem ſpecie, & differunt ſecundum pluralitatem, & paucitatem graduum dumtaxat, penes quos dicuntur ſuſcipere magis, & minus, vt late demonſtrauimus in Prædicam. qualitatis Diſp. 8. q. 4. ergo &c. Minor patet, quia qualitas extenſa eſt, quæ habet plures gradus ſubiectatos in diuerſis partibus ſubiecti, & intenſa, quæ habet plures gradus, quibus afficitur ſubiectum in eadem parte, & ſitu, ſeinuicem penetrantes, ſed certum eſt quod plures, vel pauciores gradus eiuſdem rationis, ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo huiuſmodi alterationes, tàm abſolutæ, quam comparatæ; cùm intenſæ, tùm extenſæ, ſunt eiuſdem ſpeciei, & per conſequens, non diſtinguuntur eſſentialiter. Secunda pars probatur, quia alterationes concomitanter ſumptæ ſunt actiones, paſſiones, eductiones, quæ concomittantur terminum ad quem tendit alteratio, ſed actio, paſſio, & eductio ſunt formæ reſpectiuæ, & alterationes formaliter acceptæ ſunt formæ abſolutæ, quæ eſſentialiter diſtinguuntur, ergo alteratio formaliter, & concomitanter ſumptæ eſſentialiter diſtinguuntur. Maior, & Minor ſunt notæ ex Not. tertio. Tertia pars probatur ex obſeruatis ibidem, quandoquidem connotata ſunt reſpectus tendentes ad acquiſitionem maioris, vel minoris qualitatis, in eadem, vel diuerſa parte ſubiecti, acquiſitio vero talium qualitatum eſt quid abſolutum, cum ſit motus, at certum eſt, entia abſoluta, & reſpectiua a ſe-

Digitized by Google

inuicem eſſentialiter diſtingui, cum ſpectent ad diuerſa Prædicamenta, ergo alteratio connotatiuè ſpectata diſtinguitur eſſentialiter à ſeipſa formaliter attenta.

Tertia Concluſio. Alteratio comparata intenſa, & alteratio comparata remiſſa diſtinguuntur realiter, ſicut poſitiuum, & priuatiuum. Eſt contra Durandum in primo Sent. d. 17. q. 7. Probatur, quia mutatio poſitiua, & mutatio priuatiua diſtinguuntur realiter, cum terminentur ad terminos *ad quos* realiter diſtinctos, nempè ad poſitionem, & priuationem formæ, quæ realiter diſtinguuntur, ſed alteratio intenſa, & remiſſa ſunt mutationes, quarum vna terminatur ad poſitiuum, & alia ad priuatiuum, ergo realiter diſtinguuntur. Maior patet ex ſuperius dictis, ac probatis de generatione, & corruptione. Minor probatur, quia intenſio qualitatis fit per productionem, & additionem noui gradus qualitatis ad præcedentes, & non per productionem nouæ qualitatis, præexiſtente corrupta; remiſſio verò qualitatis fit per deperditionem gradus, & amotionem à gradibus præexiſtentibus, vt latè oſtendimus in Prædicam. Diſp. 8. q. 4. ſed prior eſt mutatio poſitiua, quia acquiſitiua noui gradus qualitatis, poſterior verò priuatiua, quia deperditiua alicuius gradus qualitatis intenſæ, ergo cum ſint mutationes realiter diſtinctæ, realiter diſtinguuntur, non ſicut poſitiuum, & poſitiuum, producta in eſſe intenſo, & remiſſo, vt prætendebat Durandus cum Gofredo de Fontibus, verùm vt poſitiuum, & priuatiuum, vt oſtendimus cum Scoto in loco ſupracitato.

Obijcitur primo contra primam concluſionem probando alterationem eſſe motum continuum, quia ſi accipiatur calor, e. g. via generationis, petitur, an incipiat extendi, vel intendi in prima parte ſubiecti per productionem inſtantaneam, vel continuam, & ſucceſſiuam, ſi dicatur primum, ergo cùm non ſit diſpar ratio de ſecundo, & de cæteris, ſequitur, quod tota alteratio per calorem producta ſit ex ſingulis partibus indiuiſibilibus, & diſcontinuis, ac proinde, quod non ſit motus continuus, verum inſtantaneus, & diſcretus: ſi verò dicatur ſecundum, contra, quia in qualitatibus datur terminus intrinſecus paruitatis, vt ſub minori eſſe qualitas non poſſit, ſed minima qualitas nequit menſurari tempore ſucceſſiue, & continuo, verùm duntaxat in inſtanti, ergo primum in alteratione non fiet in tempore, & ex conſequenti nec tota alteratio erit continua, ſed tantùm ſucceſſiuè acquiſita ex partibus diſcretis, & indiuiſibilibus.

Reſpondetur negando conſequentiam, & cum probatur per petitionem primæ partis caloris, an incipiat in tempore, vel inſtanti; dicimus fieri in tempore diuiſibili, quia non datur primum mutatum eſſe in motu, nec primum inſtans in tempore, verum ante indiuiſibile datur diuiſibile in infinitum, igitur falſum eſt dari primam partem qualitatis, quæ ſit indiuiſibilis, & menſurabilis inſtanti temporis, vel continui, vel diſcreti, quandoquidem quælibet pars qualitatis, quantumuis parua eſt ſemper diuiſibilis in partes proportionales in infinitum, vt latiùs oſtendimus in primo. Phyſicorum Diſp. 2. q. 3. ſect. 3. ac proinde, cum eadem ſit ratio de partibus alterationis per quam acquiritur qualitas, cum hæc generetur ſucceſſiue, & continue in tempore, idem omninò dicendum eſt de alteratione, quod ſit motus continuus, & ſucceſſiuus, tempore continuo, & ſucceſſiuo menſurabilis.

Obijcitur ſecundo contra, quia ſi alteratio fiat tempore continuo, cum in tempore ſint infinita inſtantia, vel in ſingulis inſtantibus producitur aliquid intenſionis, vel extenſionis, aut nihil: ſi dicatur produci aliquid, non poteſt ſucceſſiue, nec continuè produci, quia in inſtanti nequit eſſe ſucceſſio, vel continuitas: ſi verò dicatur nihil produci, ergo mobile in eis quieſcit, & motus ſic interrumpetur, & diſcontinuabitur.

Reſpondetur, concedendo dari in tempore infinita inſtantia ſecundum eſſe exiſtentiæ, non ſubſiſtentiæ, ſicut in quouis continuo dantur infinitæ partes ſecundum eſſe exiſtentiæ, continuatæ per indiuiſibilia copulatiua, in quibus mobile producit aliquid inadæquate, & adæquate in partibus continuatis per illa indiuiſibilia, quare nec dicetur producere aliquid in eſſe ſubſiſtentiæ correſpondens ſingulis inſtantibus, nec quieſcere in ipſorum ſingulo, quatenus diſtinguitur à partibus diuiſibilibus,

ſed

ſed moueri, & producere in continuo, coaleſcente ex partibus diuiſibilibus copulatis per indiuiſibilia, vnde nec ſequitur interruptio, nec diſcontinuatio motus, quin potius eiuſdem continuatio per indiuiſibilia, quæ vocantur mutata eſſe, correſpondentia inſtantibus temporis.

Obijcitur tertio quia experimur dari ſucceſſionem alicuius motus, per diuerſas morulas interrupti, ergo ſicut non inconuenit dari in tali ſucceſſionem partium abſque continuitate, cur debet denegari in motu alterationis, ſiuè abſolutæ, ſiue comparatæ. Conſequentia tenet per regulam Ariſtotelicam, de ſimilibus idem debet eſſe iudicium. Antecedens oſtenditur duplici experientia, quarum prima deſumitur ex ſpeciebus intentionalibus ſoni; nàm etſi ſonus, de natura ſua, petat producere ſpecies intentionales ſui in vno inſtanti, nihilominus non in eodem inſtanti, ſed in diuerſis diffundit illas, ſucceſſiuis tamen, licet non continuis, verùm quibuſdam morulis, & quietibus temporalibus, diſcretis, ergo alterationis motus, quamuis ſit ſucceſſiuus, non eſt tamen continuus, ſed inſtantaneus, & diſcretus. Conſequentia patet ex conceſſione antecedentis. Antecedens ſuadetur experientia in ſono, cauſato ex inciſione alicuius arboris, quandoquidem licet à proximioribus, audiatur ſonus in eodem inſtanti, quo vident ictum ſecuris, non tamen auditur in eodem inſtanti, quo vident ictum, à remotioribus, ſed in alio poſteriori, atqui hoc eſſet impoſſibile, ſi ſonus emitteret omnes ſpecies ſui, ita in proximioribus, ſicut in remotioribus, ergo dicendum eſt, illas emittere in diuerſis inſtantibus, per morulas, ſeù quietes diſcretas. Secunda experientia deſumitur ex grauitate lapidis grauitantis ſuper aſſere, qui non frangit aſſerem in inſtanti, ſed poſt multos dies, vel etiam annos, ergo non agit in primo inſtanti continuè in illum aſſerem alioquin in primo inſtanti cæpiſſet illum diuidere, quod tamen experientiæ, repugnat, igitur indiuerſis, per multas morulas, ſiuè quietes, diſcretis, ac proinde motus alterationis non etit continuus; ſed ſucceſſiuè diſcretus.

Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem neganda, eſt conſequentia, quæ videtur deduci, ſed falsò, ex illa duplici experientia, & ad primam de ſono emittente ſpecies ſuas intra latitudinem ſuæ ſphæræ, dicimus, vt adnotauimus in ſecundo de Anima Diſp. 5. q. 2. Sonum, quamuis ſit qualitas in inſtanti proueniens in medio ex percuſſione duorum corporum ſe adinuicem collidentium, vel ex ſciſſione vnius corporis in duas partes, aut ex fractione aeris, non tamen in eodem inſtanti multiplicare ſuas ſpecies intentionales vſque ad potentiam auditiuam, verùm in paruo tempore continuo, vt ibidem obſeruauimus etiam de lumine, quod licet velocius perueniat ad oculum, quam ſonus ad auditum, nihilominus ambo faciunt motum in paruo tempore, & ſic continuè, & non in diuerſis inſtantibus ſucceſſiuis. Hinc apparet, quare ſonus, cauſatus ex ictu ſecuris incidentis arborem, prius audiatur à proximioribus, hoc non eſſe, quia ſpecies intentionales diffundantur in diuerſis inſtantibus, diſcretis per morulas, vt falsò ſupponitur ab opinantibus, at quia multiplicationes ſpecierum, cum fiant in tempore, citius perueniunt ad proximiores, quam ad remotiores. Ad ſecundam de lapide grauitante ſuper aſſerem, dicimus, quidem fractionem aſſeris, fieri per iteratas ponderationes grauis, in ipſo violenter detenti, vt obſeruauimus lib. 4. de Cœlo, & Mundo Diſput. Vnica qu. 3. non in ſingulis inſtantibus temporis, vel diſcreti, vel continui, diſcretas per morulas, ſiuè quietes, verùm continuatas per indiuiſibilia motus localis, ordinati ad deſcenſum deorſum, quouſque diuidatur continuitas aſſeris, & lapis deſcendat. Vnde infertur, hanc experientiam nihil facere ad probandam diſcontinuitatem motus alterationis, verum motus localis deſcenſus, quæ non facit ad propoſitum, quicquid in contrarium attentet Pater Arriaga.

Obijcitur quarto contra ſecundam concluſionem quia motus inſtantaneus & ſucceſſiuus diſtinguuntur eſſentialiter, ſed alteratio abſoluta eſt de neceſſitate motus ſucceſſiuus, cum acquiratur per eam qualitas diuiſibilis habens oppoſitam contrariam cum reſiſtentia, alteratio verò comparata,

parata, tàm extenſiua, quàm intenſiua, non ſunt de neceſſitate ſucceſſiuæ, ſed poſſunt acquiri in inſtanti in paſſo, ergo cum ſint mutationes inſtantaneæ debent diſtingui eſſentialiter ab alteratione abſoluta, quæ ex natura ſua petit fieri in tempore, & ſucceſſiuè. Minoris ſecunda pars probatur, quia qualitas, ſiuè extenſa, ſiue intenſa, cùm poſſint habere partes ſuas omnes ſimul præſentes, poſſunt fieri indiuiſibiliter in paſſo, & illud alterare, vel quoad extenſionem, vel quoad intenſionem, ergo alteratio comparata, ſiuè intenſiua, ſiue extenſiua ſunt motus inſtantanei.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de motibus ſucceſſiuis, & inſtantaneis, qui petunt ex naturá ſua, & reſpectu cuiuſcumque agentis fieri, vel ſucceſſiuè, vel inſtanti, vt ſunt motus generationis, & corruptionis, creationis, & annihilationis, vel conuerſionis, qui de natura ſua, & reſpectu cuiuſcumque agentis petunt fieri in inſtanti, & non in tempore: non autem de motibus, qui reſpectu agentis naturalis petunt fieri in tempore, & reſpectu ſupernaturalis poſſunt fieri etiam in inſtanti, cuiuſmodi ſunt motus alterationis, augmentationis, diminutionis, & localis, qui, licet reſpectu agentis naturalis, in cuius poteſtate non eſt tota realitas motus, nec termini ad quem, nequeant fieri in inſtanti, ſed coguntur fieri, & in tempore, & ſucceſſiuè, nihilominus in ordine ad agens ſupernaturale, in cuius virtute eſt tota realitas motus, & termini ad quem, poſſunt etiam fieri in inſtanti. Ex quo infertur, quod cùm motus alterationis cuiuſcumque, poſſit fieri à Deo in inſtanti, & in tempore, ſucceſſionem, & inſtantaneitatem eſſe differentias accidentales talium motuum, ac proinde huiuſmodi alterationes non diſtingui eſſentialiter, verum accidentaliter duntaxat.

Obijcitur quinto contra tertiam concluſionem quia alteratio remiſſa coaleſcit ex gradibus poſitiuis, quemadmodum, & intenſa, & ſolùm differunt ſecundum maius, & minus, ergo cùm ambæ habeant terminos poſitiuos non diſtinguuntur realiter ſecundum poſitiuum, & priuatiuum. Conſequentia tenet ex notione terminorum. Antecedens probatur, quia qualitas intenſa, & remiſſa differunt, quia aliquid eſt in intenſa, quod non eſt in remiſſa, ex Doctore Subtili in primo d. 17. q. 3. §. Contra iſtam quinionem arguo &c. ergo & alteratio intenſa differt à remiſſa, quia aliquod poſitiuum eſt in intenſa, quod non eſt in remiſſa, ac proinde non differunt ſecundum eſſe priuatiuum in remiſſa, & poſitiuum in intenſa. Deinde motus intenſionis habet pro termino à quo in motu remiſſionis aliquod poſitiuum, alioquin intenſio non fieret in ſuo motu per additionem gradus ſequentis ad gradum præexiſtentem, ſi remiſſio conſiſteret in priuatiuo, quod eſſet contra Doctorem Subtilem loco nupertimè citato, ergo alteratio remiſſa coaleſcit ex gradibus poſitiuis, ac proinde non differt ab intenſa per priuatiuum realiter.

Reſpondetur ex Doctore Subtili in 4. d. 10. quæſt. 2. ſub O. cum dicitur terminos eſſe incompoſſibiles, *dico, quod verum eſt de primis terminis, non autem de terminis concomitantibus. Intelligo autem, quod primi termini cuiuslibet mutationis ſunt priuatio, & forma, & econuerſò: concomitantes autem, qui iunguntur terminis prædictis, vniuerſaliter ergo concedo, quod priuatio, & forma ſunt incompoſſibiles, ſed concomitantia poſſunt eſſe compoſſibilia; v. g. In mutationibus ſubſtantialibus ſi ponatur vnica forma in animato, corpus organicum præcedit animationem quæ eſt terminus ad quem, ſed non eſt perſe terminus à quo corpus organicum, ſed ipſa inanimatio, quia mutatio eſt inter illam inanimationem, & animationem, licet autem inanimatio, & animatio ſint ſimul incompoſſibilia, non tamen corpus organicum, & animatio. Eodem modo in corruptione ſi manet eadem forma corporis, quæ prius fuit terminus à quo perſe ſcilicet forma, cuius priuatio ſuccedit, ille non manet, ſed terminus concomitans iſtum perſe terminum à quo manet eodem modo in augmentatione, ſi ponatur tota quantitas præexiſtens manere manet totus terminus poſitiuus, qui eſt concomitans priuationem, quæ eſt perſe terminus à quo, & econuerſo in diminutione, manet*

manet quantitas poſitiua, qua prius, ſed non manet idem per ſe terminus à quo; Similiter in alteratione ſecundum intenſionem, & remiſſionem, manet eadem qualitas præexiſtens, ſed non manent primi termini per ſe, nempe priuatio, & eius forma. Ex hac doctrina dicimus in forma ad argumentum, concedendo antecedens, & eius probationem, & negando conſequentiam; quandoquidem ſicut in motu intenſionis fit tranſitus à priuatione vt à termino à quo, ad gradum, qui additur qualitati præexiſtenti, vt ad terminum ad quem, ſic in motu remiſſionis fit tranſitus à qualitate præcedenti, vt à termino à quo poſitiuo ad deperditionem vnius gradus eiuſdem qualitatis, vt ad terminum ad quem priuatiuum, & non ad gradus qualitatis, quæ remittitur vt falsò ſupponitur in argumento, quare inferendum eſt, diſtinctionem realem inter alterationem intenſam,& remiſſam,non eſſe inter gradus, & gradus poſitiuos, verùm inter priuationem, & formam eorundem. Per idem dicimus ad illud de motu intenſionis, & remiſſionis, antecedens eſſe verum de terminis à quibus concomitantibus, non verò de formalibus, quia loquendo de illis, terminus à quo in motu intenſionis non eſt gradus poſitiuus vltimus qualitatis remiſſæ, ſed priuatio gradus ſuccedentis, de nouo producti ab agente, qui addi debet toti qualitati præexiſtenti in eſſe remiſſo, In motu vero remiſſionis terminus à quo, eſt forma gradus qualitatis intenſæ,quæ deperditur per deſitionem priuatiuam,qui termini, cum ſint incompoſſibiles ſimul in eodem, operantur, vt motus intenſionis,& remiſſionis diſtinguantur realiter ſecundum eſſe poſitiuum, & priuatiuum tantùm. Quonam pacto autem fiant iſti motus, & intendantur, ac remittantur in ſuis ſubiectis, luculenter diſſeruimus totam materiam,iuxtà aliorum placita,& noſtram ſententiam in lib. Prædicamentorum Diſput. 8.q.4. ad quem locum remittimus beneuolum lectorem, ne ea, quæ inibi diſputauimus, inutiliter repetere cogamur. Verùm vt ſequamur opinionem Doctoris Subtilis, de intenſione, & remiſſione per additionem,& deperditionem graduum qualitatis, ſupereſt inquirere in præſentiarum, an huiuſmodi motus intendantur, aut remittantur per gradus homogæneos,vel ætherogæneos, hoc eſt,eiuſdem, vel diuerſæ rationis, ac perfectionis.

Vtrum Intenſio qualitatis fiat per gradus homogeneos, vel per etherogeneos?

QVÆSTIO VIII.

Circa hanc perdifficilem quæſtionem, quam exagitare videntur, non tantum Recentiores, verùm etiam Antiqui, varia ſunt Doctorum placita, vt refert Maſtrius, hic Diſp.3.q.3.n.36. quæ tamen reduci poſſunt ad duas opiniones principales,quarum prima eſt, quorundam Antiquorum, quorum meminere Gulielmus Ochamus in 1. d.17.q.6.& Ioan. Canonicus 5.Phyſicorum q. 3. & nonnullorum Recentiorum,nempe Suarezij in Metaph.Diſp.46.Sect.1. à n. 29. & inde:Hurtadi hic Diſp.5.Sect. 6.Moriſani Diſp.2.Dub.4.Murciæ ibid. q. 5. Coninchij de Actibus Supernatur.Diſp.22.Dub 3. n.34.aſſerentium intenſionem, & remiſsionem fieri debere per gradus etherogæneos, ſeù diſsimilis perfectionis, alioquin ſequerentur multa inconuenientia, de quibus in fine quæſtionis erit Sermo.

Secunda verò,huic oppoſita,docet intenſionem, & remiſsionem in qualitatibus, tùm contrarium habentibus, tùm non habentibus, tàm naturalibus, quàm ſupernaturalibus, fieri per gradus homogæneos, ſiuè eiuſdem perfectionis.Ita Doctor Subtilis in 1,d.17.q.3. §. Contra iſtam poſitionem, &c.ſub Rr.& in 4.d.12.q.3. ſub Q. R. S. & T.§.Ad ſecundum,& tertium pro opinione, quem ſequuti ſunt omnes eius Diſcipuli,& ex alienis Vaſquezius t. 2. Diſp. 82. cap. 6. Conimbricen.hic cap.4.q. 2. art. 3. Ruuius ibid.Tract.3.q. 4. & alij plures,quos recenſet, ac ſequitur Maſtrius loco ſupra citato, quibus addi poteſt ex noſtris Rubeus in ſuis Controu.hic Diſp.7.q.2.conc.2. & Merinero Diſp.3.q.5.de Ortu,& Interitu,à quo pariter citantur ex Antiquis n.8.D. Bonauentura Richardus,Ochamus,Gabriel, Gregorius de Arimino,& Albertus Magnus,quos, & nos ſequi debemus, vt loquamur, conſequenter ad ea,quæ ſcripſimus in logica loco ſuperius relato.Vnde pro vtriuſque ſententiæ declaratione,noſtræque fundamento.

Primo Notandum ex aliàs obſeruatis in Lo-

Digitized by Google

Logica Diſput.8. q. 4. cum Doctore Subtili in 1.d.19. q. 1. ſub F. & G. quantitatem eſſe duplicem, nempe molis, & virtutis. Prior pertinet ad prædicamentum quantitatis, vt diſtinguitur à qualitate, & cæteris Generibus, & conſiſtit in extenſione partium extra partes quantitatiuas: Poſterior verò præſefert perfectionem cuiuslibet rei, quæ cum reperiatur in quocumque ente, non eſt quid prædicamentale, ſed tranſcendentale; appropriatè tamen conuenit qualitatibus, ſicut virtus, vocatur qualitas, ſiuè ſubſtantialis, ſiue accidentalis. Conueniunt tamen in aliquibus, & in aliquibus differunt huiuſmodi quantitates. Conueniunt primo quia ſicut in quantitate molis datur extenſio partium, penes quam redditur diuiſibilis in partes quantitatiuas, ita in quantitate virtutis ponitur latitudo gradualis, ſecundum quam, & ipſa eſt diuiſibilis in partes qualitatiuas, ſeù perfectionales. Conueniunt Secundò, quia in vtraque latitudo habet terminum, quoad ſupremum, & infimum de facto, licet non de poſſibili. Conueniunt tertiò, quia in vtraque poteſt dari motus ab vno extremo ad aliud, & aſcendendo ab imperfecto ad perfectum, & deſcendendo à perfecto ad imperfectum. Differunt tamen in duobus. Primo, quia motus, qui fit in quantitate molis, in aſcendendo vocatur augmentatio, in deſcendendo verò diminutio; in quantitate autem virtutis motus aſcenſus dicitur intenſio, deſcenſus verò remiſſio. Differunt Secundò, quia ſubiectum quantitatis molaris, cùm mouetur ab extremo ad extremum dicitur ſuſcipere maius, & minus; ſubiectum verò quantitatis virtutis, in ſuis motibus dicitur ſuſcipere magis, & minus; quandoquidem illud recipit in ſe maiorem, & minorem extenſionem quantitatiuam; hoc verò maiorem, vel minorem latitudinem perfectionalem, quæ communiter gradualis appellatur, quia mobile graditur de vna perfectione in aliam, vel ab vna ad aliam regreditur.

Secundo Notandum ex dictis ibidem, gradus, ſeù perfectiones graduales, dupliciter attendi poſſe, & ſecundum eſſe quidditatiuum, ſeù ſpecificum, & ſecundum eſſe indiuiduale. Gradus primo modo eſt ille, à quo ſumitur differentia conſtitutiua rei in eſſe ſpecifico, & indiuiſibili, & ſe habet, vt docet Ariſtoteles 8. Metaph. t. 10. ſicut vnitas in numero, quæ ſi additur alicui rei, vel ſubtrahitur ab ea, variat ſpeciem, vel de non ſpecie facit ſpeciem vt patet in rationali, quod ſi addatur diffinitioni leonis, de ſpecie leonis facit ſpeciem hominis; ſi verò coniungatur animali, de non ſpecie, facit ſpeciem, quia determinat animal, quod erat indifferens ad omnia animalia, ad hominem duntaxat. Gradus ſecundo modo ſumptus eſt, à quo ſumitur differentia indiuidualis, & importat quandam realitatem, natam coniungi cum alia realitate eiuſdem naturæ, quæ ſi ſola ſit in ſubiecto, vel ſuppoſito, eſt indiuiduum, in quo ſaluatur ratio ſpecifica talis naturæ, vt patet de phœnice. Si verò eſſent plures realitates, vt puta plures albedines, vel calores, & poſſent poni in vnico ſubiecto, coirent in vnam numero albedinem, vel caliditatem, intenſionem, quàm ſi foret tantum vna albedo, aut caliditas, abſque tamen variatione naturæ albedinis, vel caliditatis; ſiquidem, ſicut differentia indiuidualis addita naturæ ſpecificæ, non variat ſpeciem, ſic nec gradus indiuidualis, additus naturæ variat naturam qualitatis, cuius eſt gradus indiuidualis, licet illam perficiat in tali ſubiecto, qua de cauſa dicitur ſuſcipere magis, ideſt maiorem perfectionem, quam prius habebat. Huiuſmodi autem gradus ſunt in duplici differentia, nam alij dicuntur homogenei, ideſt eiuſdem rationis in perficiendo ſubiectum, & naturam, cui adduntur: alij verò vocantur ætherogenei, hoc eſt diuerſæ rationis in perficiendo ſubiectum, & naturam in ipſo receptibilem. Hi autem, vt explicant Doctores primæ opinionis, debent eſſe ſic ordinati ex natura rei, vt ſecundus, non ſolum præſupponat primum, verùm etiam, vt illum excedat in perfectione, ac virtute ſecundum continentiam virtualem, & ſic tertius ſecundum, quartus tertium, & ita deinceps vſque ad ſummum; & ſecundum hanc diuerſitatem perfectionis coaleſcit intenſio in aſcendendo, Et remiſſio in deſcendendo, & non aliter; quandoquidem ſi forent homogenei non poſſent facere aliquod per ſe vnum, ſed tantum ſe haberent in ſubiecto, ſicut coaceruatio plurium abſque vllo ordine, ac proinde non eſſet vnum intenſum, vel remiſſum, verum plura in eodem ſubiecto inordinata, veluti plura grana millij, vel tritici in ſuo cumulo. Cæterùm Auctores ſecundæ opinionis ex op-

oppoſito exponunt ſuos gradus homogeneos, quod licet non ſubordinentur ad inuicem in ratione maioris, vel minoris perfectionis, vel penes ordinem perfectionalem primi, & ſecundi, vt faciunt Doctores allati in prima opinione, nihilominus ordinantur ſecundum continuitatem, quia vniuntur ad inuicem per indiuiſibilia continuatiua, ſicut faciunt partes quantitatis, ac proinde, ſicut illæ faciunt vnum per ſe vnitate continuitatis, ita gradus homogenei qualitatiui faciunt vnum per ſe quale, intenſum, vel extenſum in ſubiecto vnitate continuitatis, adeo vt non ſe habeant, vt coaceruatio, vel vt aceruus realitatum coaceruatim vnitarum, vt perperam putant defenſores primæ opinionis.

Tertio Notandum ex aliàs obſeruatis, quod augmentatio in quantitate molis, & intenſio in quantitate virtutis conueniunt, tàm in re, quàm in modo auctionis; nàm quemadmodum augmentum in quantitate molis fit per additionem partis ſequentis ad partem præexiſtentem in ſubiecto quanto, ſic intenſum coaleſcit ex additione gradus qualitatis nouæ ad gradus qualitatis antiquæ præexiſtentis in ſubiecto, nullo habito reſpectu ad primam, vel ſecundam partem quantitatis, & ad primum, vel ſecundum gradum qualitatis, & hoc eſt conuenire in re. Conueniunt etiam in modo, quia ſicut augmentum in quantitate molis non fit per additionem extenſionis quantitatis ad quantitatem minus extenſam, verùm per additionem cuiuſcumque partis parti præcedenti, ſiuè talis ſit maior, quæ additur, ſiuè minor ea, cui fit additio; ita & intenſum, non debet fieri per additionem perfectionis gradus, ſeù partis perfectionalis ad gradum, ſeù partem minus perfectam; quandoquidem additio cuiuſcumque partis qualitatis, ſicut illam auget in re, ita intendit in modo; & in hoc videntur decepti Auctores primæ opinionis, concedentes quidem ſimile augmentum in rebus quantitatiuis, & qualitatiuis, negantes verò in modo auctionis in vtriſque, & tamen eſt omninò ſimile; nàm ſicut quantitas in re eſt totum homogeneum, quod prædicatur æqualiter de qualibet eius parte, ita qualitas, cùm prædicetur æqualiter de quacumque eius parte, quia verum eſt dicere hæc albedo, ſiuè intenſa, ſiue remiſſa, eſt albedo qui ditatiuè, debet eſſe totum homogeneum, & non ætherogeneum: in hoc enim diſcriminantur hæc duo tota, in omnium ſententia, quæ eſt Ariſtotelis, quod totum homogeneum prædicatur quiditatiue, & in recto de omnibus ſuis partibus, ætherogeneum verò nequaquam.

Ex his ſit concluſio. Intenſio, & Remiſſio in qualitatibus fiunt per gradus homogeneos, hoc eſt eiuſdem perfectionis ad inuicem comparatos, non autem per ætherogeneos, hoc eſt diuerſæ perfectionis, & qui ex natura rei ſint ad inuicem ſubordinati, vt ſecundus præſupponat primum, tertius ſecundum, & ſic de cæteris. Eſt Scoti in locis citatis & aliorum Auctorum, quos retulimus in ſecunda opinione, contra Doctores relatos in prima ſententia. Probatur prima pars, quia ita ſe habent intenſio, & remiſſio in qualitate, ſicut augmentatio, & diminutio in quantitate, ſed augmentatio, & diminutio in quantitate fiunt per partes homogeneas, ergo & intenſio, & remiſſio debet fieri per gradus homogeneos. Maior patet, quia ſicut augmentatio, & diminutio fiunt per additionem, & deperditionem alicuius partis quantitatiuæ, ita intenſio, & remiſſio fiunt per additionem, aut ablationem alicuius partis qualitatiuæ: tùm etiam, quia tàm quantitas, quàm qualitas ſunt tota homogenea, igitur eodem modo debent augeri, & diminui. Minor eſt Ariſtotelis in hoc primo lib. de Generatione, & Corruptione t. 31. vbi inquit, *Augmentatio eſt exiſtentis magnitudinis additamentum; Diminutio autem minoramentum*. Et in t. 32. ſequenti ſubdit. *Videtur itaque eius, quod augetur, quacumque pars aucta eſſe, Similiter autem, & in diminutione minor generata eſſe*. Sed magnitudo eſt homogenea, ergo additio, vel deperditio fieri debet per partes homogeneas. Confirmatur, quia adhoc vt quantitas ſit maior, vel minor, non requiritur vt pars, quæ additur de nouo, vel deperditur, ſit magis extenſa, quàm ea, quæ antea erat in ſubiecto, ſed ſufficit, vt de nouo vniatur præexiſtenti per aliquod indiuiſibile, vel ab illa amoueatur, quæcunque ſit illa, ſiquidem inquit Ariſtoteles t. 32. *adueniente aliquo augmentari, & recedente diminui*, & non dicit, aliquo maiori, vel minori, ergo à ſimili ad hoc, vt qualitas ſit maior, vel minor, intenſior, vel remiſſior non exigitur, vt pars addita, vel remota ſit perfectior, quàm ea, quæ præ-

Digitized by Google

præexiſtebat in ſubiecto, ac proindè homogenea, & non ætherogenea cum præcedentibus. Secundo probatur, quia ſi accipiatur aliquis gradus homogeneus, & vniatur per aliquod indiuiſibile qualitati præexiſtenti, quæritur an illa reddatur intenſior nec ne? ſi fiat intenſior habetur intentum, quod intenſio fiat per gradus homogeneos. ſi autem negetur, fieri intenſiorem per illum gradum, ergo perfectio addita alicui perfectioni non tribuit illi ſuum effectum formalem, quod nemo ſanæ mentis dixerit. Nec valet dicere illum gradum carere ſua perfectione, quia cùm ſit ens reale diſtinctum realiter à gradibus antecedentibus, ex quibus coaleſcit qualitas in gradibus remiſſis, ſicut illi habent propriam perfectionem in ſuo genere, ita gradus ille, qui addi poteſt, & vniri cæteris, debet habere propriam perfectionem, & illam tribuere qualitati intenſibili. Secunda pars probatur, nam ſi qualitas intenderetur per gradus ætherogeneos, qui eſſent ſubordinati ſecundum prius; & poſterius; & poſterior gradus contineret virtualiter perfectionem prioris, ſequeretur qualitatem non intendi per additionem gradus ad gradum, ſed ſolum per productionem gradus perfectioris in ſubiecto abſque coexiſtentia gradus prioris, ſiquidem non ſunt multiplicandæ entitates abſque neceſſitate, quæ tamen nulla eſſet, cùm poſterior præſtaret perfectionem propriam, & prioris, atqui hoc non eſt dicendum, ergo potiùs aſſerendum eſt, gradum ſecundum fore homogeneum cum primo, & intenſionem qualitatis fieri ex gradibus homogeneis, & non ætherogeneis. Minor, cum conſequentia probatur, tùm quia opinantes aſſerent, & ipſi intenſionem fieri per additionem graduum, verùm additio præſupponit id, cui fit additio, quæ tamen nulla eſſet, poſito ſecundo gradu inæqualis perfectionis cum primo, vt probatum eſt, ergo intenſio qualitatis non fieret per additionem graduum ætherogeneorum vt iſti ſupponunt. Nec valet dicere priorem gradum eſſe neceſſarium, ſi non ratione perfectionis, cum contineretur virtualiter in ſequenti perfectiori, eſſe tamen neceſſarium, vt præexiſtat, veluti diſpoſitio ad fieri ſequentis perfectioris, & ſic de cæteris; non valet inquam ſic reſpondere, tùm quia ſic poſſemus ſuſtinere tres animas, realiter diſtinctas, licet vegetatiua, & ſenſitiua continerentur virtualiter in rationali, ſiquidem poſſemus dicere duas priores fore neceſſarias, tamquam diſpoſitiones ad coexiſtentiam tertiæ ſcilicet animæ rationalis, quod nec opinantes concedunt: tùm quia poſſent concedere cum Scoto dari formam corporeitatis, tanquam diſpoſitionem animæ rationalis, vel ſenſitiuæ, vel vegetatiuæ in viuentibus, quod tamen, vti ſuperfluum non admittunt, cùm per vltimam formam præſtari poſſe nt omnes operationes, quas nos diceremus neceſſarias, vt ab illis prodirent, ergo cùm eadem inconuenientia reſultare videantur ex poſitione graduum ætherogeneorum ad intenſionem qualitatis, vt illa deuitent, debent illos reijcere, & nobiſcum aſſerere, qualitates intendi per additionem graduum homogeneorum, & nõ ætherogeneorum. Aliæ rationes, & efficaces quidem, poſſent adduci ex noſtratibus, pro confutatione huius opinionis, verum quoniam videri poſſunt in Maſtrio, Metinero, & alijs Recentioribus, idcircò conſultò, vt breuitati ſtudeamus, omittuntur.

Obijciunt tamen multa, & valdè apparenter difficilia argumenta, pro euerſione noſtræ ſententiæ, & primo quia poſita intenſione qualitatis per gradus homogeneos, & æqualis perfectionis, ſequeretur poſſe agens naturale producere effectum perfectiorem ſe, & vltra virtutem ſuam, ſed hoc non eſt admittendum, quia cauſa debet eſſe perfectior, vel ſaltem æque perfecta cum ſuo effectu, vt communiter conceditur, ergo nec illud, quod à nobis aſſeritur. Sequela maioris probatur, quia calor vt vnum ſicut poteſt producere plures calores vt vnum in diuerſis ſubiectis, ita poterit illos producere in eodem ſubiecto, & ſic producet calorem, vt duo, vt tria, & vt quatuor, qui ſunt effectus, perfectiores ſe, & vltra virtutem ſuam. Conſequentia probatur, quia gradus intenſionis ſunt æque perfecti, per nos, ex eo quod ſint in vno ſubiecto, ac ſi ſint in pluribus quia capacitas ſubiecti vnius, vel plurium non tollit quicquam de perfectione accidentis, ergo ſicut calor, vt vnum poteſt producere plures calores, vt vnum in diuerſis ſubiectis, poterit etiam illos producere in eodem ſubiecto, & ſic effectus excedet in pluribus virtutem ſuæ cauſæ, quod eſt valde abſurdum.

Re-

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad cuius probationem negatur conſequentia, nempe, quod ſicut poteſt producere plures calores, vt vnum in diuerſis ſubiectis, poſſit etiam illos omnes vt vnum producere in eodem ſubiecto, & ratio negationis eſt, quia ad producendum plures calores vt vnum in diuerſis ſubiectis non exigitur maior virtus in producente, quàm virtus vnius, applicata tamen pluribus ſubiectis, diſcriminatim ſumptis, quia ſic plures calores in diuerſis ſubiectis vt vnum, eſſent in illis, comparati ad agens, ac ſi forent vniti abſque vnione continuitatis, verum per ſolam coaceruationem, itaut plures eſſent tantum vnus calor perfectionis vnius indiuidualiter, & non plurium indiuidualiter: cæterum ad producendum plures, vt vnum in eodem ſubiecto, requiretur maior virtus, quam ſit vnius, quia huiuſmodi calores vnirentur vnione continuitatis per ſua indiuiſibilia, & ſic redderent qualitatem perfectiorem, vt plurium, quæ comparata ad agens, expoſceret in eo virtutem, vt plurium, & non tantum, vt vnius. Et cum probatur paritas, quia calores exiſtentes in diuerſis ſubiectis ſunt æque perfecti, ac ſi forent tantum in eodem, negatur antecedens, quia plures calores, vt vnum, exiſtentes in diuerſis ſubiectis retinent ſolum perfectionem, vt vnum, at ſi omnes vnirentur, per vnionem continuitatis, ſinguli haberent propriam perfectionem in eadem parte ſubiecti, continuatam tamen per indiuiſibilia continuatiua, ac proinde cùm efficerent effectum perfectiorem, exigerent in agente perfectiorem virtutem, vndè non poſſet dici, illos prodire in eodem ſubiecto, ab eadem virtute, vt vnum, ſicut poterant produci in diuerſis ſubiectis, vt ſupponitur in argumento.

Obijciunt ſecundo aliud inconueniens, quia ex noſtra ſententia ſequeretur, quod agens, vt vnum, ſeù remiſſum, poſſet intendere qualitatem in infinitum, quod eſt maius abſurdum, ergo non eſt ſuſtinenda. Probatur ſequela maioris, quia ſi gradus eſſent homogenei, & omninò ſimiles in perfectione, non eſſet difficilius producere ſecundum, quam primum, nec tertium quam ſecundum, & ſic de reliquis vſque in infinitum, ergo agens potens producere primum gradum, poterit producere ſecundum, tertium, & quartum vſque in infinitum.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad cuius probationem dicimus, antecedens, & conſequens habere veritatem in pluribus ſubiectis ſucceſſiuè vſque in infinitum, ſi eius virtus tantum duraret, quia qua facilitate produceret primum, & ſecundum, eadem facilitate poſſet producere tertium, & quartum vſque in infinitum in totidem ſubiectis; ſecùs eſt dicendum in eodem ſubiecto, & in eadem parte illius quia ſicut dictum eſt in præcedenti, gradus illi vnirentur per ſua indiuiſibilia, & facerent intenſionem in qualitate maiorem, & maiorem, non ſolùm excedentem virtutem agentis, vt vnius, verum etiam infinitam ſucceſſiuè, ſi tantum multiplicarentur, quæ omninò repugnant agenti vt vnum, ſeù in eſſe remiſſo conſiderato.

Obijciunt tertio quia ex noſtra poſitione ſequeretur, qualitatem intenſam, nullo pacto remitti poſſe, aut corrumpi à ſua contraria, ſed hoc eſſet contra experientiam in qualitatibus, habentibus contrarietatem, ergo noſtra ſententia non eſt admittenda; ſequela maioris probatur, quia ex quo gradus homogenei ſint omninò ſimiles, & æquales, in perfectione, & nullo pacto ſubordinati, ex natura rei, non eſſet maior ratio, cur ab vno potiùs, quàm ab alio inciperet remiſſionis, & corruptionis pugna, ac proinde omnes illeſi conſiſterent, ergo nulla poſſet dari remiſſio, aut corruptio in qualitate intenſa. Neque iuuat dicere, fieri incæptionem pugnæ ab vltimo gradu producto, tùm quia nos nullum ponimus ordinem ex natura rei inter gradus producibiles; tùm etiam, quia aſſerimus, poſſe omnes ſimul produci, non tantum in qualitatibus non habentibus contrarium, verùm etiam in ijs, quæ illud admittunt, vt ſuperius à nobis dictum fuit, ergo non eſt, vnde dicatur, poſſe fieri incæptionem pugnæ in remiſſione, & corruptione qualitatis intenſæ.

Reſpondetur negando ſequelam maioris deduci ex noſtra poſitione, quinimò ex oppoſita id haberi omninò debet; quandoquidem ſi pugna remiſſionis per contrariam qualitatem incipere debet ab expulſione octaui gradus, v. g. caloris, qui eſt perfectiſſimus, per primum gradum frigoris contrarij, qui, ſecundum illos, eſt imperfectiſſimus, & ita gradatim de ſeptimo per ſecundum, de ſex-

ſexto per tertium frigoris, vſque ad primum caloris, & vltimum frigoris, quonam pacto expelli poterunt gradus perfectiores ab imperfectioribus, aut iſti ab illis corrumpi? En quomodo inconuenientia, quæ objiciunt nobis Aduerſarij, magis illos torqueant, quàm nos in noſtra ſententia? Et eò maximè, quia ponunt ſuos gradus ætherogeneos ſubordinatos ex natura rei, ſignatos ſecundum maiorem, vel minorem perfectionem in qualitatibus contrarijs, & determinatos hinc indè pro inceptione pugnæ, quæ haud accidere poſſunt in noſtra ſententia, admittente gradus homogeneos in qualitatibus intenſis, & contrarijs, abſque ſignatione maioris, vel minoris perfectionis, à quibus poſſit fieri inceptio pugnæ, vel ob remiſſionem, vel ob corruptionem qualitatis intenſæ. Et cùm objicitur, quia non eſſet cur magis ab vno, quàm ab alio inciperet remiſſio, dicimus non ſequuturum hoc dubium, quandoquidem qualitates contrariæ, cùm ad ſeinuicem ex natura rei pugnent formaliter mutuò ſe expellunt, prout gradus vnius intenſior, & alterius remiſſior in virtute, quicumque ſit ille, fuerit: non enim requirunt aliam ſignationem in actu pugnæ, quàm illam quę ſibi tribuitur à virtute agentis effectiue, & formaliter ab intenſiori gradu formæ oppoſitæ, vt colligitur ex Doctore Subtili in tertio d. 16. q. 2 §. Rationes iſtæ non concludunt &c. vbi habet: *ſed ſi mixta ſunt neceſſariò corruptibilia, hoc eſt ex cauſa intrinſeca, quia in talibus aliqua qualitas dominatur, vt calor, qui continuè fouetur in humido, tendente in corruptionem continue per actionem caliditatis, ideò tandem ex tali actione ſequitur defectus, & corruptio humidi radicalis, in aliquo citiùs, in aliquo tardiùs, ſecundum quod actio eſt fortior, & minus fortis, & ideò nihil facit ad periodum determinatam extrinſecum corruptiuum, & ita eſt periodus maior, & minor in ipſis ex cauſa intrinſeca, ita quod aliquid intra eſt cauſa periodi, & corruptionis magis, quam econuerſò.* Ex quibus liqueſcit, quod determinata actio pro remiſſione, aut corruptione alicuius contrarij intenſi, non eſt deſumenda ab aliquo gradu ætherogeneo maioris perfectionis, determinato ex natura rei, vt ſuſtinet prima opinio; neque ab aliqua cauſa extrinſeca, vniuerſali, vel particulari, determinante potiùs hunc, quàm illum gradum ad actionem in contrarium intenſum, vt videntur velle aliqui Recentiores ex noſtra ſententia, verùm duntaxat ex maiori, vel minori fortitudine cauſæ agentis intrinſecæ homogeneæ vt innuit Scotus citato loco, ac in alijs relatis in ſecunda opinione. Qui cupit videre alias obiectiones, militantes contra noſtram ſententiam, *figat* oculos intellectus, & corporis in noſtro diligentiſſimo Maſtrio, ſuperius citato à numero 42. vſque ad finem quæſtionis, & habebit intentum cum ſuis ſolutionibus: Nobis, qui, quantum poſſumus, breuitati ſtudere profitemur, ſufficiunt iàm allatæ ex Ruuio, & alijs Recentioribus.

Obijcitur 4. ex alijs contra ſecundam partem concluſionis, probando gradus intendentes qualitates debere eſſe ętherogemeos, non ſolum in ordine, ſed etiam in perfectione indiuiduali, quia ſi qualitas non intenderetur per gradus ætherogeneos, ſeù inæqualis virtutis, ſed per gradus homogeneos, & æqualitatis virtualis, ſequeretur, ſimile poſſe agere in ſimile ſibi, & etiam in ſeipſum, ſed conſequens eſt contra Ariſtotilem hic t. 48. vbi inquit, *ſi à ſimili pati aliquid poſſibile eſt, & ipſum à ſeipſo. Simile enim, & omniquaque indifferens, rationabile eſt non pati à ſimili aliquid. Cur enim magis alterum erit actiuum, quàm alterum*? ergo adhoc, vt qualitas intendatur, & intenſa remittatur, vel corrumpatur à ſua contraria, requiritur, vt gradus non ſint homogenei, ſed ætherogenei, non ſimiles, verum diſſimiles in entitate indiuiduali. Sequela maioris probatur quo ad primam partem, quia calidum, vt vnum calefacere poſſet aliud calidum, vt vnum, & quidem vſque ad octauum gradum, ergo cum ſint omninò ſimiles in perfectione, ſequitur ſimile agere in ſimile; ſecunda pars etiam ſuadetur, quia gradus remiſſus poteſt addi alteri remiſſo, & illum intendere, intenſus poteſt intendere ſeipſum, ſiquidem eſſet in potentia ad omnes alios gradus recipiendos vſque ad octauum ergo ſi poteſt agere in ſimile, poſſet agere in ſeipſum, vt infert Ariſtoteles, quod vtrunque eſſet maximum abſurdum, & non poteſt vitari, niſi ponendo gradus ætherogeneos, & diſſimiles in entitate indiuiduali.

Reſpondetur negando vtramque partem ſequelæ maioris. Ad quarum probationes dicimus, æqualitatem homogeneam excludere

dere quidem inæqualitatem ætherogeneam, ſeù diſſimilitudinem in entitate indiuiduali, non tamen in perfectione, ſiue in virtute, quia ſic intenſius poteſt agere in minus intenſum, quàmuis ſint ſimilia, & homogenea in entitate indiuiduali, cùm tamen ſint diſſimilia in virtute, & perfectione; & ratio eſt, quia actio phyſica fundatur in victoria vnius in alterum vt docuerunt Ariſtoteles lib. de motu animorum, & Auerroes 4. Phyſicorum com. 71. igitur, cùm hæc diſſimilitudo ſufficiat ad actionem vnius in alterum, ſuperfluere debet illa, quæ fundatur in ætherogenitate graduum. Neque inde ſequeretur, ſimile poſſe agere in ſimile, & in ſeipſum, quod negat Ariſtoteles, quia ibi nõ eſſet omnímoda ſimilitudo, de qua loquitur ibidem Philoſophus, verum duntaxat in gradu, non autem in gradu, & virtute illius, quia gradus intenſior, cum ſit virtuoſior minus intenſo, quamuis communicent in entitate indiuiduali, poteſt agere in minus intenſum, qui eſt aliqualiter diſſimilis. Et cùm probatur, quod calidum, vt vnum poſſet calefacere aliud calidum, vt vnum, & ſic aliud, & aliud vſque ad octauum, quæ forent eiuſdem perfectionis, & ſic ſimile ageret in ſimile, & in ſeipſum etiam, negatur conſequentia de omnimoda ſimilitudine, de qua loquitur Ariſtoteles, ſiquidem calidum, vt vnum poſſet eſſe intenſius, aut fortius altero calido, vt vnum, & ſic foret aliqualis diſſimilitudo, ac tanta, quod vnum poſſet agere in aliud, & non in penitus ſimile, cùm hæc ſolum excludatur ab Ariſtotile in eodem t. 48. inquit enim: *Simile enim, & omniquaque indifferens rationabile eſt non pati à ſimili aliquid.*

Obijcitur quinto probando qualitatem intenſam dicere entitatem indiuidualem perfectiorem qualitate remiſſa, nàm in intenſione qualitas eſt maioris virtutis, ſed maior virtus dicit maiorem entitatem, ergo qualitas in intenſione eſt maioris entitatis, ſed huiuſmodi maior entitas, nequit eſſe maior, niſi quò ad perfectionem, ergo qualitas intenſa eſt maior entitas quoad perfectionem, non ſpecificam, igitur indiuidualem, & ſic ætherogeneam, non verò homogeneam.

Reſpondetur negando vltimam conſequentiam, cùm nullatenus deducatur ex præcedenti diſcurſu, vnde ad primum ſyllogiſmum concedimus totum de maiori entitate homogenea, ſiquidem cùm intenſio qualitatis fiat per additionem graduum ſequentium ad gradus præcedentes, & omnes ſint eiuſdem perfectionis, ſequitur qualitatem intenſam, ex eis coaleſcentem, importare perfectionem entitatiuam, maiorem, quàm ſit in qualitate remiſſa, non ætherogeneam, verùm homogeneam; vt probatum eſt in concluſione. Quare ſi in aſſumpto ſermo ſit de perfectione homogenea, concedimus illud, ſi verò fiat tranſitus de homogenea ad ætherogeneam, illud negamus, ob rationes allatas in probatione concluſionis. Concludendum eſt igitur intenſionem in qualitate, non exigere perfectionem diuerſæ rationis entitatiuam, quemadmodum nec extenſionem eiuſdem, ſed ſufficere, vt in vtraque ſit perfectio eiuſdem rationis, & ſolum differant, quod extenſiua ſit in diuerſis partibus ſubiecti, intenſiua verò in eadem parte.

De Augmentatione, & Diminutione.

SVMMA II.

HAc Summa partitur à Philoſopho in quatuor capita. In quorum primo oſtendit, quomodo augmentatio differat ab alijs motibus. In ſecundo demonſtrat augmentationis materiam, quænam ſit. In tertio inquirit quidnam ſit id, quod augetur, an viuens, cui apponitur alimentum, an verò ipſum alimentum. In quarto denique, notificat, quale debeat eſſe alimentum, quo viuens augetur, & quomodo fiat augmentatio, ac diminutio.

Quoad primum cap. in quo oſtendit quomodo augmentatio differat ab alijs motibus, nempè generatione, & motu alterationis, ac locali, in T. XXV. duo facit. Primo dicit augmentationem differre à cæteris penes terminos ad quos, ſiquidem generatio fit ex non potentia ſubſtantia in actu ſubſtantiam, quam habet pro termino ad quem; alteratio verò, cùm ſubſtantia actu tranſit de vna in aliam qualitatem, quam pariter poſſidet pro termino ad quem, & augmentatio fit, cum ſubſtantia viuens tranſit de quantitate minori in maiorem quantitatem, quam retinet pro ſuo termino ad quem, motus verò localis fit, cùm mobile transfertur de vno in alium locum,

cum,

Digitized by Google

cum, quem ſibi acquirit; Ex quibus infertur, quod cùm ſubſtantia actu, qualitas, quantitas, & vbi, ſeù locus ſint termini horum motuum ad quos, & hi differant realiter inter ſe, quod motus pariter ad quos terminantur, ſint differentes realiter ad ſeinuicem. Secundò dicit, augmentationem differre ab eiſdem motibus, non tantùm penes terminos ad quos, verum etiam ſecundum modum: Nam id, quod generatur, vel alteratur, non neceſſariò mutat locum, vt patet cum ex ligno fit ignis, vel ex albo nigrum, permanentibus in eiſdem locis; cæterùm quod augetur neceſſariò mutat locum, non quidem vt totaliter deſerat locum, ſicut accidit in eo, quod fertur localiter, verùm duntaxat, vt tranſeat de loco minori in maiorem locum, vt patet de arbore creſcente, quæ ſecundum extenſionem ſuarum, partium abſque deſertione totali loci, mouetur de loco minori in locum maiorem, Ex quibus, epilogando concludit, motum augmentationis differre à motibus generationis, & alterationis, quia hi non fiunt, necesſariò ſaltem ſecundum motum localem, hic verò necesſariò exigit ad ſuum fieri motum localem ſecundum extenſionem partium mobilis; à motu verò locali recto differt, quia mobile localiter rectum, totaliter deſerit vnum locum, & alium acquirit ſecundum totum, at id, quod augetur, mutat locum tantum ſecundum partes, quæ de nouo extenduntur in viuente. A locali verò circulari etiam differt motus augmentationis, quia mobile circulare ſemper æqualiter, cum ſuis partibus manet, in æquali loco, cæterum quod augetur, modò eſt in loco minori, & modò in maiori, & inæqualiter, vt experientia teſtatur.

Quoad ſecundum caput, in quo nititur demonſtrare materiam, in T. XXVI. epilogat breuiter, quæ expoſuit in præcedenti, & proponit modum inueſtigandi materiam, tàm augmentationis, quàm diminutionis mouendo duo dubia.

In T. XXVII. monet primum dubium, dicens: vtrum fiat augmentatio ex magnitúdine, vel corpore in potentia, quod videlicet nullam habeat actualiter magnitudinem: an talis augmentatio fiat ex corpore actualiter quanto? Cùm autem fieri ex corpore non actualiter quantò dupliciter contingat, aut quod talis incorporea manſit ſeparata ab omni corpore, vel coniuncta cum aliquo corpore, quoquo modo ſumatur magnitudo, quæritur an ſit impoſſibilis augmentatio ex non corpore in potentia, ſeù ex magnitudine, vel ſeparata, ab omni corpore; vel coniuncta cum aliquo corpore, Non poteſt dici primum, quia tunc talis materia ſic ſeparata, vel non eſſet in loco, vel eſſet veluti punctum, aut veluti vacuum, aut ſicut corpus non ſenſibile, vt eſt corpus imaginarium, (ſiquidem nullum iſtorum eſt in loco) ſed materia ſeparata nihil horum dici poteſt, ergo vt talis nequit eſſe materia augmentationis. Minor probatur, quia id, quod augetur neceſſario eſt in loco, vt probatum eſt in t. 25. ergo etiam id, ex quo aliquid augetur deber eſſe in loco, ſi non per ſe, ſaltem per accidens, cùm ſemper debeat eſſe cum illo, quod eſt per ſe in loco.

In T. XXVIII. excludit alteram partem, quod magnitudo ſeparata nequeat eſſe materia augmentationis, etiam ſi foret coniuncta cum aliquo corpore, dummodò tamen non eſſet aliquid illius, nec perſe nec peraccidens; nàm ſi ſic poneretur magnitudo, vt materia augmentationis, exiſtens tamen in alio corpore, nec per ſe, nec peraccidens, ſequerentur nonnulla inconuenientia, quæ admitti non poſſent, ergo magnitudo, vt ſic nequit eſſe materia augmentationis. Sequela maioris probatur: tùm quia poſſet dari generatio abſque corruptione alterius, quandoquidem ſi poneretur talis magnitudo in aqua, poſſet ex tali magnitudine fieri aer, aqua nullatenus corrupta, cùm ad ipſam nihil pertineret, neque perſe, neque peraccidens talis materia augmentationis: tum etiam, quia in eodem compoſito poſſent eſſe infinitæ materiæ, cùm nihil eius eſſent, & vna aliam non excluderet, igitur, qua ratione vna poneretur in tali compoſito, ea ratione poſſent adiungi aliæ vſque in infinitum: tùm denique, quia id, quod gigneretur ex eà, vt puta aer ex aqua, exiret ab eà, veluti ex vaſe aliquo, nulla facta in eo mutatione, ergo cum omnia hæc ſint valdè abſurda in phyſicis, concludendum eſt, non poſſet fieri augmentationem ex magnitudine, vt exiſtente in alio corpore. Neque poteſt dici poſſe fieri augmentationem. T. XXIX, Ex ea, vt ex puncto, vacuo, vel corpore inſenſibili, quia cum hæc nequeant ſeparatim per ſe conſiſtere, deberent eſse in

alio

Digitized by Google

alio corpore, neque tamquam partes illius, vnde ſequerentur eadem inconuenientia probata de magnitudine exiſtente in alio corpore, quæ cùm non poſſint admitti, dicendum eſt materiam augmentationis non poſſe eſſe magnitudinem, vel aliud quippiam ſeparatum à corpore.

In T. XXX. ponit propriam concluſionem de materia augmentationis dicens, debere eſſe materiam quantitate præditam, eam nimirum, ex qua viuens ſuſcipit incrementum, quam concluſionem probat, quia materia nequit eſſe ſeparata ab omni forma ſubſtantiali, & qualitatibus ipſam comitantibus, ergo neque ſine quantitate eſſe poterit, cum hæc ſit ratio fundamentalis, vt qualitates comitari valeant formas ſubſtantiales. Antecedens probatur, quia quicquid generatur fit ex aliquo, habente formam ſubſtantialem corrumpendam, & ad cuius expulſionem inducitur forma de nouo genita in illo, ſed tale eſt materia, ergo nequit hæc ſeparari ab omni forma. Conſequentia hæc probatur ſimul cum antecedenti, quia quicquid fit ab aliquo in genere cauſę efficientis, fit ab eo per inductionem formæ ſubſtantialis eiuſdem generis, & ſpeciei, eum re producta, vt cum ignis generat ignem, aut equus equum, ſiquidem ſimile gignitur à ſuo ſimili, ergo quicquid gignitur actu, fieri debet ab eo, quod habet formam ſubſtantialem eiuſdem generis, vel ſpeciei, ac proinde materia nequit ſeparari à formis ſubſtantialibus, ſed in generatione tranſmutatur de vna in aliam, cùm generatio vnius ſit corruptio alterius per tranſmutationem materiæ ab vna in aliam formam ſubſtantialem.

In T. XXXI. probato in præcedenti, non poſſe materiam eſſe ſine forma ſubſtantiali, oſtendit nec eſſe poſſe ſine accidentibus, & primo, quod ſine qualitatibus eſſe non poſſit, ſiquidem cum corpus commune admitti nequeat, vt finxere Platonici, nulla ſit materia ſub magnitudine, quæ non ſit alicuius ſingularis ſenſibilis, atqui nequit eſſe ſenſibilis abſque qualitatibus, quæ ſunt obiecta ſenſuum, ergo debet eſſe materia ſubiecta qualitatibus. Secundò quod nec quantitatis, poſſit eſſe expers materia augmentationis, ſic ſuadetur, quia ſi materia augmentationis non eſſet quantitate prædicta, ſed expers quantitatis, talis mutatio non eſſet augmentatio, vel diminutio, verùm generatio, ſed conſequens eſt falſum, ergo & id, ex quo ſequitur. Sequela maioris probatur, quia materia, quæ eſt generationis ſubiectum, eſt materia nuda, materia verò prout eſt ſubiectum augmentationis eſt materia quanta, igitur talis mutatio non eſſet augmentatio, ſed generatio. Minor probatur, quia augmentatio eſt præexiſtentis magnitudinis additamentum: Diminutio verò ei oppoſita, eſt præexiſtentis quantitatis minoramentũ, ideo quod augetur debet habere aliquã magnitudinẽ, nõ verò quod generatur, quia materia, quæ ad generationem ſpectat, eſt materia ſine omni magnitudine actuali.

In T. XXXII. vt priori quæſtioni, quam ab initio mouit de materia augmentationis, lumen maius adijciat, finemque imponat, prius proponit duas ſuppoſitiones, deinde ex illis obiectionem quandam ſubdit, quam ſoluit in ſequenti textu. Primò enim ſupponit, quod id, quod augetur, aut minuitur, ſecundum quamlibet partem augeatur, ac minuatur. Secundò, quod auctio fiat per receptionem alicuius extrinſeci in eo, quod augetur, minutio verò per deperditionem alicuius extrinſeci ab aucto.

Ex his obijcit contra ſuppoſita dicens, nùm id, quo res augeri dicitur, ſit corporeũ, vel incorporeum, neutrum ad mitti poteſt, ergo auctio fieri nequit ſecundum omnes partes, vt dicitur in prima ſuppoſitione. Maior liquet à ſufficienti diuiſione. Minor probatur quoad vtrumque membrum: Non poteſt admitti, vt ſit incorporeum, quia tunc daretur materia ſine omni forma, & vacuũ ſeparatum ſine dimenſionibus, quod ſuperius eſt improbatum, & in 4. Phyſicorum capite de Vacuo contra Antiquos. Neque admitti poterit, vt ſit corporeum, quia cùm auctio fieri debeat ſecundum omnes partes, duo corpora eſſent ſimul, nempe id, quod augetur, & quo augetur, quod eſt impoſſibile.

In T. XXXIII. Antiquam ſoluat obiectionem factam contra ſuppoſita, propositum modum dicendi quorundam circa augmentationem, ac diminutionem, & illum confutat inquiens: ſed neque contingit fieri augmentationẽ, aut diminutionẽ, vt nõnulli dicũt, quod ex vno corpore minori fit maius vt cũ ex aqua fit aer, vel econtra ex maiori fit minus, vt cum ex aere fit aqua, ſiquidem huiuſmodi mutationes non ſunt augmentatio, & diminutio, verũ generatio, & corru-

ruptio, & probat, quia in generatione, & corruptione, vnum interit, & aliud acquiritur, nempe cum ex aqua fit per generationem aer, aqua interit, & aer acquiritur, & e contra quando ex aere fit aqua, hæc acquiritur per generationem, & illa per corruptionem deperditur, & interit: in augmentatione verò, & diminutione quod augetur, vel diminuitur non interit, verum perſeuerat ſub vtroque termino incrementi, vel decrementi, tanquam commune vtrique, ſed & hoc videtur impoſſibile, quia difficile eſt ſaluare, quomodo detur tale corpus commune in rerum natura, cui accedat aliqua pars materiæ quantæ per quam dicatur augeri, vel aliqua pars quanta ab illo recedat, defectu cuius dicatur diminui. Vnde vt hoc, & prius dubium ſoluere poſſit, ponit tres conditiones requiſitas ad augmentationem, & diminutionem. Prima quod quælibet pars illius, quod augetur, fiat maior, & minor illius, quod diminuitur. Secunda quod fiat, accedente, vel recedente aliquo extrinſeco, accedente quidem in augmentatione, recedente verò in diminutione. Tertia vt id, quod augetur, vel diminuitur perſeueret. Hinc ſoluit argumentum eorum, qui dicebant, corpus tunc augeri, cũ ex minori fit maius, & tunc minui, quum ex maiori fit minus, negando quod aſſumebant, quandoquidem generatio, & corruptio differunt ab alteratione, & augmentatione, ac diminutione, quia ea, quæ augentur, diminuuntur, vel alterantur permanent ſubſtantialiter eadem, licet mutentur ſecundum terminos, nempe quantitatem, & qualitatem; ea verò, quæ generantur, & corrumpuntur non permanent eadem ſubſtantialiter, ſed corruptio vnius infert generationem alterius, & econuerſo generatio vnius infert corruptionem alterius. Non igitur augetur aqua, cum ex ipſa fit aer, neque minuitur aer, cùm ex ipſo fit aqua, ſed cũ neuter perſeueret, verũ intereant viciſſim ambo, gigni, & interire dicũtur.

Quoad tertium caput, in quo quærit quid ſit illud, quod augetur, in T. XXXIV. mouet vnum dubium, an id, quod augetur ſit illud, cui apponitur aliquid extrinſecum, nempè alimentum, aut ipſum alimentũ, quod ei apponitur, vt ſi cruri, vel brachio apponatur nutrimentum, vel vino aqua; an crus, vel vinum dicantur augeri, vel potius nutrimentum, vel aqua quæ fuerint appoſita, & quare non ambo, ſed alterum tantũ, & non æqualiter. Reſpondet augeri id, cui aliquid appoſitum eſt, nempe crus, vel brachium, quibus appoſitum eſt nutrimentum, & ratio eſt adducta ſuperius in præcedenti textu, quia id, quod permanet augetur, nõ verò quod corrumpitur, cùm autem nutrimentum extrinſecùs adueniens cruri corrumpatur, non verò crus, ſeu brachium, idcircò hæc dicuntur augeri, non autem illa. Similiter vinum, cui admiſcetur aqua, quouſque dominatur illi, perſeueret dominans, aqua vero vertatur in vinum, hoc, & non illa dicetur augeri. Similiter alteratione, caro ſubſtantialiter exiſtens ſi maneat eadem, & mutetur de calida in frigidam, caro dicetur alterari, non verò qualitas, quæ non manet ſed corrumpitur. Ponit tamen diſcrimen inter id, à quo augetur aliquid, & id à quo alteratur, id eſt inter nutrimentum, & qualitatem quod illud à quo aliquid alteratur, interdum nihil repatitur ab alterato, vt patet de Sole alterante hominem per calorem, à quo non poteſt Sol alterari, quia non communicant in materia, vt inferius videbitur, aliquando verò, quod alterat, etiam alteratur, vt experimur in cibo, qui alterat ſtomachum, & hic alteratur ab illo; id verò, à quo fit augmentatio, ſemper alterando alteratur, vt cibus ſemper alteratur à calore naturali, & hic alteratur à cibo dum agit in illum, & difficulter conuertitur, vel ſuperatur ab eo. Deinde ſubijcit quandam conueniẽtiam, ſeu ſimilitudinem, quia ſicut in eo, quod augetur eſt virtus, ſeu facultas autrix, ita in eo, quod alteratur eſt virtus alterandi, cum hac tamen differentia, quod virtus auctrix reſidet in eo, quod augetur, virtus verò alteratrix in eo, quod alterat, non quod alteratur, in ſidet, hoc autem eſt intelligendum principaliter, non verò abſolutè, quia ſic vtraq; reſidet in aucto, & alterato, in quibus fit augmentatio, & alteratio.

Obijcit tamen Philoſophus probando, auctionem fieri in eo, quod auget, non quod augetur ac proinde virtutem auctricẽ inſidere principaliter in nutrimento, & non in viuente, nam interdùm occurrit, alimentum acceptum intrinſecùs conuerti in ſpiritum, & fieri maius, quam antea, vt dùm conuertitur in ſubſtantiam ſubtiliorem, igitur augeſcit, non ſolùm viuens, ſed etiam alimentum. Soluit dicens, alimentum non propriè augeri, cum nõ maneat, ſed potius corrumpa-

patur, verùm denominatiuè & per accidens augeri dici poteſt, cum per ipſum propriè augeatur viuens, quod manet, illoque fruitur, & habeat vim conuertendi illud in ſe, qua caret abſolutè alimentum.

In t. 35. poſtquam oſtenderit, ſufficienterque demonſtrarit ex hactenus diſcuſſis, id augeri cui apponitur alimentum, non verò id, quod apponitur, proponit ſe velle tentare ſoluere argumenta facta contra, & ſaluare illas conditiones ſuperius aſſignatas, nempè, quod maneat integrum id, quod augetur, quod auctio fiat adueniente aliquo extrinſeco, & diminutio aliquo ab eo recedente; & potiſſimum quomodo vitari poſſint illa tria inconuenientia, quæ vrgebantur, nimirum, quod corpus augmentabile non habeat in ſe vacuum, neque duo corporæ in eodem loco, neque fiat augmentatio per appoſitionem rei in corporeæ, quæ omnia, cùm ei videbantur difficilia, nititur in præſentiarum ea dillucidare, diſſoluere, ac confirmare.

Vt autem hæc præſtare valeat duo obſeruat. Primum Augmentationem prius fieri in partibus ſimilaribus viuentis, & poſteà mediantibus his, in diſſimilaribus, cum ex eis coaleſcant. Dicuntur autem partes ſimilares, quæ conſtant ex partibus alijs eiuſdem rationis, ac nominis cum ſuo toto, quod conſtituunt, vt caro, ſanguis, & ſimiles; ſiquidem quælibet earum particula recipit prædicationem, & denominationem à carne, & à ſanguine. Partes verò diſſimilares, quæ ex ſimilaribus componuntur, ſunt quæ varijs nominibus appellantur, & nequeunt recipere prædicationem in recto à ſuo toto, quod conficiunt vt caput, manus, pes, brachium, crus, & ſimilia, hæc enim ſunt falſæ: pars capitis eſt caput, pars manus manus, pedis pes, brachij brachium, & cruris crus. Ex quo concludit, quod cùm partes diſſimilares coaleſcant ex ſimilaribus, etiam augeſcant ad illarum auctionem. Secundum, quod obſeruat eſt, quod partes viuentis ſunt in duplici differentia; aliæ namque dicuntur materiales, & aliæ formales. Materiales partes dicuntur illæ, quæ ſunt in continuo fluxu, & quæ ad inſtar materiæ modo ſunt ſub vnà forma, & modo ſub alia, vt caro, quæ continuò deperditur per actionem cõtrariorum, dum reſtauratur per nutritionem, dicitur tranſi[illegible] ad inſtar materiæ de vna forma, ſeù diſpoſitione ad aliam. Formales verò ſunt eædem partes, quæ manent ſub eadem forma, & ſitu, vt caro ſub eadem diſpoſitione ſanitatis, & in eodem ſitu, ac figura perſeuerans dicitur pars formalis, ſi verò infirmetur, aut tabeſcat dicitur poſtea materialis, cùm tranſeat ab vna ad aliam diſpoſitionẽ. Ex his infertur, quod cùm Ariſtoteles dicat, auctionem fieri in partibus viuentis formalibus, & non materialibus, intelligendus eſt de partibus ſimilaribus, dùm perſeuerant ſub eadem forma, diſpoſitione, figura, & ſitu, ſiquidem id, quod augetur, perſeuerat idem, & non corrumpitur, vt ſuperius docuit ſuppoſitione tertia in t. 33.

In T. XXXVI. vt declaret quonam pacto, auctio dicatur fieri in partibus ſecundũ formam, & non ſecundum materiam, ponit exemplum de aqua, quæ aliquo vaſe menſuratur, ſi poſt primam menſuram extrahatur aqua, & alia ſuccedat, aqua ſemper erit alia, & alia, & vas ſemper idem erit; vnde dicit, partes materiales aſſimilari aquæ, quæ ponitur eſſe in continuo fluxu, partes verò formales, cùm ſemper perſeuerent eædem, aſſimilari vaſi: quare ſubdit materiam carnis augeri quidem ſecundum partes formales, in quibus perſeuerat eadem, non autem ſecundum partes materiales, quæ non manent ſed continuò fluunt, ad inſtar materiæ, de vna in aliam diſpoſitionem, ſeu formam.

In T. XXXVII. Oſtendit, auctionem magis apparere in partibus diſsimilaribus, quã ſimilaribus, ſiquidem in illis facilius apprehenditur ex forma, compoſitione, & figura, necnon ex operationibus diuerſis, identitas permanẽtiæ, quàm in his, in quibus nulla apparet diuerſitas, nec compoſitionis, nec figuræ, nec formę T. XXXVIII. Ex his omnibus reſpõdet ad quęſtionẽ, circa modũ augmenti propoſitam dicens, viuentia augeri, per appoſitionem alicuius extrinſeci corporei, nẽpè alimenti, quod licet in principio, & ſumptione videatur diſsimile, & contrarium ei, quod augetur per ipſum, nihilominus per alterationes varias, fit ei ſimile, vt ex illo augeantur, nedùm partes ſimilares ſecundum formam, verùm etiam diſsimilares ex illis; quapropter apparet ex his, viuens ita augeri, vt quælibet pars aucta ſit, vt ex inde non poſsit inferri, dari in eis vacuum ſeparatum, nec duas magnitudines corporeas eſſe ſimul in eodem loco, ex poſitione augmentatio-

nis, vt vrgebant obiectiones ſuperius factæ in t.32. & 33.

Quoad quartum Caput, in quo proponit demonſtrare quale ſit nutrimentum, quomodo fiat auctio per nutritionem, & qualiter differant augmentatio, & nutritio, ac diminutio quid ſit, in T.XXXIX. declarat quale ſit alimentum, quo viuens augmentari debet, dicens, manifeſtum eſt, quod illud quo aliquid augetur, debet eſſe in potentia ad illud, quod augetur, vnde ſi caro augeri debet, alimentum debet eſſe aliquid in potentia ad carnem, ſeù caro in potentia, & probat, quia ſimile nonniſi à ſibi ſimili nutritur, ſed auctio fit per nutritionem, ergo & ſi caro augeſcit per nutrimẽtum, hoc eſſe debet potentia caro, vt aſsimiletur carni, quæ nutritur, & augetur. Deinde ſubdit, alimentum, vt ſit potentia id, quod augetur, corruptum poſtea debet eſſe tale, vt commutetur in ſubſtantiam illius, quod nutritur, & augetur, non quidem perſe ſeparatum, quaſi per generationem, ſed per nutritionem aggeneratum ſubſtantiæ illius, quod per ipſum augetur, tanquam pars eius, vt per hoc oſtendat non eſſe quid genitum, ſed quaſi genitum per nutritionem, ſiquidem generatio eſt mutatio totius in totum, nutritio mutatio partis in toto.

Declarat hoc diſcrimen inter generationem, & nutritionem duobus exemplis, nempe vini, & ignis. Nam ſi vino ſuper infundatur parum aquæ, vinum illam in ſe conuertit, & per illam augetur, ſaltem impropriè, vt dicetur inferius: ſimiliter ſi igni applicentur combuſtibilia, illaque vrat, ac in ſe conuertat, per illa augetur ignis, cùm in vtriſque fiat appoſitio alicuius extrinſeci, quod ſit potentia vinum, vel ignis, non quidem ſeparatum, veluti quoddam totum, ſed eiſdem vnitum, veluti pars in toto. Ex quibus infertur, quod ſi vinum auctum per appoſitionem aquæ in ſe conuerſæ foret ſeparatum, & ſimiliter ſi ligna combuſta in ſe conciperent ignem, nec ignis, nec verum dicerentur aucta per nutritionem, verùm genita per generationem; ſiquidem generatio habet pro termino aliquid ſeparatum, nutritio verò aliquid coniunctum alteri, tanquam partem toti.

In T. XL. Exponit quale ſit illud, quod augetur, dicens, non eſſe viuens vniuerſale, ſeù in communi, ſed ſingulare, & ſuadet à ſimili de genito, nàm quod gignitur non eſt animal in communi, ſiue in genere, ſiue in ſpecie, ſed hoc animal, & hic equus, vel hic homo, ſic quod augetur, cùm auctio ſubſtantialis ſit quædam aggeneratio, non eſt caro, vel os in communi, verum hæc caro, vel hoc os in ſingulari.

In T. XLI. ponit diſcrimen, & conuenientiam inter augmentationem, & nutritionem, Conueniunt etenim, quia vtraque fit per appoſitionem, ſeù acceſſionem rei quantæ ſuccedentis ad rem, quæ augeri dicitur, ſiquidem materia auctionis eſt magnitudo corporea, vt ſuperius viſum eſt. Differunt verò, quia id, quod augetur, ſic augetur alimento quanto, vt quantum eſt reduplicatiuè; quod autem nutritur, nutritur quidem eodem alimento, quatenus potentia caro eſt, vel vt eſt conuertibile in ſubſtantiam illius, quod augeri dicitur. Ex his infertur, quod in augmentatione interuenit duplex mutatio, vna, qua materia rei auctæ, ſeù alimentum, formam eius, quod augetur ſuſcipit, & vocatur nutritio: altera, qua illud, quod augetur acquirit maiorem quantitatem: prior vocari poteſt augmentatio ſubſtantialis: poſterior verò quantitatiua, ſeù accidentalis. Infertur etiam, & alia differentia inter nutritionem, & augmentationem, quod animal, quandiù viuit, nutritur, non tamen, quandiù viuit, augmentatur. Ratio autem eſt, quia per nutritionem ſemper reſtauratur aliqua pars deperdita, quæ tribuit occaſionem vitæ; at per augmentationem acquiritur noua quantitas per calorem naturalem, qui cum deperdatur in conflictu cum humido radicali, nequit tribuere vires acquirendi maiorem quantitatem.

In T. XLII. In quo agitur aliqualiter de diminutione, exponit quid ſit, & quomodo accidat in viuente, exemplo vini, cui immiſta fuerit aqua; nàm quouſque vinum non fuerit miſtum cum aqua, vt ab ipſa ſuperari queat, augetur, quia in ipſo remanent vires conuertendi aquam inſeipſum; cæterùm ſi tantundem aquæ infundatur, vt totum aquoſum euadat, non augetur, ſed diminuitur vinum per deperditionem virium, ſic pariter accidit viuenti per appoſitionem alimenti; quandiù enim

calor

calor naturalis eſt ſemper feruidus, vt ſuperare valeat virtutem alimenti appoſiti, augetur ſemper viuens; ſi verò per appoſitionem robuſtioris, aut abundatioris alimenti, vis caloris ſuperetur, vt nedum vincere, ſed neque reſiſtere poſſit, ſicut diminuitur calor naturalis, vt per ipſum conuerti nequeat alimentum in ſubſtantiam aliti, ita deficiunt in viuente vires ad auctionem, & inducitur diminutio eidem oppoſita, quæ ſic poſſet deſcribi. Diminutio eſt deperditio caloris, & ſubſtantiæ quantæ viuentis, remanente tamen eiuſdem forma. Et hæc de hac Summa ſecunda textus dicta ſufficiant.

De Augmentatione, tam ſubſtantiali, quàm accidentali, ſeù quantitatiua.

DISPVTATIO II.

Augmentationem viuentium, quæ propriè auctio dicitur, partiri in ſubſtantialem, & accidentalem, haud obſcure deprehenditur ex hactenus adnotatis in textu, & præſertim in t. 41. & t. 42. huius ſecundæ ſummæ, vnde de vtraque eſſet nobis agendum in præſenti Diſputatione, exagitando quæſtiones, & ſoluendo Difficultates, quæ à Doctoribus, tùm Antiquis, tùm Recentioribus pertractari noſcuntur; verùm quia de ſubſtantiali, quæ Nutritio appellatur à Philoſopho in præcitatis locis, ſufficienter egimus in ſecundo de Anima, occaſione textus Ariſtotelis de Potentia Vegetatiua, Diſput. 3. per quatuor quæſtiones ſubſequentes, idcireo ab illa abſtinendum ducimus, nè nobis contingat idem toties repetere, aut ſuperflua tradere, & calamum firmare duntaxat in Accidentali, de qua ſequentes Difficultates, quæ nobis vtiliores videbuntur, enodare, ac ſoluere cum Doctore Subtili, pro viribus, tentabimus.

Vtrum Augmentatio ſit motus continuus, & Succeſſiuus, à cæteris motibus, & mutationibus, realiter diſtinctus?

QVÆSTIO I.

Augmentationem accidentalem, ſeù quantitatiuam de qua in præſenti duntaxat loquimur, poſſe comparati ad motus propriè, & impropriè, acceptos, nempe ad alterationem, motum localem, generationem, & corruptionem, de quibus loquitur Ariſtoteles 5. Phyſicorum a t. 7. & 9. & inquiri, an ab omnibus his ſecernatur realiter, vel eum aliquo realiter conueniat, & ſolùm formaliter diſtinguatur. Sed enim, quia inter hos videtur enumerari etiam nutritio, vel tanquam motus, vel tanquam mutatio, poteſt etiam comparari ad nutritionem, & inueſtigari; an augmentatio ſit motus continuus, & ſucceſſiuus diſtinctus realiter, aut tantum formaliter à nutritione?

Vnde circa primam partem quæſtionis, non eſt immorandum, cum omnes Doctores enumerent augmentationem inter tres motus propriè ſumptos, quorum meminit Philoſophus in 5. Phyſicorum in præcitatis textibus: adeſt ergo diſſidium circa ſecundam, & tertiam quæſtionis partem, an augmentatio ſit motus continuus, & ſucceſſiuus, & an ſecernatur à cæteris motibus, & mutationibus, & præſertim à nutritione. Vnde circa iſtas varia ſunt Doctorum placita, nam aliqui, quos ſuperius recenſuimus de alterationis motu, ſuſtinent, augmentationem quantitatiuam non eſſe motum continuum, ſed diſcretum, cùm non fiat in tempore, verùm in diuerſis inſtantibus terminatiuis partium temporis, quæ, cum ſibi inuicem ſuccedant, cauſant quidem ſucceſſionem in tali motu, non autem continuitatem. Ita Auerroes tertio Phyſicorum com. 8. Alber. Magn. lib. 8. eiuſdem operis t. 23. Ferrarienſis eod. lib. q. 6. Soncinas 8. Metaph. q. 22. & 28. Capreolus in 1. d. 17. q. 2. Pomponat. de Nutrit. & Augment. l. 1. c. 9. Toletus hic q. 11. & Hurtado ibid. Diſp. 3. ſect. 3. ſubſect. 2. relati à Conimbr. hic q. 16. art. 1. & Merinero ibidem diſp. 4. q. 4.

Alij verò, ſequentes Ariſtotelis veſtigia 5. Phyſicorum à t. 7. & hic t. 31. & 32. ac alibi, docent, augmentationem, & diminutionem eſſe motus continuos, & ſucceſſiuos, cum ſint ad quantitatem continuam, & non diſcretam, & acquirantur per partem poſt partem in tempore, & non in inſtanti. Sic Doctor Subtilis in 4. d. 44. q. 1. ſub L. quem poſtea ſequuti ſunt Thomas Garbius lib. 1. ſuæ Sum. tract. 5. q. 54. Iandunus 8. Phyſicorum q. 7. Gregorius in 1. d. 17. qu. 2. art. 1. Bacoleus Thienæus, Amadæus, Marſilius, & Albertus de Saxonia, qui referunt,

runt, citantque quorumdam loca Conimbricenſes citati ſuperius q. 16. art. 2. quàmuis diuerſimode concluſionem hanc eandem tueantur, ac probent.

Alij autem conſiderantes, terminum augmentationis acquiri poſſe, & in tempore, & in inſtanti, ſuſtinent augmentationem, in ratione ſua formali, abſtrahere à continuo, & inſtantaneo. Sic Roccus lib. 1. de Generatione qu. 17.

Circa tertiam partem etiam litigant Doctores, quandoquidem nonnulli confundunt augmentationem cum nutritione, in re dicentes eſſe eaſdem, & differre ſolum formaliter, vt Albertus de Saxonia de Generatione, & Corruptione q. 9. Marſilius q. 10. Valleſius l. 2. Controu. c. 29. & lib. 5. Phyſicorum cap. 2. & lib. 7. cap. 2.

Oppoſitum tamen communiter defenditur in Schola Peripatetica, non tantum de nutritione, verum etiam de cæteris motibus, ac mutationibus, aſſerentes augmentationem eſſe motum continuum, & ſucceſſiuum, diſtinctum realiter ab alteratione, latione, generatione, & corruptione, vt docet Ariſtoteles in 5. Phyſicorum t. 7. 9. & 18. & hic t. 31. quem poſtea ſequuti ſunt Doctor Subtilis in 4. d. 44. q. 1. & d. 11. qu. 3. Et D. Thomas ſuper lib. 5. Phyſic. lect. 4. & omnes Scotiſtæ, ac Thomiſtæ; Conimbricenſes hic q. 13. art. 2. Ruuius ibidem q. 5. à quibus referuntur alij.

Nos autem, vt loquamur conſequenter, ad ea, quæ alibi tradidimus in Phyſicis, de Anima, & in hoc 1. li. de Gener. probabimus augmentationem, formaliter acceptam, eſſe motum continuum, & ſucceſſiuum, à cæteris motibus, & mutationibus, & præſertim à nutritione realiter diſtinctum.

Pro cuius tamen clariori notitia, ac fundamento notandum eſt primo augmentationem eſſe nomen æquiuocum, ac multiplex, adeoque vt tripliciter ſumi poſſit, ſicut communiter obſeruant Doctores. Primo modo ſumitur large pro acquiſitione quantitatis, ſiue talis ſit quantitas molis, ſiue virtutis; ſiue fiat per actu ſumptionem alimenti, ſiue per iuxta poſitionem rei quantæ, alteri quātitati, ſiue talis quantitas ſit continua, ſiuè diſcreta, ſic que dicimus qualitatem augeri, cum intenditur per additionem graduum, ignem fieri maiorem per appoſitionem combuſtibilium, & numerum fieri maiorem, & augeri per appoſitionem vnitatum, & hoc modo ſumendo augmentationem non diſtinguitur ab alteratione, nec augmentatio continua a diſcreta. Secundo modo proprie ſumitur pro acquiſitione maioris quantitatis continuæ, ex appoſitione alicuius extrinſeci, facta à viuente, mediante ſusceptione alimenti, ſiuè talis quantitas ſit maior, ſiuè æqualis cum quantitate præexiſtente per actionem caloris naturalis deperdita, & ſic augmentatio reperitur in qualibet nutritione. Tertio modo accipitur pro acquiſitione continua, & ſucceſſiua quantitatis ipſius viuentis, facta per nutritionem inſtantaneam in qualibet parte ſecundum ſpeciem ſubſtantiæ alicuius viuentis, & de hac eſt ſermo in præſenti quæſtione, cùm inquiritur, an ſit motus continuus, & ſucceſſiuus, à cæteris motibus, & mutationibus realiter diſtinctus.

Secundo Notandum ex Ariſtotele in hoc lib. 1. de Generatione, & Corruptione t. 33. ac inde, quod in augmentatione tertio modo conſiderata tres conditiones requiruntur. Prima quod in ea remaneat idem ſubiectum ſub vtroque termino transmutationis, cum tranſit de minori ad maiorem quantitatem, & ratio eſt, quia quod mutatur, eſt in toto motu. Secunda quod quælibet pars illius, quod augetur ſit aucta, ita quod non intercedat vacuum in poris, in quibus recipitur alimentum. Ratio autem huius conditionis eſt, quia totum mobile mouetur ſecundum quamlibet ſui partem, igitur ſi ſecundum ſe totum viuens nutritur in qualibet parte determinatæ quantitatis, in qualibet tali parte debet pariter augeri. Tertia quod fiat per aduentum alicuius extrinſeci corporei, & non incorporei, & huius ratio eſſe debet, quia ſi per augmentationem illud, quod augetur fit maius, & non poteſt fieri maius per aliquod incorporeum, igitur id extrinſecum, quod apponitur, neceſſariò debet eſſe corporeum, hoc eſt aliquod ſubſtantiale quantitate præditum.

Tertio Notandum ex Doctore Subtili in 4. d. 44. q. 1. augmentationem in viuentibus dependere à nutritione eorumdem ſecundū partes formales, ſiquidem nutritio ſe habet veluti comes ad augmentationem, vel per iuxta poſitionem partis nouæ parti antiquæ quæ ita augentur, ſicut nutriūtur, vel per ag-

ge-

generationem, vel per ingenerationem partis nouæ, loco partis antiquæ fluxæ, virtute partis præcedentis factam in parte ſecundum ſpeciem, & ſic augentur tantum ſpeciales, ſeù formales partes, ſicut illæ duntaxat nutriuntur, concurrentibus tamen ſequentibus motibus, ſeù mutationibus. Primus motus eſt localis, dùm virtute attractiua, vel regitiua defertur alimentum ad partes corporis viuentis diſtantes, vt ad cor, iecur, & ad venas, & in tali nulla eſt nutritio, neque augmentatio. Secundus motus eſt alterationis, cum alimentum in prædictis locis decoquitur, nec in tali eſt nutritio, aut augmentatio, cùm non terminetur ad ſubſtantiam, vel quantitatem, ſed ad qualitatem. Tertiùs eſt generationis nouæ ſubſtantiæ poſt tertiam decoctionem, factæ in potis ipſius viuentis vi potentiæ nutritiuæ, & in tali conſiſtit nutritio. Quartus eſt conſeruatio inſtantanea quantitatis ad nouam ſubſtantiam, veluti paſſio ad ſuum ſubiectum, neque in hoc ſita eſt augmentatio, cum non fiat in tempore, verum in inſtanti. Quintus eſt extenſio continua, & ſucceſſiua partium acquiſitarum per nutritionem, ad expulſionem aeris, vel humorum in potis exiſtentium, & in tali conſiſtit augmentatio, cùm per talem extenſionem maioretur quantitas viuentis præexiſtens, & de hac duntaxat quæritur, an diſtinguatur à cæteris motibus, & à nutritione.

Quarto Notandum ex alias obſeruatis, in Phyſicis, & in hoc lib. de Generatione, & Corruptione, cum Ariſtotele, & Doctore Subtili, diſtinctionem motuum, & mutationum, ſumi à terminorum ad quos diuerſitate, cùm ab eis præcipuè pendeat illorum eſſe, & exiſtere; quare in 5. Phyſicorum t. 9. & 18. Ariſtoteles enumerauit tres ſpecies motus ad tria Prædicamenta, nempe augmentationem ad quantitatem; alterationem ad Qualitatem, & lationem ad Vbi; ac duas mutationes, nimirum generationem, & corruptionem ad ſubſtantiam. Ex quibus inferendum eſt, augmentationem eſſe motum continuum, & ſucceſſiuum, cùm enumeretur inter illos, quibus eſt communis continuitas, & ſucceſſio; & eſſe diſtinctum realiter ab alijs, quia eorum termini ad quos, diſtinguuntur realiter à termino ad quem augmentationis, vt docet Ariſtoteles in 1. Poſter. 5. Phyſicorum, & in præſenti lib. de Generatione, & etiam à nutritione, quæ cùm ſit quædam peculiaris generatio partium ſubſtantiæ in toto viuente, habet terminum diſtinctum realiter à termino augmentationis, qui eſt quantitas.

Ex his ſit prima Concluſio. Augmentatio phyſica eſt motus continuus, & ſucceſſiuus, diſtinctus realiter à Generatione, Corruptione, Alteratione. Latione, & Nutritione. Eſt Ariſtotelis, & Scoti in locis citatis. Probatur quoad omnes partes, & primo quod ſit motus continuus, & ſucceſſiuus, quia omnis acquiſitio accidentalis termini, facta in tempore continuo, & ſucceſſiuo, eſt motus continuus, & ſucceſſiuus, ſed augmentatio phyſica eſt huiuſmodi, ergo eſt motus continuus, & ſucceſſiuus. Maior patet ex Ariſtotele 3. Phyſi. t. 6. 9. & 15. motus eſt actus entis in potentia, prout in potentia: vel eſt actus mobilis vt mobile eſt: vel eſt actus imperfectus ordinatus ad aliquid perfectum: vel vt dicitur in t. 17. eſt actus mobilis, vt mobile eſt ad formam, ergo cùm motus ſit entis, mobilis, imperfectus, ordinatus ad perfectionem mobilis, aut entis in potentia per acquiſitionem termini ad quem, ſequitur, quod motus ſit acquiſitio accidentalis termini, ad quem ordinatur, cū autem talis acquiſitio menſuretur tempore continuo, & ſucceſſiuo, quia tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius ex eodem Ariſtotele 4. Phyſicorum t. 100. & 101. ex omnibus his clareſcit, maior propoſitio, nempe quod omnis acquiſitio accidentalis termini, facta in tempore, ſit, per conuerſionem ſimplicem, motus continuus, & ſucceſſiuus Minor probatur ex Ariſtotele hic t. 31. vbi inquit: *Augmentatio eſt exiſtentis magnitudinis additamentum:* hoc eſt, vt exponunt communiter Doctores, eſt mutatio accidentalis, à minori, ad maiorem quantitatem, vi animæ vegetatricis procedens: vel eſt motus acquiſitiuus maioris quantitatis in ſubiecto quanto, ex nutritione proueniens, ex eodem Ariſtotele hic t. 41. ſed cùm motus menſuretur tempore continuo, & ſucceſsiuo, ſecundum prius, & poſterius, ſequitur, quod augmentatio ſit acquiſitio continua, & ſucceſsiua facta in tempore cōtinuo, & ſucceſsiuo, ac proindè motus phyſicus continuus, & ſucceſsiuus; ſecunda pars probatur, quia diſtinctio realis motuum, & mutationum ſumitur à diſtinctione reali terminorum ad quos, vt aliàs ex Ariſtotele 5. Phyſicorum oſtendimus, ſed terminus ad

F 4 quem

quem augmentationis diſtinguitur realiter à terminis ad quos aliorum motuum, & mutationum, ergo augmentatio eſt motus diſtinctus à cæteris mutationibus. Minor probatur ex Ariſtotele hic t. 31. & 5. Phyſicorum t.9. & 18. vbi habet, quod augmentatio terminatur ad quantitatem, generatio, & corruptio ad ſubſtantiam, alteratio ad qualitatem, & latio ad vbi, quæ omnia diſtinguuntur realiter ex Ariſtotele in primo Poſteriorum t. 35. & nos probauimus in Anteprædicamentis q. 2. Diſp. 2. ergo terminus ad quem augmentationis diſtinguitur realiter à terminis ad quos aliorum motuum, & mutationum. Tertia: pars probatur de nutritione, quia augmentatio terminatur ad quantitatem, nutritio verò ad ſubſtantiam partialem, vt diſtinguatur aliqualiter à generatione, ex eodem Philoſopho hic t.41. vbi inquit: *Et nutrimentum augmentationi idem eſt quidem, ipſo autem eſſe aliud. Secundum enim quod eſt id, quod aduenit potentia quanta caro, augmentatiuum carnis eſt: ſecundum autem, quod ſolùm potentia caro, nutrimentum*, ergo cum augmentatio, & nutritio habeant terminos realiter diſtinctos, dicendum eſt, quod ſint motus continui, & ſucceſſiui ambo realiter diſtincti, vel ſaltem, quod diſtinguantur realiter, vt motus, & mutatio, vt docet Scotus in 4. d. 44.q.1.ſub L. quia augmentatio fit in tempore, & nutritio in inſtanti, & nos cum ipſo oſtendimus in ſecundo de Anima Diſp. 3.q. 5. concluſione tertia.

Secunda Concluſio. Probabile eſt motum augmentationis poſſe fieri in inſtanti, ac proinde augmentationem formaliter ſub ratione augmentationis, quatenus dicit tantū acquiſitionem quantitatis maioris in ſubiecto, abſtrahere à motu continuo, & ſucceſſiuo, ac ab inſtantaneo. Eſt expreſſe aſſertio Antonij Rocci, quę tamen colligitur ex Doctore Subtili in 4.d.43.q.5.art.2. in ſimili de motu alterationis, & locali, quos docet ibidem poſſe fieri in tempore, & in inſtanti. Probatur prima pars, quia non minus continuitas, & ſucceſſio ſunt de ratione motuū alterationis, & localis, ac motus augmentationis, ſed motus alterationis, & localis interdùm diſpenſari poſſunt a continuitate, & ſucceſſione, vt valeant fieri in inſtanti, ergo idem dici poterit de motu augmentationis. Maior patet, quia omnes motus ſunt de numero continuorum, & ſucceſſiuorum, cùm contineantur ſub quantitate continua, ſiuè permanenti, ſiue ſucceſſiua ex Ariſtotele in 5. Metaphy. cap. de quanto t.18. & in Prædicam. cap. de Quantitate, & quanto & 4. Phyſic. t. 10. 101. & inde, ac in 5. Phyſicorum t. 39. quibus in locis docet, omnem motum eſſe continuum, & ſucceſſiuum, ergo continuitas, & ſucceſſio non minus conuenit vni, quàm alteri. Minor probatur de motu locali, quia de motu alterationis ſatis probatum fuit in præcedenti Diſp. 1.q.7. nàm Deus poteſt in inſtanti ponere corpus maius vbi eſt minus, ſed hoc non poſſet fieri niſi aer circunſtans localiter moueatur in inſtanti, ergo motus localis fieri poteſt in inſtanti. Maior patet, quia hoc fiet in Reſurrectione, dicente Apoſtolo in Epiſtola 1. ad Corinthios cap.15. *In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba, mortui reſurgent incorrupti*, & corpora formata ex pulueribus occupabunt maiorem, vel minorem locum, quæ prius, quod nequit fieri ſine motu locali, ergo in inſtanti, etiam modo, poteſt ponere corpus maius, vbi eſt minus, vel econuerſo, minus vbi eſt maius. Minor ſimiliter, quia ſuperficies deberent dilatari, vel reſtringi, & ſic localiter moueri. Conſequentia tenet, quia neceſſitas ſucceſſionis in quouis motu, prouenit ex imperfectione virtutis agentis, non valētis inducere formam indiuiſibilem in inſtanti, atqui Deus, cùm ſit virtutis infinitæ, non poteſt pati vllam reſiſtentiam, ex qua prouenire poſſit ſucceſſio in ſua actione, ergo Deus poſſet facere motum localem in inſtanti. Secunda pars probatur, quia quemadmodum nutritio præſupponit plures motus, vt obſeruauimus ſupra Not. 3. & tamen fit in inſtanti, terminatiuo illorum motuum, ita & augmentatio, quæ ſequitur ad nutritionem ex alimento quanto, licet præſupponat eoſdem motus, quos nutritio, poterit fieri in inſtanti eodem, quo nutritio. Conſequentia patet, quia ambæ enaſcuntur ex eiſdem parentibus, & oriuntur ex eius cauſis, quæ ſola ratione differunt, vt docet Philoſophus in hoc lib. 1. t. 41. igitur ſicut nutritio oritur in inſtanti terminatiuo ad motus in tempore, cur non poterit etiam ſic oriri augmentatio, quæ ad illam ſequitur? Non enim videtur in hoc diſparitas ſi rectè perpendatur ſimilitudo, quæ etiam naſcitur inter motus alterationis, & generationis ſicut enim generatio in creaturis neceſſariò præſupponit diſpoſitionem, quæ conſiſtit in motu altera-

tionis

tionis in tempore, & illa fit in inſtanti, vt communiter ſuſtinetur, cur non poterit etiam augmentatio fieri in inſtanti, quàmuis ad varias diſpoſitiones factas in tempore, ſequatur ſimul cum nutritione? concludendum eſt igitur augmentationem, cùm formaliter attentà poſſit fieri in tempore, & in inſtanti, eſſe motum abſtrahentem à motu continuo, & ſucceſſiuo, ac inſtantaneo.

Tertia Concluſio. Augmentatio non eſt motus factus in diuerſis inſtantibus temporis diſcreti, ſed vel continuus, & ſucceſſiuus, factus in tempore continuo: vel interdum inſtantaneus, factus ab agente ſupernaturali in inſtanti temporis continui. Eſt Scoti in locis ſupra citatis in 4. & in 2. d. 1. q. 11. & 12. ſub C. contra Auctores relatos in prima opinione, & aliqualiter contra nonnullos poſitos in ſecunda ſententia. Prima pars remanet probata in ſimili de Alteratione in præcedenti Diſput. 1. q. 7. nàm eadem argumenta militant etiam de Augmentatione mutatis mutandis. Secunda pars ſufficienter oſtenditur in prima concluſione huius diſput. & quæſtionis. Tertia verò pars iam eſt demonſtrata in præcedenti concluſione.

Obijcitur primo contra primam partem primæ, & tertiæ concluſionis ſimul, nàm Ariſtoteles 8. Phyſicorum t. 23. negat continuitatem ab Augmentatione, & Diminutione, inquit enim: *Neque enim augeri, neque minui poſſibile eſt continuè, ſed eſt, & medium*, ergo augmentatio non eſt motus continuus, verum diſcretus ſecundum Ariſtotelem.

Reſpondetur negando conſequentiam, neque auctoritas Philoſophi vrget, vt putant Auerroiſtæ, quandoquidem negat à motu augmentationis, & diminutionis continuitatem, prout idem ſonat, quod æternitas, quæ nunquam ceſſat, ſicut motus circularis Cœli, in quo ſenſu Antiqui aſſerebant, omnia moueri continuè, hoc eſt abſque vlla ceſſatione; non tamen negat ab eis continuitatem, vt contradiſtinguitur à diſcretione, quia ſic affirmat, omnes motus, & conſequenter etiam augmentationem, & diminutionem, eſſe continuos in 3. Phyſicorum t. 1. & 2. ac 5. Phyſicorum t. 39. non quod aliquando ceſſare non poſſint, ſed quod dùm fiunt, habent eſſe in tempore continuo.

Obijcitur ſecundo: nàm omnis motus accipit continuitatem, vel à loco, vel à ſubiecto, vel à termino, ſed augmentatio à nullo iſtorum continua eſſe poteſt, ergo nequit eſſe motus continuus. Maior patet, quia ab illis tribus de neceſſitate accipit eſſe, vt docet Ariſtoteles 3. Phyſicorum t. 2. & 4. 6. & inde, ac 5. Phyſicorum t. 7. 9. 18. & 39. ergo & continuitatem debet habere ab eiſdem. Minor probatur, quia continuitas nequit dare eſſe augmentationi in ordine ad locum, cum hæc non attendatur ſecundum loci dimenſionem, ſed penes quantitatem: neque adæquatum ſubiectum eius eſt continuum, ſiquidem partes totius, quæ augentur, non habent continuitatem, vt patet da carne in comparatione ad ſanguinem, & oſſa, & multa alia: neque reſpectu termini, ſiquidem quantitas cum acquiratur ſimul cum ſubſtantia, ſicut hæc eſt acquiſibilis indiuiſibiliter, ita & illa.

Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicimus locum conferre ad continuitatem augmentationis, vt dicit Ariſtoteles hic t. 27. ſi quidem abſque loco eſſe non poteſt: ſimiliter continuitas ſubiecti eſt neceſſaria ad motum augmentationis, ſicut enim partes viuentis nequeunt nutriri, niſi ſint continuæ, ſic neque augeri in toto, ſi non fuerint continuæ ſibi. Et terminus pariter augmentationis ſibi confert ad continuitatem, quia eſt quantitas continua, quę ſicut tribuit eſſe motui augmentationis, ſic illi confert continuitatem, quæ eſt de eius eſſentia, cum per eam diſtinguatur à quantitate diſcreta.

Obijcitur tertio ſi augmentatio eſſet motus continuus, & ſucceſſiuus inciperet neceſſariò per vltimum ſui non eſſe, itaut eſſet verum dicere, nunc non eſt augmentatio, & tempore immediato ſequenti erit, ſed hoc non eſt dicendum, ergo augmentatio nequit eſſe motus continuus, & ſucceſſiuus. Maior patet, quia entia ſucceſſiua incipiunt per vltimum ſui non eſſe extrinſecum, vt docet etiam Scotus quol. 12. ſub M. Minor probatur, quia cùm augmentatio acquiratur ſimul cum nutritione, quæritur, an illo inſtanti, quod ponitur extrinſecum, & vltimum in non eſſe augmentationis, ſit completa vltima diſpoſitio alimenti, vt eſt materia nutritionis, & augmentationis, vel ſit complenda in tempore immediate ſequenti, ſed neutrum dici poteſt, ergo falſum eſt, augmentationem incipere

-per vltimum ſui non eſſe extrinſecum. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minor probatur, non poteſt dici primum, quia tunc augmentatio eſſet in inſtanti, cum ſequeretur ad vltimam diſpoſitionem alimenti, factam in tempore. Nec poteſt dici ſecundum, quia ſubiectum vltimæ diſpoſitionis alimenti eſt ipſum alimentum, ſed tempore, quo adeſt nutritio ſimul cum augmentatione, non eſt alimentum, aliàs eadem numero materia informaretur ſimul forma viuentis, & forma alimenti, quod repugnat, ergo neque etiam eſſe poterit vltima diſpoſitio, alioquin eſſet accidens ſine ſubiecto.

Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem negatur pariter minor, & dicimus in illo inſtanti vltimo, in quo extrinſecè incipere ponitur augmentatio, non eſſe completam diſpoſitionem vltimam alimenti, ſed fore complendam in tempore immediatè ſequenti, cum & ipſa ſit ſucceſſiua, & in inſtanti terminatiuo illius temporis, prius natura corrumpitur forma alimenti, & poſterius natura ſequitur nutritio, ſeù conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti, ad quam poſteà ſequitur in tempore augmentatio, & per ipſam quantitas, addita quantitati viuentis præexiſtenti, qua illa redditur maior, & aucta, ſicque completur augmentationis periodus continuè, & ſucceſſiuè.

Obijcitur quartò contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis, probando augmentationem non diſtingui realiter, nam quæ ſe includunt eſſentialiter non diſtinguuntur realiter, ſed augmentatio includit eſſentialiter generationem, ergo &c. Minor probatur quia in augmentatione fit cũ quantitate, etiam ſubſtantiæ acquiſitio, vt dicit Ariſtoteles hic t. 41. at ſubſtantia fit per generationem, ergo in augmentatione includitur eſſentialiter generatio.

Reſpondetur negando Minorem. Ad probationem dico, quod licet fiat cum augmentatione, etiam ſubſtantiæ acquiſitio, non fit tamen per motum augmentationis, per quem duntaxat acquiritur quantitas, verum per nutritionem, quæ eſt quædam peculiaris generatio: vnde ex ſimultate terminorum diſtinctorum realiter, non licet inferri ſimultas, & incluſio eſſentialis, quinimò diſtinctio eſſentialis, vel ſaltem realis motuum eorundem terminorum.

Obijcitur quintò contra tertiam partem eiuſdem concluſionis, quia ſecundum Ariſtotelem hic t. 41. augmentatio, & nutritio ſunt eadem actio ſubiecto, ergo ſunt idem realiter, ſiquidem idem eſt, eſſe idem re, & ſubiecto, ac eſſe idem realiter.

Reſpondetur negando conſequentiam; neque authoritas Ariſtotelis vrget, quia loquitur de ſubiecto ex quo, idest de alimento, quod eſt eadem res ſubiecta, ex qua ſequitur nutritio, & augmentatio, non autem de ſubiecto in quo, ſeù inhæſionis; hoc autem non obſcure deprehenditur ex ipſo contextu, vbi inquit: *Et nutrimentum augmentationi idem quidem eſt, ipſo autem eſſe aliud: ſecundum autem, quod eſt id, quod aduenit potentia, quanta caro, augmentatiuum carnis eſt: ſecundum autem, quod ſolum potentia caro, nutrimentum*. En quomodo cum identitate ſubiecti ex quo, nempè alimenti, diſtinguit in ſubiecto in quo duplicem actionem, ſeu mutationem; alteram, per quam id, quod augetur, ſuſcipit maiorem quantitatem, & vocatur auctio; alteram verò, per quam recipit maiorem ſubſtantiam, & dicitur nutritio, & conſequenter diſtinctas realiter, cùm terminentur ad ſubſtantiam, & quantitatem, quæ diſtinguuntur realiter.

Obijcitur ſextò ſi nutritio, & augmentatio realiter diſtinguerentur, ſequeretur vnicuique debere competere propriam continuitatem diſtinctam realiter à continuitate alterius, ſed hoc non eſt dicendum, ergo potius tenendum, illas non diſtingui realiter à ſeinuicem. Minor probatur; tùm quia magis repugnant in eodem ſubiecto duæ quantitates permanentes, quàm duæ ſucceſſiuæ: tùm etiam, quia ſicuti eadem continuitas materiam, calorem, & albedinem, cæteraque eiuſmodi accidentia Socratis extendit, ita vna, & eadem extenſio, ſeù continuitas videtur ſufficere ad nutritionem, & augmentationem extendendam; ergo ſi vna ſufficit, non debet multiplicari altera abſque neceſſitate.

Reſpondent aliqui apud Conimbricenſis, vnam continuitatem ſufficere pro vtraque, verùm diuerſimodè, ita vt per ſe competat augmentationi, per accidens verò nutritioni. Verùm hæc reſponſio nequit ſubſiſtere, inquiunt Conimbricenſes; tùm quia continuitas eſt idem re cum forma, quæ acquiri-

quiritur, ſeù cuius ipſa acquiſitionem extendit, igitur ſi acquiſitio ſubſtantiæ, & quantitatis eadem continuitate extenderetur, ſubſtantia, & quantitas permanens, quæ per augmentationem comparatur, eſſent idem re inter ſe, quod neque, qui ſic reſpondent, de facili concederent. Neque valet effugium ſi dicant, continuitatem eſſe idem re cum acquiſitione, quam per ſe extendit, nimirum cum acquiſitione quantitatis, non tamen cum nutritione;quam tantum per accidens extendit. Non valet inquam, tùm quia continuitas non extendit ſecundariò, nutritionem, ſicut quantitas albedinem; tùm quia nutritionem, cum ſit acquiſitio ſucceſſiua, & continuata, & motus, continuitas propria comitari debet, ſicut quemlibet motum conſequitur, vnde relicta horum reſponſione, & ex hactenus dictis impugnata ſecundo.

Reſpondent ad argumentum de mente propria negando minorem; & ad primam probationem, dicunt duas quantitates permanentes mole ſua locum occupare, ac ſitum diuerſum ponere, quod ſucceſſiuis nullo pacto conuenit, ideoque illas mutuò ſe pellere, nec ſimul cohærere poſſe, has verò poſſe. Ad ſecundam negant paritatem, inter nutritionem, & accidentia permanentia, ſiquidem iſta cum ſubiectentur in quantitate, poſſunt extendi per accidens ad extenſionem quantitatis; nutritio verò cum ſit acquiſitio ſucceſſiua, & motus nequit ſubiectari in continuitate permanenti, ac proindè nec extendi ad eiuſdem extenſionem, ſed neceſſariò expoſtulat propriam continuitatem ſucceſſiuam, ſicut quicumque motus.

Sed enim meo videri, neque rectè inpugnant, neque adæquatè ſoluunt, niſi ex falſa ſuppoſitione, quod nutritio ſit acquiſitio ſucceſſiua; & motus continuus; verùm cùm fallantur in hac ſuppoſitione, quia nutritio eſt mutatio inſtantanea, acquiſitiua ſubſtantiæ, vt diſtinguitur ab augmentatione, quæ eſt acquiſitiua, non videtur, quonam pacto ſibi competere poſſit propria continuitas quantitatiua diſtincta realiter à continuitate augmentationis, niſi velint dicere, ſibi competere huiuſmodi continuitatem ratione termini, qui eſt ſubſtantia quanta. Verùm, & hoc pacto non ſoluunt, ſed incidunt in continuitatem per accidens, quam negant, & impugnant contra præcedentem aliorum reſponſionem.

Reſpondetur igitur ad argumentum Valleſij ab eiſdem allatum, negando ſequelam maioris, ſi ſermo ſit de continuitate formali, conueniente vnicuique motui propriè attento, quia cùm nutritio non ſit motus, factus in tempore, ſed in inſtanti, ſibi nequit competere continuitas ſucceſſiua, concedendo tamen illam, loquendo de continuitate ratione termini; verùm tales continuitates erunt diuerſæ rationis; ſiquidem illa, quæ erit nutritionis, vocabitur entitatiua, ſicut conuenit cuilibet ſubſtantiæ materiali, præciſa quantitate; illa verò conueniens augmentationi, ratione ſui termini, qui eſt quantitas molis, dicetur quantitatiua, & ſic, conceſſa maiori, neganda eſt minor. Ad cuius probationem primam negatur conſequentia, quia huiuſmodi continuitates non eſſent quantitatiuæ ambæ, verùm vna entitatiua, & alia quantitatiua, ſubiectata extenſiuè in illa, atque adeo non repugnantes ad inuicem. Ad ſecundam probationem neganda eſt conſequentia propter diuerſitatem continuitatum; ſiquidem entitatiua eſt propria ſubſtantiæ, ſicut quantitatiua quantitatis, quare nequeunt ſe mutuò iuuare, nec per ſe, nec per accidens, ſicut benè poſſent, ſi ambæ forent eiuſdem rationis. Igitur, cum augmentatio, & nutritio habeant terminos diſtinctos realiter, inferendum eſt, illas diſtingui realiter, quàmuis prouenìant ab vno, & eodem ſubiecto ex quo, nempe ab eodem alimento.

Obijcitur ſeptimo contra ſecundam concluſionem tùm quia omnis motus, qui fit in tempore, vt eſt augmentatio, eſt ſucceſſiuus: tùm quia tranſitus continuæ quantitatis eſt continuus, ſicut eſt ipſa, ergo debet eſſe etiam ſucceſſiuus, vt ipſa, cum ab ea ſumat continuitatem, & ſucceſſionem, augmentatio eſt huiuſmodi, quia quemadmodum corpus, quod augetur eſt quantum, ſic debet eſſe augmentatio: tùm denique, quia omnis motus, qui fit inter terminos, ambos poſitiuos, eſt ſucceſſiuus, ob reſiſtentiam alterius ad alterum, ſed augmentatio eſt motus inter terminos poſitiuos ambos, cum fiat à quantitate minori ad maiorem ergo cùm ſit eſſentialiter ſucceſsiua, nequit fieri in inſtanti, ac proindè nequit abſtrahere à motu continuo, & ſucceſsiuo, ac inſtan-

ſtantaneo, vt dicitur in concluſione.

Reſpondetur negando vltimã conſequẽtiam, neque enim probationes in contrarium multum faceſſunt; Vndè ad primam neganda eſt vniuerſaliter minor, ſiquidem interdum accidere poſſet, fieri diſpoſitionem alimenti per varios motus in tempore, vſque ad illius conuerſionem in ſubſtantiam aliti quare ſi iſta ſequitur diſpoſitionem illam in inſtanti generando aliquam ſubſtantiæ partem, quid impediet, vt non ſequatur ſimul in eodem inſtanti, etiam aliqua pars quantitatis in eadem parte ſubſtantiæ? Ad ſecundam dicimus veram eſſe maiorem, ſi comparetur ad agens virtutis imperfectæ, & quod non poſſit habere virtutem ſuper tota realitate termini motus, quia ſic cogitur tranſire ſucceſſiuè, & continuè omnes partes quantitatis continuæ; falſam tamen ſi reſpiciat agens, quod habeat virtutem ſuper tota realitate termini motus, quia ſic poteſt fieri in inſtanti: quantitas autem, cum ſit ens permanens, poteſt habere omnes partes ſimul, & ſic in eodem inſtanti fieri auctionem à minori ad maiorem quantitatem. Ad tertiam maiorem eſſe veram, ſi termini ſint contrarij, & incompoſſibiles, vt alias obſeruauimus cum Doctore Subtili, & in augmentatione termini non ſunt contrarij, & incompoſſibiles ad exiſtere ſimul, ſiquidem quantitas maior, & minor, quæ ſunt termini poſitiui augmentationis, non ſunt contrariæ, immò exiſtunt ſimul in eodem ſubiecto, & vna perficit aliam, vt in ſimili dictum eſt ſupra de motu Alterationis.

Vtrum Augmentatio, & Diminutio ſint Motus poſitiui, inter ſe realiter diſtincti?

QVÆSTIO II.

Circa primam partem huius quæſtionis extat duplex oppoſita ſententia. Prima eſt quorundam quos ſine nomine recenſet Ruuius lib. 1. de Gener. & Corrupt. capit. 5. q. 10. aſſerentium, augmentationem, & diminutionem eſſe motus poſitiuos, cum ambæ verſentur inter terminos poſitiuos, vt ſunt quantitas maior, & minor. Secunda verò eſt aliorum, quorum ibidem meminit idem Ruuius, ſuſtinentium, augmentationem quidem eſſe motum poſitiuum, cum terminetur ad quantitatem, diminutionem verò motum negatiuum, cùm habeat pro ſuo termino negationem alicuius partis quantitatis præexiſtentis. Ita Fonſeca 5. Metaph. cap. 13. q. 9. ſect. 4. Conimbric. in 4. Phyſic. q. 2. art. 2. licet iſti videantur eſſe problematici hic qu. 13. art. 1. in fine dùm dicunt, diminutionem eſſe motum poſitiuum, ſi accipiatur pro acquiſitione quantitatis minoris, & non pro amiſſione quantitatis maioris. Verùm Recentiores omnes, vt notant Ruuius citatus, & noſter Merinero hic diſp. 4. quæſt. 3. num. 29. docent diminutionem non conſiſtere in aliquo poſitiuo influxu, vt conſiſtit augmentatio, ſed potiùs in carentia influxus, philoſophantes de diminutione, ſicut de corruptione ſubſtantiæ, & remiſſione qualitatis.

Circa ſecundam partem eiuſdem quæſtionis etiam eſt aliquale diſſidium, nàm aliqui, ſuſtinentes augmentationem, & diminutionem eſſe motus poſitiuos, cenſent illas diſtingui ſpecie, & per conſequens realiter: Alij verò, cum teneant diminutionem eſſe motum negatiuum, negant diſtinctionem ſpecificam, & realem inter ſe, & aſſerunt illas differre, vel ſpecificè, vel realiter negatiuè.

Nos autem ſequentes ea, quæ in ſimilibus ſuperius ſuſtinuimus de generatione, & corruptione, intenſione, ac remiſſione, aſſerendum ducimus, augmentationem, & diminutionem diſtingui adinuicem realiter, ſicut poſitiuum, & priuatiuum. Vnde pro maiori declaratione, ac fundamento concluſionum ponendarum.

Primò. Notandum eſt ex Ariſtotele 3. Phyſicorum t. 6. 9. & 17. Motus eſt actus entis in potentia, vt in potentia: vel actus mobilis, vt mobile eſt, qui ex eodem in 5. Phyſicorum t. 7. 9. & 18. ſi ſumatur large, vt ſe extendit etiam ad mutationem, diuiditur in poſitiuum, & priuatiuum, vel negatiuum. Poſitiuus eſt, qui verſatur inter terminos poſitiuos, nempe qui fit à ſubiecto in ſubiectum, & hic partitur in tres ſpecies, iuxta tria prædicamenta, ad quæ poteſt fieri motus, nimirum in augmentationem, quæ fit à quantitate minori ad maiorem; in alterationem, quæ fit ab vna qualitate contraria ad contrariam, & in lationem,

tem, quæ fit de vno ad alium locum, quæ omnia ſunt entia poſitiua. Priuatiuus verò, ſeù negatiuus eſt, qui verſatur inter terminos, quorum vnus eſt poſitiuus, & alter priuatiuus, ſeù negatiuus, & hic diuiditur in generationem, quæ fit à non ſubiecto in ſubiectum, ideſt à priuatione ad eius formam, & in corruptionem, quæ fit à ſubiecto in non ſubiectum, hoc eſt, à forma ad eius priuationem. Ex his infertur, quod cum diminutio fiat à ſubiecto in non ſubiectum, ideſt ab vna parte quantitatis præexiſtentis in ſubiecto, ad priuationem, ſiuè deperditionem eiuſdem partis in eodem ſubiecto, ſequitur, & infertur inquam diminutionem non eſſe connumerandam inter motus poſitiuos, verum inter priuatiuos, ſeù negatiuos.

Secundò. Notandum, vt colligitur ex Ariſtotele in hoc 1. lib. de Generat. & Corruptione t.31. *augmentationem eſſe exiſtentis magnitudinis additamentum: diminutionem verò exiſtentis magnitudinis minoramentum*. Quæ diffinitiones, ſi ſpectentur particulæ poſitæ ibidem, & in ſequentibus textibus vſque ad t. 42. ſic expendi debent. Augmentatio eſt mutatio accidentalis ſubiecti à minori quantitate ad quantitatem maiorem, vi potentiæ nutritiuæ. Diminutio verò eſt mutatio accidentalis ſubiecti à maiori quantitate ad quantitatem minorem, defectu virium potentiæ nutritiuæ in eodem. In quibus diffinitionibus, mutatio ponitur loco generis, cum ſit communis ad omnes motus, tùm preſsè, tùm largè ſumptos, vt docet Ariſtoteles 5. Phyſicorum t.7. & 9. ly accidentalis additur ad differentiam mutationum eſſentialium, ſeù ſubſtantialium, vt ſunt generatio, corruptio, & nutritio, quibus acquiritur, vel deperditur aliquid de ſubſtantia: à quantitate minori ad maiorem, vel à maiori ad minorem adduntur ad diſtinguendas has mutationes in ſeinuicem, vel à cæteris motibus, ac mutationibus, quæ non ſunt ad quantitatem, verum ad alia prædicamenta; vel à quantitate abſolutè ſumpta, vt nimirum abſtrahit à maiori, & minori: vi potentiæ nutritiuæ, tandem ſubditur ad differentiam augmentationis, & diminutionis largè ſumptæ, quæ repetiuntur in rebus inanimatis.

Tertiò. Notandum eſt, vt colligitur ex Ariſtotele 3. Phyſicorum t. 17. & 5. Phyſicorum à t.7. 9. & 18. ac alibi pluribus in locis, de ratione motus eſſe, quod ſit acquiſitiuus alicuius termini, poſitiui, ſi eſt motus poſitiuus, & priuatiui, ſi fuerit motus priuatiuus; patet enim inducendo in omni motu, ac mutatione; nàm generatione acquiritur forma quædam ſubſtantialis, augmentatione aliqua quantitas, alteratione aliqua qualitas, & latione aliquod vbi, & non niſi, quoniam omnes iſti motus ſunt poſitiui, idcircò per eos acquiruntur tales formæ, quæ ſunt termini poſitiui: corruptio verò, quia eſt mutatio priuatiua, & non poſitiua; (eſt enim inquit Ariſtoteles mutatio à ſubiecto in non ſubiectum) eſt proindè acquiſitiua alicuius termini priuatiui, qui eſt priuatio formæ corrumpendæ, quæ præexiſtebat in compoſito. Hinc deducitur, diminutionem, cùm per ipſam nihil de nouo poſitiuum acquiratur in ſubiecto, quinimò aliquod poſitiuum deperdatur, & illius ſola priuatio inducatur, quod deperditur, non eſſe motum poſitiuum, ſed mutationem duntaxat priuatiuam: quantitas enim minor, quæ poſt maiorem remanet, non eſt noua quantitas acquiſita per motum diminutionis, vt non benè ſupponunt Aduerſarij, ſed eſt pars antiquæ, quæ per augmentationem fuerat acquiſita, vel primæua illius, per generationem, aut emanationem, in ſubiecto cum forma ſubſtantiali, congenitæ, alioquin non diceret Philoſophus, diminutionem eſſe exiſtentis magnitudinis minoramentum; verùm debuiſſet addere, illam fore nouæ magnitudinis minoris in eodem ſubiecto acquiſitionem, quod tamen minimè dixit, vt videre eſt in contextu 31. aliàs citato. Supereſt igitur, vt dicamus, diminutionem non eſſe motum poſitiuum, verùm duntaxat priuatiuum, contradiſtinctum ab augmentatione diſtinctione priuatiua.

Quartò. Notandum ex aliàs obſeruatis cum Doctore Subtili in 2. d. 1. q. 4. §. contra iſtam opinionem. Et d.2. q. 2. B. in lib. Prædicamentorum diſp. 2. q. 2. & 1. Phyſicorum diſp.2. q.2. & diſp.5. q. 2. diſtinctionem realem eſſe relationem realem inter duo extrema, quorum vnum poſſit eſſe ſine altero, ſiquidè cõtradictio eſt ratio venãdi diſtinctionẽ inter aliqua, ſi realis realiter, ſi formalis formaliter, & ſi rationis rationis, vt alibi oſtendimus cum Scoto in præ-

citatis

ciatis locis; & quia contradictio reperiri poteſt inter extrema ambo poſitiua, vt inter album, & nigrum, vel inter extrema, quorum vnum ſit poſitiuum, & aliud priuatiuum, vt inter materiam, & formam, ac priuationem, propterea inferri poteſt, diſtinctionem realem eſſe duplicem ſcilicet poſitiuam, & priuatiuam, vel negatiuam. Prior requirit ambo extrema poſitiua, vel quę poſſint inuicem ſeparari; vel quæ ſint in rebus realiter ſeiunctis: vel quæ ſe habeant vt cauſa, & effectus, aut producens, & productum, licet abinuicem ſeiungi nequeant, vt aliàs obſeruauimus. Poſterior verò exigit extrema, quorum vnum ſit poſitiuum, & alterum priuatiuum, vel negatiuum, & poſſint abinuicem ſeparari, ita vt vnum maneat non manente altero. Modò ad rem, cum augmentatio ſit motus poſitiuus, & diminutio priuatiuus, & augmentatio conſiſtere poſſit abſque diminutione, vel econuerſo, vt patet in viuentibus, in quibus datur ſtatus accretionis, & decretionis, dicendum eſt, quod inter augmentationem, & diminutionem, cadat diſtinctio realis priuatiua.

Ex his fit prima concluſio. Augmentatio, & Diminutio non ſunt ambę motus poſitiui, ſed prior eſt motus poſitiuus, poſterior verò mutatio priuatiua. Eſt communis Auctoribus relatis in ſecunda opinione, contra primam ſententiam. Probatur concluſio, quia motus ſpecificatur à termino ad quem ex Ariſtotele quinto Phiſicorum t. 4. & 5. qui ſi ſit poſitiuus, motus erit poſitiuus, & priuatiuus ſi fuerit terminus priuatiuus, ſed terminus ad quem tendit augmentatio, eſt poſitiuus, nempe quantitas maior, & terminus ad quem tendit diminutio, eſt priuatiuus, nempè amiſſio, ſeù deperditio alicuius partis quantitatis maioris, ergo augmentatio, & diminutio non ſunt ambæ motus poſitiui, ſed prior motus poſitiuus, & poſterior priuatiuus. Minor patet ex Ariſtotele in hoc primo lib. de Generatione, & Corruptione t. 31. vbi inquit: *Augmentatio eſt exiſtentis magnitudinis additamentum, & diminutio exiſtentis magnitudinis minoramentum*, ſed additamentum magnitudinis, ideſt quantitatis, eſt quid poſitiuum, minoramentum verò priuatiuum, cum ſit deperditiuum, ſeù amiſſiuum quiddam de magnitudine, ſeù quantitate maiori præexiſtente, ergo terminus augmentationis eſt poſitiuus, & diminutionis priuatiuus, vel negatiuus.

Secunda Concluſio. Augmentatio, & Diminutio diſtinguuntur realiter priuatiuè, non poſitiuè. Probatur, quia diſtinctio realis poſitiua cadit inter extrema poſitiua, quæ poſſunt à ſeinuicem ſeiungi, priuatiua verò inter extrema, quorum vnum ſit poſitiuum, & aliud priuatiuum, & vnum poſſit manere, altero non manente, ſed augmentatio, & diminutio non ſunt ambo eſtrema poſitiua, verùm vnum poſitiuum, nempè augmentatio, & alterum priuatiuum, nimirum diminutio, & poſſunt à ſeinuicem ſeparari, ergo augmentatio, & diminutio diſtinguuntur realiter priuatiuè, & non poſitiuè. Maior patet ex dictis in quarto Not. Minor remanet probata ex præcedenti concluſione. Præterquam quod confirmari poteſt, quia per diminutionem nihil acquiritur, imò aliquid deperditur, ergo diminutio non eſt quid poſitiuum, ſed priuatiuum. Antecedens probatur, quia ſi per diminutionem aliquid acquireretur, vel eſſet quantitas, quæ denominatur minor, vel relatio minoritatis, à qua fieret talis denominatio; non enim reperiri poteſt aliud poſitiuum in tali motu, ſed neutrum eſt dicendum, ergo per diminutionem nihil poſitiuum acquiritur. Minor probatur, non eſſet tale poſitiuum quantitas, quæ denominatur minor, quia talis acquiſita exiſtit, vt ſupponit Ariſtotele. hic t. 31. dicentis, *diminutio eſt exiſtentis magnitudinis minoramentum*: Neque foret relatio, quia talis eſſet terminus illius motus, quod eſſet contra Ariſtotelem quinto Phyſicorum t. 10. vbi inquit: *Neque ei, quod ad aliquid motus eſt.* Ergo tale poſitiuum, quod ſupponitur acquiſibile per diminutionem, nec foret quantitas, quæ denominatur minor, neque relatis minoritatis; ac proinde cùm nihil aliud poſitiuum reperiri poſſit acquiſibile per diminutionem, inferendum eſt, illam non eſſe extremum poſitiuum, verùm duntaxat priuatiuum relationis realis, & per conſequens hanc non eſſe poſitiuam, ſed priuatiuam diſtinctionem realem.

Obijcitur primo contra primam concluſionem quia Ariſtoteles quinto Phyſicorum t. 18. motum propriè acceptum diuiſit in tria genera, iuxtà tria Prædicamenta, ad quæ poteſt fieri motus, nempè in motum

quę

qualitatem in communi reſpicientem, & vocauit illum, Alteratio: in motum ſecundũ quantitaté in cõmuni, & dixit illũ inominatum: & in motum ſecundum locum communem, & proprium, & illi indidit nomen commune, nempè latio. Motum autem ſecundum quantitatem ſubdiuiſit in duas ſpecies ſubalternas, quas vocauit: Augmentatio, & Diminutio: & aſſignando vnicuique proprium terminum, ſubdit: *Is quidem, qui eſt in perfectam magnitudinem, augmentatio: qui verò ex hac, diminutio.* Sed ſpecies huius generis poſitiui, debent eſſe omnes poſitiuæ, ergo augmentatio, & diminutio, cùm ſecundum Ariſtotelem contineantur, ſub motu ſecundum quantitatem in communi, & differant ſolum per quantitatem perfectam, ideſt maiorem, & ex hac, ideſt minorem, inferendum eſt, quod ſi augmentatio eſt motus poſitiuus, & diminutio etiam debet eſſe motus poſitiuus. Conſequentia tenet, quia poſitiuum, & priuatiuum non conueniunt in genere proximo, quinimò differunt pluſquam prædicamento.

Reſpondetur ab aliquibus diſtinguendo de diminutione, attenta in ratione motus, & conſiderata materialiter in eſſe rei, hoc eſt, formaliter, & materialiter. Si attendatur formaliter, dicunt eſſe poſitiuam, & conuenire cum augmentatione, veluti alteram ſpeciem, ſub eodem genere motus, & ſic de illa loquutus eſt Ariſtoteles in citato loco. Si verò attendatur materialiter, & in eſſe rei, cùm nihil influat in quantitatem maiorem, ſeù præexiſtentem, ſed potius dicat carentiam alicuius partis eiuſdem quantitatis, dicunt non conuenire in aliquo genere cum augmentatione, quinimò differre pluſquam prædicamento, ſicut priuatiuum, & poſitiuum, & ſolum reductiuè eſſe in Prædicamento ſui termini poſitiui, & de diminutione, hoc pacto conſiderata, non eſt locutus Ariſtoteles in quinto Phyſicorum loco nuperimè citato, ſed poteſt dici, de ea ſermonem habuiſſe in hoc primo lib. de Generatione, & Corruptione t. 31. vbi expreſſiùs oſtendit, augmentationem præferre quid poſitiuum, diminutionem verò quid priuatiuum, vt aliàs aduertimus nos ſupra in hac eadem quæſtione.

Verùm licet reſponſio poſſet ſuſtineri etiam in via Doctoris Subtilis, diſtinguentis realiter motum formaliter, ſumptum pro fluxu formæ, & in fieri, à forma in facto eſſe, ſeù conſiderata in eſſe rei, & in ratione termini, nihilominus in propoſito diſplicet propter duo, quæ non videntur cohærere diminutioni, quouis modo ſumatur. Primum, quia diminutio, nec in ratione motus formaliter, contineri poteſt, veluti ſpecies poſitiua ſub motu ad quantitatem, cum augmentatione; ſiquidem augmentatio in ratione motus formaliter, dicitur ſpecies poſitiua, duntaxat, quia tendit in terminum poſitiuum, à quo accipit eſſe ſpecificum, & poſitiuum, at diminutio, cùm non tendat formaliter in terminum poſitiuum, verùm in non eſſe illius, nempè in amiſſione partium quantitatis præexiſtentis, propterea, etiam formaliter attenta in ratione motus, non poterit eſſe ſpecies poſitiua motus, verùm duntaxat priuatiua. Secundum quod nullatenus placere poteſt in tali reſpõſione eſt, quod Ariſtoteles in quinto Phyſicorum t. 18. ſit locutus de diminutione formaliter, & in fieri, & hanc collocauerit ſub motu, tamquam ſpeciem ſimul cum augmentatione, quod eſt omninò falſum, vt patet ex illius contextu, in quo exemplificat de quantitate perfecta, & imperfecta, tanquam de terminis in facto eſſe, & non in fieri, augmentationis, & diminutionis. Præterquamquod addendum eſt, Philoſophum ibi locutum eſſe de motu augmentationis, & diminutionis, ſicut de cæteris; atque de illis pertractauit in ordine ad proprios terminos in eſſe rei, vt liquet in exemplis adductis, ergo & de his pariter eodem modo pertractare debuit.

Reſpondetur ergo breuiter ad argumentum, ſicut in ſimili reſpondimus ſuperius, de generatione, & corruptione, intenſione, & remiſſione, negando minorem vniuerſaliter, quia ſub eodem genere proximo contineri poſſunt ſpecies poſitiuæ, & priuatiuæ, vt patet de principio, quod eſt genus ad tria principia rerum naturalium, & nihilominus materia, & forma ſunt ſpecies poſitiuæ, & priuatio ſpecies priuatiua: ſimiliter mutatio eſt genus ad generationem, & corruptionem, & tamen vna eſt poſitiua, & alia priuatiua; igitur non eſt inconueniens quod ſub eodem genere motus ad quantitatem, augmentatio ſit ſpecies poſitiua, & diminutio ſit ſpecies priuatiua, vel

nega-

Digitized by Google

negatiua, ſiuè ſit ſermo de illis in ratione motus formaliter, ſiuè materialiter in ratione rei conſideratis.

Obijcitur ſecundò, quia ille motus eſt poſitiuus, cuius terminus ad quē eſt poſitiuus, ſed terminus ad quem diminutionis eſt poſitiuus, ſcilicet quantitas minor, ergo diminutio eſt motus poſitiuus. Minor probatur ex Ariſtotele 5. Phyſicorum t. 18. vbi diuidit quantitatem, quæ eſt terminus motus ad quantitatem, in perfectam, & imperfectam, prioremque aſſignat in terminum augmentationis, poſteriorem verò diminutionis.

Reſpondetur, diminutionem dupliciter attendi poſſe, nempe formaliter, & connotatiuè: ſi priori attendatur modo habet pro termino ad quem, amiſſionem partium quantitatis præexiſtentis, vt penitùs excludir quantitatem, quæ remanet: ſi autem attendatur poſteriori modo habet quidem pro termino amiſſionem quantitatis maioris præexiſtentis, verùm, vt illam connotat minorem in quantitate, quæ remanet: Ex hac diſtinctione formaliter ad argumentum, dicimus veram eſſe minorem, cum ſua probatione; de diminutione connotatiuè ſumpta non autem formaliter accepta, de qua nos loquimur, quia hæc, cùm habeat pro ſuo termino formali priuationem partium quantitatis, & non ipſam quantitatem minoratam, eſt motus priuatiuus, & non poſitiuus.

Contra, quia nulla eſſet differentia inter diminutionem quantitatis, & corruptionem eiuſdem, ſi ambæ formaliter dicunt amiſſionem, ſeù deperditionem, quod non eſt dicendum, cum ſint mutationes diuerſę.

Reſpondetur negando ſequelam maioris; nec probatio vrget, quia diminutio eſt deperditio alicuius partis quantitatis, corruptio verò, amiſsio, ſeù deperditio totius quantitatis in ſubiecto, ſicut per oppoſitum generatio eſt totius quantitatis acquiſitio, & augmentatio acquiſitio partis quantitatis aduenientis in ſubiecto, vt eſpreſsè docet Ariſtoteles in hoc primo libro de Generatione, & Corruptione t. 33. manet enim ſemper aliquid in diminutione, & augmentatione; totum verò, aut generatur, aut corrumpitur.

Obijcitur tertio contra ſecundam concluſionem, quę tendunt in extrema poſitiuè oppoſita, diſtinguuntur realiter poſitiuè, ſed augmentatio, & diminutio ſunt huiuſmodi, ergo diſtinguuntur realiter poſitiuè. Maior patet, quia ſicut oppoſita diſtinguuntur, & tendentiæ in illa pariter diſtinguuntur ergo ſi extrema poſitiuè oppoſita diſtinguuntur realiter, etiam quæ tendunt in illa debent realiter diſtingui poſitiuè. Minor probatur, quia augmentatio tendit in maximam quantitatem ſupra quam viuens nequit creſcere, & diminutio tendit in minimam quatitatem, ſub qua viuens non poteſt decreſcere, atqui maxima, & minima quantitas ſunt extrema poſitiuè oppoſita, quia viuens vltra illas nequit extendi, & talia extrema diſtinguuntur realiter, cum poſſint abinuicem ſeparari, ergo augmentatio, & diminutio tendunt in extrema poſitiuè oppoſita realiter diſtincta; ac proindè illę debent eſſe diſtinctæ realiter poſitiuè, & non priuatiuè.

Reſpondetur concedendo maiorem, & negando ſecundam partem minoris, ſi formaliter ſumatur diminutio, quia ſic non tendit in minimam quantitatem, verùm duntaxat in non eſſe maximæ, vel maioris quantitatis, cuius eſt priuatio, vnde non poteſt ſequi diſtinctio realis poſitiua formaliter, ſed tantum priuatiua. Si verò attendatur connotatiuè, ſeù concomitanter diminutio, conceditur totum argumentum, quia ſic augmentatio, & diminutio tendunt in oppoſita extrema poſitiua, ac proindè ſicut illa diſtinguuntur realiter poſitiuè, ita tales motus diſtingui debent realiter poſitiuè, & priuatiuè.

Obijcitur quarto quia per diminutionem, quantitas præhabita acquirit nouum modum eſſendi poſitiuum, formaliter diſtinctum ab eo, quem habebat prius, nempè modum totius completi, cum prius haberet tantum modum partis, ergo diminutio habet terminum, ſaltem formaliter diſtinctum à termino augmentationis, ſed motus diſtinguuntur ſpecie per diuerſos terminos formales, ergo augmentatio, & diminutio diſtinguuntur tanquam motus poſitiui ſpecie, & non diſtinctione priuatiua.

Reſpondetur, antecedens eſſe verum per accidens, non verò per ſe, quia ſic per diminutionem ſicut non acquiritur quantitas minor, nec nouus modus eſſendi quantitatis acquiri poteſt: per diminutionem namque

que

rque nihil poſitiuum formaliter acquiritur, cùm ſit motus deperditiuus; vndè ſi ad ipſam ſequatur nouus quidam modus eſſendi præexiſtentis quantitatis, hoc erit tantum per accidens, & velut quiddam impertinens ad diminutionem: per indè enim ſequeretur talis modus eſſendi in quantitate completus, ſicut ex diuiſione alicuius totius in partes, conſequeretur per accidens, quod vnaquæque illarum partium diceretur totum, & non amplius pars totius: quare non poteſt inferri diſtinctio poſitiua inter augmentationem, & diminutionem per ſe, verùm duntaxat per accidens, vt potè orta ex terminis per accidens, & non per ſe: ſiquidem ex iſtis concludi poteſt tantùm diſtinctio priuatiua, vel negatiua, vt optimè probatum eſt in concluſione.

Vtrum in augmentatione, & diminutione, corpus viuentis, eo, quo nutritur, & augetur tempore, permaneat idem numero?

QVÆSTIO III.

PRæſens quæſtio mouetur occaſione textus 33. & 35. in quibus Ariſtoteles, ponit inter cætera neceſſariò requiſita ad augmentationem, & diminutionem, quod ſubiectum, quod dicitur augeri, & diminui, idem numero manere debeat, inquit enim. *Oportet enim ſaluare ratione inexiſtentia ei, quod augetur, & diminuitur. Hec autem ſunt tria, quorum vnum quidem eſt, quācumque partem maiorem fieri eius, qua augetur magnitudinis, vt ſi caro, carnis: & adueniente aliquo: & tertium, vt ſaluetur, quod augetur, & permaneat.* Cæterùm, quoniam ferè ſemper viſum eſt difficile, quomodo idem per conuerſionem alimenti, aduenientis ab extrinſeco, augeatur, & per ſubtractionem diminuatur, acquirat, at deperdat aliquas partes, & nihilominus permaneat idem numero; propterea non defuerunt ingenia nonnullorum, qui ad hoc ſaluandum conati ſunt, varias afferentes rationes, fundatas in illa duplici conſideratione partium, ex quibus coaleſcit corpus viuentis, & ſecundum materiam, & ſecundum formam. Verùm quia circa intelligentiam illarum partium, tot ſunt ſententiæ, quot ſunt capita non eſt mirum, quod Doctores in varia abierint placita, nitentes ſaluare identitatem corporis viuentis cum augmentatione, & diminutione eiuſdem.

Vnde aliqui conſiderantes, identitatem corporis viuētis pendere potiſſimum à partibus ſecundum formam, licet coaleſcat etiam ex partibus ſecundum materiam, dicunt, poſſe permanere idem numero corpus viuens ſecundum partes formales, quāuis in nutritione variari contingat ſecundum partes materiales, aliquas augendo, & aliquas diminuendo, abſque acquiſitione, vel deperditione nouæ formæ, quæ in vnaquaque recipiatur pro informatione, cum per extenſionem, vel retrotractionem ſufficienter informentur ab antiqua; igitur cùm identitas numerica corporis præcipuè pendeat à forma, & hæc ſemper perſeuerat, concludunt ſemper manere idem numero corpus in auctione, & diminutione. Ita pro hac ſententia citantur à Marginiſtis Scoti in 4. d. 44. quæſt. 1. ſub A. Henricus quol. 2. quæſt. 9. & quol. 12. quæſt. 36. & à Ruuio Albertus Magnus de Nutrit. tract. 1. cap. 3. Philopponus, & Niphus hic capit. 5. Alber. de Saxonia ibidem quæſt. 12. Burleus tract. de Intenſione, & Remiſſione formarum capit. 3. quibus additur à Merinero hic diſp. 4. quæſt. 5. num. 3. etiam Durandus in 2. d. 30. quæſt. 4.

Alij verò, agnoſcentes in corpore viuente, ſaltem perfecto, duplices partes integrantes, quarum aliæ fluunt, & refluunt, tàm ſecundum materiam, quàm ſecundum formam per continuam actionem caloris naturalis; aliæ verò ſunt permanentes, quas neque calor naturalis conſumit, neque aliquid ab eis detrahit, ſed ſemper ſaluæ, & integræ manent vſque ad finem vitæ, propterea, licet concedant ambas nutriri, aſſerunt nihilominus permanere, in harum permanentia, integritatem numericam eandem corporis viuentis, quamuis aliæ per auctionem, & per diminutionem refluant, & fluant, ac interdùm vi caloris naturalis, agentis in humidum nutrimentale, conſumentur. Ita Magiſter ſent. in 2. d. 30. & Ricardus de Mediauilla ibidem, Albertus Magn. ſum. de Homine q. 1. de Potentia Generatiua art. 2. Aphrodiſæus, & Philopponus hic ad t. 35. cap. 5. & Niphus quæſt. 5. hanc, vt probabilem tuetur. Verùm in aſſignandis huiuſmodi partibus integrantibus,

Digitized by Google

bus, hi Doctores non conueniunt, nàm Aphrodiſæus, Albertus, Niphus, quibus additur Toletus, diſtinguũt huiuſmodi partes in ſpermaticas, ex ſemine primò productas, ex quibus coaleſcit tota ſubſtantia per generationem, & in nutrimentales, quæ per nutritionem producuntur, & prioribus adduntur. In his agnoſcunt variationem numericam in corpore viuentis: in illis verò conſiſtentiam, & identitatem: Philopponus verò, quem ſequuntur nonnulli ex Recentioribus, diſtinguit partes, tàm ſpermaticas, quàm nutrimentales, in duriores, cuiuſmodi ſunt oſſa, nerui, & cartilagines, & in molliores, vt carnes. A prioribus, quæ ſemper manent integræ, ſumunt identitatem ſubiecti augmentationis, & diminutionis: A poſterioribus autem nequaquam, quia cùm hæ, augeantur, & minuantur, variant ſtatum in ſubiecto; illæ verò, quia licet augeantur, non tamen minuuntur, indicant conſeruationem ſubiecti ſemper in eodem ſtatu, ac permanentia.

Alij concedentes omnes partes, tùm partes formales, tùm partes materiales, per nutritionem augeri, & minui indiuidualiter, & per conſequens viuens in augmentatione, & diminutione mutari numeraliter, & ſolùm manere idem numero per æquiualentiam, eo pacto, quo locus dicitur immobilis, licet ſuperficiei partes ſucceſſiuè mutentur, & fluuius dicitur æquiualenter manere idem, quamuis partes aquæ decurrentis, fluant continuè, & labantur in præceps. Ita Moriſanus hic diſp. 3. dub. 5. Io. à Sancto Thoma quæſt. 8. art. vltimo, quibus addi poſſunt Faber ex noſtris Theorem. 40. cap. 4. Hurtado in Phyſic. diſp. 6. ſect. 5. & nonnulli ex Recentioribus, quos ſine nomine adducit, & irridet Roccus hic quæſt. 2. addens, hunc dicendi modum eſſe eundem, quem proponunt de identitate ſpecifica alij, aſſerentes, viuens in augmentatione, & diminutione manere idem ſub ratione formæ ſpecificæ, licet varietur ſecundum partes numeraliter, ſeù indiuidualiter, pro quo à Serbellono citatur Scotus, tamen ſine notatione loci, de Ortu, & Interitu diſput. 2. quæſt. 2 de Nutrit. art. 4. §. 40. & 41. quod an ſit verum, vel falſum dicemus inferius.

Alij verò ſaluant identitatem numericam in viuente poſt augmentationem, quia in ſingulis nutritionibus, & augmentationibus minima pars eſt alimenti, quæ additur præexiſtenti, adeò vt completa augmentatione, ad quam pertingere poteſt viuens, non poteſt dici mutatum poſt ſingulas augmentationes. Ita Areſius relatus ab eodem Serbellono loco cit. §. 43.

Quid autem ſit dicendum nobis de mente Scoti, non eſt ita clarum, cùm Doctor videatur poſſe adduci pro nonnullis, ex ſupra relatis dicendi modis; tamen nè videamur deflectere ab eis, quas de Nutritione ſequuti ſumus, opinionibus, quibuſdam notatis noſtram, & Scoti ſententiam, pro viribus patefaciemus in concluſionibus infra ponendis.

Primò igitur notandum eſt ex Doctore Subtili in 4. d. 44. quæſt. 1. ſub G. & H. quod ad explicandum t. 35. Ariſtotelis huius primi libri de Gener. & Corrupt. vbi inquit, in nutritione quidem augeri carnem ſecundum formam, non autem ſecundum materiam, oportet ſcire, quod corpus viuens integratur ex partibus ſecundum formam, & ſecundum materiam, compoſitis ex materia, & forma propria, ſiquidem ambæ ſunt ſubſtantiæ corporeæ ex quibus coaleſcit totum corpus integrale. Nomine autem partium ſecundum formam, ſiuè ſecundum ſpeciem, intelligi partes determinatæ quantitatis, & virtutis aptas ad conuertendum alimentum in ſui ſubſtantiam; nomine verò partium ſecundum materiam venire partes imperfectæ quantitatis, ac virtutis, ineptas ad conuertendum nutrimentum in ſui ſubſtantiam. Vtræque tamen poſſunt dici tales, vel ſecundum eſſe, vel ſecundum agere, quandoquidem cuilibet formæ conuenit dare eſſe, & agere: Si priori modo attendantur, illæ dicuntur partes ſecundum ſpeciem, ſeù formam, quæ dùm manent in toto integrali, conſtant ex materia, & forma carnis, & dant illi eſſe. Si verò poſteriori ſpectentur modo, illæ dicuntur partes ſecundum ſpeciem, vel formam, quæ habent virtutem ita efficacem, & operationem ſic determinatam, vt poſſint conuertere aliquid de alimento in ſui ſubſtantiam, illudque ſibi aggenerare. Et per oppoſitum illæ dicuntur partes ſecundum materiam priori modo, quæ prius erant in toto, & poſtea non ſunt, carentque forma carnis: poſteriori autem modo illæ dicuntur partes ſecundum materiam,

quæ

quæ exiſtentes in toto, ſunt tàm exiguæ quantitatis, ac virtutis, vt eis nequeat competere aliqua actio ſibi propria, & diſtincta ab actione totius. Ex his infertur, quod non quælibet pars ſecundum ſpeciem, vel formam priori modo accepta, manet ſemper in toto, & augetur, ſed tantum ſecundo modo: ſimiliter nec quælibet pars ſecundum materiam fluit, ac refluit, vt dicebat prima opinio, ſed ſolùm illa, quæ prius erat in toto, & amplius non eſt informata forma carnis. Infertur ſecundo quod non ſolùm partes ſpermaticæ, & duriores, verum etiam aliquæ nutrimentales, & molliores poſſunt dici partes ſecundum ſpeciem ſeu formam, cùm, & illæ habeant determinatam quantitatem, & virtutem efficacem, vt poſſint conuertere aliquid de alimento in ſubſtantiam ſui, & habere permanentiam in toto loco partium fluxarum, ſicut & illæ, quæ dicuntur primigeneæ, ſpermaticæ, & ſeminales, & quæ habent talem duritiem, vt valeant reſiſtere fluxui, & corruptioni, vt dicebant Doctores relati in ſecunda opinione. Infertur tertio quod cùm in partibus ſecundum ſpeciem, vel formam, conſeruetur identitas permanentiæ corporis viuentis, & ſolùm fluat penes partes ſecundum materiam, vt dicit Ariſtoteles, poſſe idem viuens numero augeri, & diminui, & nihilominus permanere in ſua identitate numerica toto tempore vitæ ſuæ.

Secundo. Notandum ex eodem ibidem ſub K. & L. partes nutriendas dupliciter nutriri poſſe, vel per aggenerationem partis nouæ, loco partis antiquæ, virtute partis præcedentis factam; & ſic augentur, vt dumtaxat nutriuntur, tantum partes ſecundum ſpeciem vel per quandam iuxta poſitionem partis nouæ parti antiquæ, virtute totius genitæ, & præcedenti additæ, vt ſit verum dicere, quod docet Ariſtoteles in t. 32. & 35. vt vnaquæque pars aucti ſit aucta, vel per nutritionem, vt contingit in partibus viuentis ſecundum ſpeciem, vel per iuxta poſitionem, vt accidit in illis, quæ ſecundum materiam vocantur. Ex quibus inferendum eſt, quàm perperàm dixerint illi, qui putauerint partes materiales eſſe in viuente, & ſpectare ad veritatem eius naturæ, & nihilominus non nutriri, neque augeri, quandoquidem hoc non docuit Philoſophus, abſolutè in illo t. 35. quinimò oppoſitum adſtruit, cùm dixit, partes diſſimilares, ſeu ætherogeneas augeri ad auctionem partium conſimilium, ſiuè homogenearum; igitur dicendum eſt, quod quando in eodem textu concluſerit, partes ſecundum formam augeri poſſe, non verò ſecundum materiam, intellexerit de vera auctione, quæ fit per ſolam nutritionem virtute propria, non tamen de illa, quæ accidit per iuxta poſitionem virtute totius viuentis, alioquin contradiceret ſibi, ac experientiæ, qua videmus carnem, & huiuſmodi partes molliores augeri, & per eas maiorari etiam duriores, cuiuſmodi ſunt oſſa, nerui, & cartilagines; quis enim neget puerorum oſſa, neruos, & cartilagines minime maiorari, cum ad prouectiorem peruenerint ætatem? Nemo certè, qui ſanæ mentis fuerit, hoc negare contendent. Concludendum igitur omnes partes viuentis augeri, & diminui poſſe ac proinde non ſaluari identitatem numericam, poſt auctionem, & diminutionem, viuentis, ob permanentiam quarundem partium, etiam omnes ſubdantur fluxui, & refluxui, licet inæqualiter ſecundum maius, & minus.

Tertio. Notandum eſt ex dictis à nobis in ſecundo de Anima Diſp. 3. q. 3. & ex Marſilio hic q. 12. & colligitur ex Doctore Subtili in 4. d. 44. q. 1. art. 2. per totum, aliquid manere poſſe idem numero tripliciter contingit. Primò propriè pro eo nimirum, quod in toto decurſu vitæ ſuæ aut nihil amiſerit, aut nihil acceperit, præter ea, quæ habuit ſuæ periodi initio, quo pacto Cœlum dicitur vnum numero ſemper manere, cum penitùs inuariatum perſeueret. Secundo modo minus propriè, quod nihil amiſerit, aut nihil acceperit de eius forma principali, vt eſt homo, in quo perſeuerat ſemper inuariata anima rationalis, quæ eſt eius forma vltimata. Tertio modo large pro eo, quod licet in toto ſuæ vitæ curriculo, aliquid amiſerit, vel aliquid acceperit, tùm materiæ, tùm formæ, nihilominus eius partes, quæ ſpectant ad veritatem ſuæ naturæ, per nutritionem reſtauratæ, retinent ſemper eundem ordinem, & ſitum, ac ſi priores non amiſiſſet, & ſic omnia viuentia, & animata poſſunt dici

Digitized by Google

manere ſemper eadem numero, quàmuis per auctionem aliquid acquiſiuerint, & per diminutionem aliquid amiſerint. Ad propoſitum quando Ariſtoteles dicit in t. 33. quod in augmentatione, & diminutione oportet ſaluare identitatem, & permanentiam eiuſdem ſubiecti viuentis, intelligendus eſt de identitate numerali hoc tertio modo ſumpta, quia ſic optime ſaluatur in partibus ſecundum ſpeciem, ſeu formam, vt ipſe fatetur ibidem in t. 35. & 37. iuxtà expoſitionem Doctoris Subtilis in 4. d. 44. q. 1. art. 1. concluſione 4. per totam, & art. 2. pariter totum.

Ex his ſit prima concluſio. In augmentatione, & diminutione non poteſt dici, manere idem numero corpus viuens, quia perſeuerat eadem numero forma, quæ tribuit illi eſſe corporis, carnis, & oſſis, licet deperdatur per diminutionem, & acquiratur per augmentationem aliqua pars materiæ. Eſt Doctoris Subtilis in 4. d. 44. q. 1. B. C. D. contra Henricum, & alios Doctores relatos in prima opinione. Probatur, quia in nutritione alicuius viuentis non tantum acquiritur, & deperditur aliqua pars materiæ, verum etiam aliqua pars formæ corporis, carnis, & oſſis &c. ergo corpus viuentis nequit manere idem numero poſt augmentationem, & diminutionem ob permanentiam inuariatam eiuſdem formæ. Conſequentia tenet ex fundamento Aduerſariorum. Antecedens probatur, quia accipiatur illa pars materiæ, de nouo acquiſita per nutritionem in toto corpore viuentis, & requiratur an ſit informata aliqua forma noua, vel antiqua, vel nulla, ſed non eſt dicendum, nulla, quia, naturaliter loquendo nulla datur materia abſque aliqua forma nec antiqua, quia cùm extendatur peraccidens ſolum ad extenſionem materiæ, non poſſet extendi ad informandum nouam partem materiæ niſi relinquendo priorem, & migrando ad poſteriorem, quod eſt impoſſibile. Vel ſi admittatur hoc poſſe fieri, igitur vna, & eadem forma numero informaret duas materias, quarum quælibet eſſet ſibi adæquata, ſimul, & ſemel, quod, virtute naturali ſaltem, fieri nequit, quicquid ſit de ſupernaturali; Vel dicendum eſſet, quod talis forma non eſſet educta prius de potentia materiæ, cùm ab ea nequaquam dependeret in fieri, & conſeruari, quod pariter eſſet valdè abſurdum in Philoſophia Ariſtotelis, ergo relinquitur, vt dicamus illam nouam partem materiæ per nutritionem acquiſitam in toto, eſſe nouam, & ſimul genitam cum illa parte materiæ, quod eſt propoſitum à nobis intentum; ac proindè formam non permanere inuariatam vnam numero, vt poſſet tribuere in augmentatione, ac diminutione vnitatem numericam inuariatam corpori viuenti.

Secunda Concluſio. Neque ſaluare poſſunt huiuſmodi identitatem numericam corporis viuentis poſt nutritionem, augmentationem, & diminutionem, illi, qui concedunt nonnullas partes, quas vocant permanentes in corpore viuentis, non ſubditas actioni caloris naturalis; ſiue tales ſint primigeneæ, ſeù ſpermaticæ, ſiuè duriores, & non molliores. Eſt Scoti loco citato §. Circa iſtam quæſtionem &c. contra Doctores relatos in ſecunda opinione. Probatur, quia omnes partes corporis viuentis, (excepta anima rationali) ſunt corruptibiles, & ſubiectæ actioni caloris naturalis, quamuis aliquæ magis, & aliquæ minus, in quibus eſt maior, & minor reſiſtentia ad corruptionem, vt patet de carne, & oſſibus, in quibus oſſa magis reſiſtunt corrumpenti, ob eorum duritiem, quàm ſit caro, quæ eſt mollior, ergo nequit dici aliquas eſſe ſimpliciter incorruptibiles, & permanentes, a quibus haberi poſſit identitas integralis corporis viuentis. Antecedens probatur, tùm quia omnes ſunt compoſitæ ex materia, & forma: tùm etiam; quia omnes creſcunt, & decreſcunt vt experientia comprobari poteſt: tùm denique quia Ariſtoteles in t. 31. docet, omnes partes eius, quod augetur, auctioni, & decretioni ſubiectas eſſe. Inquit enim. *Videtur itaque eius, quod augetur, quæcumque pars aucta eſſe: Similiter autem in diminutione, minor generata eſſe*, ergo licet duriores ſint minus alterabiles, quàm molliores, nihilominus omnes ſunt ſubiectæ actioni caloris naturalis, & conſequenter nullæ permanentes exiſtunt

Digitized by Google

ſtunt in corpore viuentis, adeo vt poſſint illi dare, poſt augmentationem, & diminutionem, permanentiam, quam exigit Ariſtoteles in t. 35. Confirmatur, data enim poſitione Aduerſariorum, ſequeretur poſſe dari in homine, vel bruto aliquas partes integrales ſimpliciter incorruptibiles per totius vitæ curriculum eorundem, à quibus deſumenda foret identitas eius numerica in augmentatione, & diminutione, ſed hoc eſſet maximum abſurdum, ergo nequeunt concludere huiuſmodi identitatem ex earundem partium permanentia in variata, ſiuè tales ſint primigeneæ, ſiuè nutrimentales, & præcipuæ. Sequela maioris patet, quia ſolùm incorruptibile poteſt eſſe cauſa permanentiæ numericæ inuariatæ, cum ipſum duntaxat poſſit tribuere eſſe inuariatum in effectu. Minor probatur, tùm quia illæ partes deberent eſſe alterius ſpeciei à partibus corruptibilibus eiuſdem viuentis, quod dici nequit, loquendo de toto viuente corruptibili; tùm etiam, quia quotidie experimur totum corpus viuentis alterari, deſtrui, redigique in nihilum ſecundum omnes partes integrales, tàm homogeneas, quàm ætherogeneas; igitur nullæ admitti poſſunt partes in viuente, quæ forent penitùs incorruptibiles, ac proinde, quæ poſſent ei tribuere identitatem inuariatam numericam poſt augmentationem, & diminutionem.

Tertia Concluſio. Probabile eſt, corpus viuens, poſt augmentationem, & diminutionem partium integralium, ſucceſſiuè acquiſitarum, & deperditarum, manere idem numero per æquiualentiam, eo modo, quo fluuius, & locus dicuntur ſemper idem numero, quàmuis aquæ ſemper ſucceſſiuè labantur circa aliquod fixum, & ſuperficies loci ſint in continuo fluxu circa locatum. Eſt Doctorum, quos retulimus in tertia ſententia, contra Roccum citatum in eadem opinione, Maſtrium hic Diſp. 8. q. 7. num. 96. & in Appendice contra Poncium, ac contra Serbelionum de Ortu, & Interitu Diſp. 2. q. 2. art. 4. §. 40. & 41. Neque ab hac ſententia videtur aberrare Scotus, dum in ſimili de loco, ſuſtinet locum eſſe immobilem, & vnum numero per æquiualentiam, quamuis multę ſuperficies ſuccedant circa idem locatum; & plures aquæ decurrẽtes per eundem fluuiũ, quamuis ſint realiter diſtinctæ numero, tamen per æquiualentiam cenſentur vna aqua numero, cùm inter vnam, & alteram ſibi ſuccedentem, non poſſit fieri motus localis, vt docet in ſecundo d. 2. q. 6. ſub E. & F. & nos ex ipſo in 4. Phyſicorum Diſp. 1. q. 2. igitur cum partes per nutritionem, & augmentationem aduenientes ſuccedant immediatè deperditis per diminutionem, retinentes eundem ſitum, & figuram in poris viuentis ſecundum eundem Doctorẽ Subtilem in 4. d. 44. q. 1. ſub K, & L. dicendum eſt, illas per æquiualentiam eſſe vnam numero, & eandem vnitatem tribuere etiam corpori viuenti, quod per eaſdem augetur. Probatur ex intentione opinantium, nàm eodem pacto id, quod augetur dicitur manere idem poſt augmentationem partium per nutritionem acquiſitarum, quo manet idem locus poſt ſucceſſionem ſuperficierum diuerſarum circa idem locatum, aut idem fluuius poſt decurſum diuerſarum aquarum circa idem lignum, quod alluunt, ſed non obſtante diuerſitate numerali ſuperficierum, & aquarum, tàm locus, quàm fluuius manent idem numero per ęquiualentiam, ergo etiam id, quod augetur, poſt varias augmentationes numerales, poteſt dici manere idem numero per æquiualentiam. Maior ſuadetur ex eodem Ariſtotele, tùm quia in 4. Phyſicorum t. 13. aſsimilatur locus auctioni, & id, quod locatur, ei quod augmentatur: tùm etiam, quia hic t. 36. videtur aſsimilare permanentiam eius, quod augetur per varias augmentationes vaſi, quo menſuratur diuerſitas aquæ, modo nemo ignorat locum menſuram eſſe locatorum, ergo permanentia aucti perindè ſe habere poteſt, ac permanentia locati, & loci. Minor probatur ex eodem Ariſtotele in 4. Phyſicorum t. 41. vbi inquit: *Quapropter, cum in eo, quod mouetur, quippiam moueatur, mutetur qua id, quod intus eſt vt in flumina nauis, vt vaſa magis, quam loco vtitur continente. Vult autem immobilis eſſe locus quocirca totus magis fluuius locus eſt, quia immobilis totus eſt.* Atqui nec locus poſt diuerſitatem numeralem ſuperficierum ſuccedentium circa locatum idem, nec fluuius poſt decurſum diuerſarum aquarum circa idem ſignum, poteſt dici immobilis formaliter, ſed ſolũ per ęqui-

Digitized by Google

ualentiam, vt explicat Scotus loco citato, & nos cum ipſo in 4. Phyſicorum diſput. 1. q. 2. ergo idem dicendum eſt de permanentia numerali, poſt diuerſas augmentationes numero diſtinctas, eius, quod per illas fuerit auctum. Secundo probatur, quia permanentia illius, quod augetur aſſimilatur vaſi, quo menſuratur diuerſitas aquarum, quarum vna ſuccedit alteri, ſed talis permanentia, nequit eſſe per identitatem numeralem partium aquæ, verum per ſolam æquiualentiam vnius ad alteram, ergo &c. Maior, & minor confirmatur ex diſcurſu, quem facit in t. 36. vbi inquit: *oportet enim intelligere, quemadmodum ſi quis menſurabit eadem menſura aquam: ſemper enim alia, & alia, quæ generatur: ſic vtique augmentatur materia carnis, & non cuiuſque partium aliquid adijcitur, ſed hoc quidem defluit, hoc autem aduenit: figuræ autem, & formæ cuicumque particulæ.* Hoc eſt dictu: quemadmodum menſura vaſis, qua aliam, & aliam portionem aquæ metimur, eadem perſeuerat, nihil eam variante aquæ ſuccedentis diuerſitate, ſic perſeuerat eadem permanentia ſubiecti, quamuis adueniat diuerſitas partium formalium per augmentationem ipſi ſubiecto; atqui certum eſt non poſſe illas permanere in ſubiecto per identitatem numeralem formaliter, igitur ſic erunt per æquiualentiam vnius ad aliam.

Quarta Concluſio. Neque ſaluari poteſt identitas numerica in viuente, dicendo, quod in ſingulis nutritionibus, & augmentationibus, ſit minima pars alimenti, quæ additur, reſpectu totius entitatis, cui additur, adeoquod viuens nequit dici mutatum poſt ſingulas augmentationes toto decurſu vitæ ſuæ. Eſt contra Areſium apud Serbellonum loco citato §. 43. Merinerum hic diſp. 4. quæſt. 5. num. 19. & nonnullos alios Recentiores. Probatur, quia ſicut per ſingulas nutritiones acquiritur aliqua particula ſubſtantiæ, quæ additur ſubſtantiæ totius viuentis præexiſtenti, ita per ſingulas augmentationes acquiritur aliqua particula quantitatis addita præexiſtenti quantitati totius viuentis, ergo ſicut quælibet particula ſubſtantiæ, addita ſubſtantiæ totius facit mutationem in tota ſubſtantia viuentis, ita quælibet quantitatis particula, addita quantitati totius debet facere mutationem in toto corpore viuentis. Antecedens patet, quia nutritio eſt acquiſitio ſubſtantiæ in viuente per conuerſionem alimenti in ſubſtantiam aliti, & augmentatio eſt acquiſitio quantitatis viuentis, vi potentiæ nutritiuæ, vt ſuperius diximus, ergo quicquid competit nutritioni, & augmentationi in communi debet competere ſingulis nutritionibus, & augmentationibus in particulari. Conſequentia tenet in ambabus, nam mutari eſt rem aliter ſe habere nunc, quàm prius ex Ariſtotele 6. Phyſicorum t. 32. & 73. hoc autem accidit, cùm ſubiectum recipit in ſe aliquam formam, quam prius non habebat, igitur ſi viuens per nutritionem recipit aliquam partem ſubſtantiæ, & per augmentationem aliquam partem quantitatis, quam prius non habebat, vtcumque ſit illa particula, diceretur mutari, ac proinde poſt nutritiones, & augmentationes ſingulas non poteſt dici manere idem numero, verùm eſſe mutatum ſæpius, idem corpus viuentis, quicquid in contrarium attentent Aduerſarij.

Quinta Concluſio. *Identitas numerica*, quam exigit Ariſtoteles in ſubiecto viuente, poſt augmentationem, & diminutionem, non ſumitur ità preſsè, vt nihil acceperit, vel dimiſerit toto vitæ ſuæ decurſu; aut quod nihil amiſerit, vel quicquam acceperit de eius forma principali; verùm duntaxat, quod quamuis aliquid amiſerit, ſiuè de materia, ſiuè de forma, tantundem ſemper reſtauratum acceperit in eodem loco, & ſitu, per partes ſecundum ſpeciem, ſeù formam, non autem ſecundum materiam. Eſt Scoti in 4. d. 44. quæſt. 1. per totam. Probatur prima pars quia Ariſtoteles in t. 33. ſupponit, id, quod permanere debet idem numero, augeri poſſe per nutritionem, & augmentationem, & diminui per diminutionem, vt patet legenti literam eiuſdem, ergo identitas numerica, quam prætendit, non excludit omnem acquiſitionem, aut diminutionem partium in eo, quod permanere debet poſt augmentationem, vel diminutionem. Secunda pars remanet probata in prima concluſione. Tertia pars probatur, quia permanentia identitatis numericæ, quam exigit Ariſtoteles in eo, quod augetur, vel diminuitur, pendet ex permanentia partium ſecundum formam, vel ſpeciem, ex eodem in t. 35. ſed

huiuſ-

Digitized by Google

huiuſmodi partes ſecundum formam ſemper perſeuerant eædem in eodem, quod augetur, dum viuit, ergo dùm viuit, & augetur, manet idem numero in augmentatione, & diminutione. Maior patet ex eodem t. 35. vbi inquit: *Quamcumque igitur partem augmentari, & aliquo adueniente ſecundum formam quidem eſt poſſibile, ſecundum materiam autem non*. Idem confirmat in t. 37. vbi ſubdit. *Quapropter eſt quidem, vt quacumque pars carnis, aucta ſit, eſt autem vt non. Secundum formam enim cuicumque acceſſit, ſecundum materiam non*. Minor probatur, quia id, quod augetur, quoad viuit ſemper nutritur, licet non ſemper augeatur, vt oſtendimus in 2. de Anima diſp. 3. quæſt. 5. ſed non poſſet ſemper nutriri, ſi non aduenirent ei partes ſecundum formam, ergo iſtæ ſemper manere debent in eo, quod augetur. Minor probatur, quia partes ſecundum formam ſunt illæ, quæ habent determinatam quantitatem in toto, & virtutem, ac efficaciam in toto viuente, vt poſſint conuertere per nutritionem aliquam particulam alimenti in ſui ſubſtantiam, & illam addere toti viuenti, vt adnotauimus primo ex Doctore Subtili in 4. d. 44. quæſt. 1. art. 1. concl. 4. ergo partes ſecundum formam manere debent ſemper in eo, quod augetur, ac proinde ab eiſdem debet ſumere identitatem numericam poſt augmentationem, & diminutionem ſecundum Ariſtotelem, & Doctorem Subtilem.

Sexta Concluſio. In rigore tamen loquendo, ſuſtineri nequit, viuens manere idem numero, poſt augmentationem, toto tempore vitæ ſuæ, etiam de mente Ariſtotelis. Colligitur ex Doctore Subtili in 4. ſæpius citato d. 44. quæſt. 1. quem ſecutus eſt Serbellonus citatus §. 47. & eſt contra Roccum hic quæſt. 20. & Maſtrium diſp. 8. quæſt. 7. num. 94. cùm doceant ibidem, viuens manere idem abſolute toto tempore vitæ ſuæ. Probatur prima pars, quia maior eſt entitas viuentis poſt totam augmentationem, vel etiam poſt decurſum aliquem continuæ augmentationis, quàm fuerit in prima ſui productione, vt experientia quotidie comprobari poteſt in hominibus, & brutis, & plantis, ſiquidem ex bipalmari, fiunt ſeptem palmares, nouem, & decem, homines, & iumenta, plantæ verò creſcunt in maiorem longitudinem, & latitudinem, quam habuerint à principio ortus ſui è terra, ergo poſt augmentationem, vel totalem, ad quam debebant pertingere, vel partialem ſecundum aliquem decurſum, nequeunt dici idem numero, ſecundum partes integrales. Conſequentia patet, quia mutata quantitate, & entitas ſubſtantialis mutari contingit, cum educatur de illius potentia, igitur ſi de minori, maior fit quantitas per augmentationem, maior, è minori euadere debet eius entitas ſubſtantialis per nutritionem, aggenerando viuentibus plures partes numero diſtinctas, quam prius habebant, ac proinde ſimpliciter dici nequit, viuentia manere eadem numero, poſt augmentationem, toto tempore vitæ ſuæ. Secunda pars oſtenditur ex eodem Ariſtotele, quia in tantùm dicitur manere idem numero viuens, poſt augmentationem, in quantum cenſentur manere ſemper eædem partes ſecundum formam ex t. 35. atqui in rigore, ſecundum ipſum non ſemper manent eædem partes numero, verùm aliquæ defluunt, & præexiſtentibus in eiſdem locis, in quibus fiunt nutritiones, ſuccedunt aliæ diſtinctæ numero, ergo non ſemper manent eædem numero. Minor probatur, quia in tex. 36. tradens modum augmentationis ſecundum partes formales, inquit, *ſic vtique augmentatur materia carnis, & non cuiuſque partium aliquid adijcitur, ſed hoc quidem defluit, hoc autem aduenit, figuræ autem, & formæ, cuiucumque particula*. Neque valet dicere, cùm inquit, *hoc quidem defluit*, intelligere partes ſecundum materiam, & *hoc autem aduenit*: exprimere voluiſſe partes ſecundum formam; tùm quia ibidem loquitur de partibus, ſecundum quas fit augmentatio materiæ carnis, quæ nón ſunt ſecundum materiam, ſed duntaxat ſecundum formam vocatæ, vt prædixerat in præcedentis textus expreſſione: tùm etiam, quia exemplificat de alia, & alia aqua, quæ menſuratur vaſe per ingreſſum, & egreſſum ab eo, & ſunt eiuſdem rationis, ergo loquitur de partibus eiuſdem rationis, & ſecundum formam, quarum aliquæ, cum defluant, & aliquæ in augmentatione adueniant augmentato, inferendum eſt, non

permanere ſemper in eadem identitate, & per conſequens nec illam poſſe tribuere in rigore ei, quod per illas augetur, quiequid dicant alij ſuperius relati.

Objiciuntur tamen multa contra iam poſitas concluſiones, & primo contra primam ex Ariſtotele in t. 36. & 37. vbi affirmans, carnem ſecundum formam augeri, non verò ſecundum materiam, aſſignat rationem diſparitatis, quia caro ſecundum formam manet, & ſecundum materiam fluit, & refluit, ergo ſecundum ipſum habetur, quod identitas numeralis in aucto, poſt nutritionem, & augmentationem, deſumenda ſit à forma, cuius partes ſemper manent, non verò à materia, cùm illius partes fluant, & refluant.

Reſpondetur negando conſequentiam; nec auctoritas Ariſtotelis allata iuuat quicquam, quia nomine partium ſecundum materiam, & formam, non intelliguntur partes materiæ, & partes formæ, verùm, vt exponit Scotus in 4. d. 44. quæſt. 1. art. 1. ſub I. nomine partium ſecundum materiam, intelliguntur carnis partes, compoſitæ ex materia, & forma, ineptæ tamen ad conuertendam aliquam particulam alimenti in ſui ſubſtantiam, & has dicit Ariſtoteles fluere: nomine autem partium ſecundum formam, quia formæ eſt dare eſſe, & agere, intelligit Philoſophus partes carnis compoſitas ex materia, & forma, tantæ quantitatis virtutis, & efficaciæ in operando, vt ſingula valeat conuertere aliquam particulam alimenti in ſui ſubſtantiam, & has dicit augeri, & non fluere, ſed manere in toto, & ei præbere permanentiam, etiam poſt augmentationem, non autem partes formæ, quæ ſit altera pars compoſiti eſſentialis, vt ſupponunt Aduerſarij noſtri.

Objicitur ſecundo contra ſecundam concluſionem ſi per partes ſpermaticas, aut nutrimentales duriores, non poſſit ſaluari identitas ſubiecti viuentis in augmentatione, & diminutione, per nullas certe ſaluari poterit, ſed hoc eſt contra Ariſtotelem hic in t. 35. vbi aſſerit ſaluari per partium ſecundum formam augmentationem, ergo &c. Sequela maioris patet ex Doctore Subtili loco nuperrime citato ſub impugnatione Magiſtri Sent. vbi arguens contra ipſum, dicit nullam partem corporis eſſe ſimpliciter incorruptibilem, & manere in corpore, ergo, cùm omnes partes corporis fluant, per nullas poterit ſaluari illa identitas ſubiecti viuentis in augmentatione, quam Ariſtoteles ſupponit.

Reſpondetur negando ſequelam maioris, quinimò ſaluatur per partes ſecundum formam, ſiue ſint ſpermaticæ, ſiuè nutrimentales, ſiue duriores, ſiue molliores exiſtant, dummodo ſint tantæ quantitatis, virtutis, & operationis, vt valeant conuertere aliquam particulam alimenti in ſui ſubſtantiam. Ad probationem deſumptam ex Scoto, dicimus non iuuare contra concluſionem, verum dumtaxat contra Magiſtrum, qui putabat dari in corpore viuentis aliquas partes ſemper permanentes, ſiquidem eſto dentur omnes partes, quæ non ſint ſimpliciter incorruptibiles non propterea tollitur permanentia in aliquibus, per quas poſſit ſaluari identitas permanentiæ in eo, quod augetur, vt oſtendimus in probatione concluſionis quintæ, & in reſponſione ad præcedentem obiectionem.

Objicitur tertiò contra tertiam concluſionem, quia vnitas per æquiualentiam non eſt propriè vnitas numeralis, cum contineat plures partes, ſucceſſiuè acquiſitas, numero diuerſas, ac diſtinctas; vel eſt tantum vnitas in æſtimatione morali, ergo talis nequit tribuere vnitatem numeralem phyſicam, quam exigit Ariſtoteles in eo, quod augetur poſt augmentationem. Antecedens probatur ſimul cum conſequentia, quia vnitas numeralis, quam requirit Ariſtoteles in eo, quod augetur, debet eſſe talis vt valeat diſtinguere auctum à generato, & nutritionem, ac augmentationem à generatione ex Ariſtotele hic t. 33. at vnitas per æquiualentiam non ſufficit ad faciendam hanc diſtinctionem, quinimò cum coaleſcat ex partibus numero diſtinctis, ac diuerſis, oſtendit nutritionem, & augmentationem eſſe generationem, & aucta eſſe genita, ergo talis vnitas non eſt vnitas, & non eſt propria vnitas numeralis, quam exigit Ariſtoteles in eo, quod augetur, vt permaneat idem poſt augmentationem.

Reſpondetur negando antecedens, loquen-

quendo de vnitate numerali, quam exigit Ariſtoteles in eo, quod augetur poſt augmentationem, vel diminuitur poſt diminutionem; ſiquidem vnitas huiuſmodi eſt vnitas totius ſincathegorematici; coaleſcens ex aggregatione partium in toto per augmentationem ſubſtantialem, ſucceſſiue acquiſitarum, vt docet Ariſtoteles hic t.31.32. 35. & 41. quæ cùm mutuò adueniant, & recedant, per augmentationem, & diminutionem, dicuntur tamen ſemper manere eædem in toto per æquiualentiam vnius ad aliam, qua de cauſa, & totum ſincathegorematicum cenſetur ſemper manere idem numero, & nunquam perire. Ad probationem, conceſſa maiori, neganda eſt minor, quinimò apparet optima diſtinctio inter auctionem, & generationem, & inter auctum, & generatum, ponendo vnitatem æquiualentiæ in partibus, quæ ſucceſſiue acquiruntur in toto; quandoquidem generatio eſt mutatio totius cathegorematici in quoddam aliud totum cathegorematicum, nullo ſenſibili manente eodem, auctio verò eſt mutatio totius ſincathegorematici cum deperditione vnius partis, & eiuſdem reſtauratione per acquiſitionem alterius in eodem loco, & ſitu. Deinde generatio terminatur, ad totum per ſe exiſtens, augmentatio verò per æquiualentiam ad partem aggeneratam in toto. Denique in generatione vnum totaliter amittitur, & aliud totaliter acquiritur, in augmentatione verò vna tantum pars de toto amittitur, & alia io eodem acquiritur. Ex quibus manifeſte liquet, non ſolum diſtinctio inter totum per æquiualentiam, & generatum, inter augmentationem, & generationem, illo admiſſo, verùm etiam permanentia aucti poſt augmentationem, & diminutionem in identitate numerica, licet non ſimpliciter, ſed quam exigit Philoſophus, quod ſatis eſſe debet ad tuendam noſtram concluſionem contra Aduerſarios.

Nec valet addere cum Maſtrio, Poncio, Rocco & alijs, hanc vnitatem per æquiualentiam, eſſe tantum moralem, & in æſtimatione hominum, non verò phyſicam, alioquin conarentur concedere, immobilitatem, quam tribuit loco Ariſtoteles, vt differentiam eſſentialem, eſſe tantum moralem, & non phyſicam, & conſequenter locum eſſe quid morale, & non phyſicum, quod nemo facile dixerit, quamuis variè interpretati ſint immobilitatem loci, & vnde locus poſſit dici immobilis, vt videre eſt apud Maſtrium in Phyſica Diſp. 11. q.2. art.2. per totum. Conſequens enim liquido patet ex his, quæ adduximus in probatione concluſionis tertiæ de mente Doctoris Subtilis in 2.d.2.q.6. vbi aſſeruit, locum eſſe immobilem per æquiualentiam.

Obijcitur quarto ſi ad vnitatem numericam eius, quod augetur ſufficeret vnitas partium per æquiualentiam, ſequeretur eundem hominem ſemper manere in eodem ſtatu, & nunquam mutari de iuuentute in ſenectutem vſque ad finem vitæ, ſed hoc eſſet contra experientiam, ergo, & id, ex quo ſequitur ſequela maioris probatur, quia ſi pars ſuccedens per nutritionem æquiualenter eſt eadem cum illa, quæ fluit, ergo qualem ſtatum tribuebat præcedens viuenti, talem penitùs debet tribuere ſubſequens, ac proinde viuens ſemper immobiliter manebit in eodem ſtatu, in quo erat, cum incæpit nutriri, & ſic iuuenis, & nunquam ſeneſcet.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad cuius probationem dicimus, partem per nutritionem ſubſequentem æquiualere quidem priori, quo ad conſeruationem vnitatis in viuente, quia eſſet ſemper idem numero æquiualenter, non verò quoad conditionem vnitatis viuentis in eodem ſtatu; nàm vt inquit Doctor Subtilis in 4. d. 44. qu. 1. art. 1. concl. tertia ſub E. *caro prior quanto magis agit in nutrimentum, vt contrarium, tanto magis debilitatur virtus eius, & fit impurior caro, & per conſequens cùm genitum non poſſit eſſe perfectius generante, ſequitur, quod caro genita ab illa parte carnis poſterioris, erit impurior*, & ſic ſucceſſiuè in tota periodo vitæ, vnde cùm mutatio ſtatus in viuente deriuetur a mutatione caloris naturalis, illùm eundem numero, etiam per æquiualentiam, ſequitur mutari de vno in alium ſtatum, & ſic de iuuentute in ſenectutem, & ſenium, ſi tantùm ſuperuixerit.

Contra, ſi pars ſuccedens per nutritionem nequit æquiualere priori, conſeruando viuens in eodem ſtatu, ob defectum puritatis in

in agendo in alimentum, vt contrarium, ergo nec poterit æquiualere illum, conſetuando in identitate numerica. Conſequentia probatur, quia non minus mutatur identitas numerica viuentis ob diuerſitatem partium numericè diſtinctarum, quàm mutetur identitas ſtatus in eodem viuente, ob defectum caloris naturalis in conuertendo alimentum in ſubſtantiam eiuſdem, ſed hæc mutatio ſufficit ad infringendam identitatem ſtatus vnius in eodem viuente, ergo & illa valebit confringere identitatem numericam in eodem viuente. Maior patet, quia currit eadem ratio in vtriſque.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem concedendo maiorem de identitate numerica ſimpliciter, verum negando illam de identitate numerica per æquiualentiam, & ratio diſparitatis eſt, quod ſicut illa dependet ſimpliciter ab vnitate; quæcumque illa ſit, ita iſta ab vnitate per ſimilitudinem; vnde quemadmodum inconuenit, vt plura numero ſint vnum numero ſimpliciter, ſic non inconuenit plura numero eſſe ſimilia in præſtando aliquam actionem in ſeinuicem, ac ſi forent vnum duntaxat, atque illa plura dici vnum numero per æquiualentiam.

Obijcitur quinto contra primam concluſionem quia ex Doctore Subtili in 4. d. 44. q. 1. reſpondendo ad vltimum argumentum principale, habetur, identitatem totius poſſe conſiſtere ſine aliquibus partibus, maximè ſi non fuerit ex principalioribus, inquit enim paulò ante S. *Ad aliud dico, quod non eſt ſimilis ratio de toto, & parte, quia primò intenditur reſtauratio eiuſdem totius in reſurrectione non ergo partis, maxime de illa parte, quæ non eſt principalis, ſine cuius identitate totum poteſt eſſe idem*. Ergo multo magis ſaluari poterit identitas totius ſine partibus minimis, aut ſaltem abſque illis, quæ per ſingulas nutritiones acquiruntur toti, & cenſentur eſſe minimæ entitatis, comparatæ ad entitatem totius, cui adduntur.

Reſpondetur negando conſequentiam, ob rationes allatas pro concluſione, ſiquidem quæuis mutatio in toto integrali maculat puritatem identitatis numeralis eiuſdem, cùm pendeat ſimpliciter ab omnium conſiſtentia. Neque auctoritas Doctoris Subtilis vrget nos, vt cogamur recedere à noſtra ſententia; ſiquidem non loquitur de identitate ſimpliciter totius numerica, ſed ſolùm de illa, quæ ſufficiet, vt reſuſcitatus dicatur idem numero, qui erat viuus, & non pro quolibet inſtanti, aut determinato tempore. Hæc conſiſtere poteſt cum identitate partium principalium, & non omnium, quæ etiam fuerunt de veritate naturæ in eo, qui reſurget, alioquin, *quia ex quo tales partes multum fluxerunt in vita eius, & aliæ multæ redierunt, ſi omnes illæ redirent in eo, vel eſſet corpus eius immoderatæ denſitatis, vel immoderatæ quantitatis, & magnitudinis*. En quomodo non eſt locutus in reſponſione ad vltimum principale iàm citatum, de identitate ſimpliciter, de qua nos loquimur in concluſione, ſed tantum de illa, quæ videtur ſufficere in reſurrectione.

Obijcitur ſexto quia illæ partes requiruntur ad identitatem numericam eius, quod augetur, poſt augmentationem, quæ ſunt talis entitatis, & quantitatis virtutis, vt poſſint ſufficere ad conuertendam aliquam particulam alimenti in ſui ſubſtantiam, ſiquidem iſtæ Dicuntur partes ſecundum formam, iuxtà mentem Ariſtotelis, ſeù ſecundum ſpeciem, vt explicat Scotus in 4. d. 44. q. 1. art. 1. concluſione 4. *Sæpius* citata, ſed non omnes partes, per ſingulas nutritiones acquiſitæ in toto ſunt huiuſmodi, ex eodem Scoto ibidem ſub G. inquit: *non quæcumque modica pars in toto poſſet illo modo habere actionem propriam, ſed tantummodo concurrere ad actionem totius: requiritur ergo aliqua determinata quantitas extenſiua ad illam efficaciam agendi in toto*: ergo non omnes partes per ſingulas nutritiones acquiſitæ in toto, poterunt cauſare mutationem ad infringendam identitatem numericam totius, quod augetur poſt augmentationem.

Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem, deſumptam ex Scoto citato, dicimus, Doctorem ibidem non excludere quamcunque modicam partem ab actione abſolutè in toto, & per conſequens ab illius mutatione, ſed tantum excludit illam ab actione propria in toto, quia ſicut in hac requiritur determinata quantitas extenſiua, & intenſiua, ita in illa ſufficit intenſiua virtute totius, & hæc poteſt vocari pars ſecun-

Digitized by Google

cum ſum formam,ſeù ſpeciem etiam, *non vt opponitur parti ſecundum materiam* , *niſi ſicut homini viuo opponitur homo mortuus*, *& ſic eadem pars dicitur pars ſecundum ſpeciem*, *dùm manet in toto*, *& pars ſecundum materiam*, *quando fluit*, *ſicut idem dicitur primo homo viuus*,*& poſtea mortuus*.Ex quo infertur, quod ſicut quælibet pars per nutritionem,acquiſita toti,poteſt dici pars ſecundum formam , & ſpeciem , ita poteſt ad ſui mutationem quamuis in toto,& ratione totius,cauſare mutationem in eodem, & maculare illius identitatem numericam.

Obijcitur ſeptimo contra tertiam partem ſextæ concluſionis quia omnes partes viuentis , ſiuè per generationem , ſiuè per nutritionem acquiſitæ ſunt in continuo fluxu, ergo nulla manet ſtabilis, à qua ſumi poſſit permanentia numerica viuentis poſt augmentationem , vt exigit Ariſtoteles, Conſequentia patet,quia hæc deſumitur à partibus ſecundum formam ſecundum Ariſtotelem, igitur ſi pariter fluant cum cæteris , etiam iſtæ , non erit, vnde ſumatur permanentia numerica viuentis. Antecedens probatur, tùm quia nulla pars in viuente, quæ ſit integralis, eſt incorruptibilis, vt docet Scotus in 4.d.44.q.1. circa initium,contra Magiſtrum Sententiarum : tùm etiam,quia experientia docet,viuens, poſt eius generationem, mutari ſecundum magnitudinem , nimirum creſcere,& decreſcere,quod non eſſet,ſi partes integrales manerent ſemper inuariatæ. Nec valet dicere , illas mutari quoad accidentia duntaxat, quia non poſſent mutari, quoad accidentia ſolùm,cùm iſta educantur de illarum potentia,& maxime quantitates, quæ immediate conſequuntur ſubſtantias, & extenduntur quantitatiuè ad illarum extenſionem entitatiuam:tùm denique,quia Scotus in citato loco ſub M. dicit Petrum non reſurrecturum in eo, quod pro tota vita eius fuit de veritate naturæ,ex quo multæ partes fluxerunt in vita eius , & multæ redierunt, atqui tales partes eſſent ſecundum formam , cùm partes ſecundum materiam, ex eodem Doctore non ſpectent ad veritatem naturæ,cum non ſint animatæ,vt docet ibidem ſub k.& alibi,ergo omnes partes viuentis, ſunt in continuo fluxu , & nulla ſtabilis , quæ poſſit tribuere ſtabilem permanentiam numericam ipſi viuenti.

Reſpondetur, hoc argumentum confirmare noſtram concluſionem ſextam , ac proindè non officere nos, vt teneamur ſimpliciter illud ſoluere , ſicut tenentur , qui mordicùs tuentur illam identitatem numericam in viuente poſt augmentationem , nihilominus , quia militat contra concluſionem , quam defendimus de mente Ariſtotelis,necnon Doctoris Subtilis, dicimus etiam nos ad idem argumentum , maiorem eſſe abſolutè,& vniuerſaliter falſam, quia partes à parentibus habitæ in viuente,licet non ſint incorruptibiles , tamen perſeuerant in ipſo toto tempore vitæ ſuæ, & etiam aliæ multæ quæ, per ingenerationem manent in toto, vocanturque partes ſecundum formam, ſiue ſint principales , in reſiſtendo contrarijs corrumpentibus, ſiuè, minus præcipuæ, habentes tamen determinatam quantitatem extenſiuam, & intenſiuam virtutis , & efficientiæ in conſeruando ſeipſas in toto,& in nutriendis alijs partibus, & in augendo totum & ratio huius , quamuis à poſteriori, eſſe debet, quia totum viuens, à principio vſque ad finem periodi vitæ ſuæ , ſemper alitur,& nutritur,quod haud eſſe poſſet,niſi haberet in ſe partes ſecundum formam,quæ duntaxat augentur, & augent poſt nutritionem, & augmentationem, vnde cum iſtæ non ſint in continuo fluxu, immò perſeuerent ſemper eædem in viuente, ſequitur ab eis etiam deſumendam eſſe identitatem permanentiæ numericæ in eo , quod augetur poſt auctionem, & diminutionem. Ad ſecundam probationem dicimus, & concedimus gratis , poſt augmentationem mutari viuens accidentaliter, & ſubſtantialiter ſecundum partes materiales,non verò formales, quia ſic, idem ſemper perſeuerat, vt dictum eſt. Ad tertiam negatur minor, quia partes ſecundum materiam , & actu non ſunt in fluxu, verum in proxima diſpoſitione,cùm præfuerint in toto,in eodem nutritæ que ad nutritionem totius , fuerunt de veritate naturæ humanæ,& de his dicit Doctor Subtilis, quod non ſint rediture cum Petro in eius reſurrectione, ſed illæ ſolum, quæ dicuntur ſecundum formam, & præcipuæ attinentes ad identitatem reſuſcitati,& non ad veritatem naturæ phyſicæ etiam, quia ſic omnes ſpectant ad identitatem viuentis,vt probatum eſt.

Obijcitur octauo contra ſextam concluſionem ex Maſtrio citato n.94.tùm quia videde-

Digitized by Google

demus ſenes recordari eorum, quæ in adoleſcentia ſua euenerunt; eadem ferè accidentia, ſcilicet cicatrices, næuos, & ſimilia perſiſtere in corpore, ergo quoque ſubſtantia: tùm etiam quia nutritio non eſſet quædam aggeneratio ſecundum partem, ſed potius ſimpliciter generatio totalis, atqui hoc eſſet valdè abſurdum contra Ariſtotelem, & communem ſententiam, à quibus diſtinguitur nutritio à generatione, ergo dicendum eſt, viuens in augmentatione, & poſt illam manere penitùs idem numero ſimpliciter.

Reſpondetur negando conſequentiam vltimam; neque rationes adductæ multum faceſſunt, quinimò retorqueri poſſunt contra Maſtrium eundem; tùm quia ſenes, pro maiori parte, obliuiſcuntur eorum, quæ ſibi in adoleſcentia acciderant, vnde communiter fertur, ſenes repueraſcere, cùm ferè continuè videantur ediſcere, ad inſtar puerorum, quæ in diem eueniunt, quàmuis acciderint in iuuentute. Et eſtò nonnulla accidentia manſerint, vt videtur in cicatricibus, tamen pro maiori parte, mutata conſpiciuntur, nedum in ſenibus, ſed etiam in viſis, vt experientia comprobari poteſt de potentia viſiua, de qua loquens Ariſtoteles in primo de Anima t. 65. & reddens rationem, cur ſenes non videant, vt faciebant in iuuentute, cum habeant eandem animam, inquit, *ſi enim ſenex acciperet oculum talem, & videret vtique, ſicut & iuuenis, quapropter ſenium non eſt, quia ſuſtinuit aliquid anima, ſed id in quo*, nempe ſenſorium, quod eſt mutatum in ſenectute, vel etiam in virili ſtatu, ob ebrietates, aut morbos; igitur inferendum eſt ex eodem Maſtrio contra ipſum, cum non maneant ſemper eadem omnia accidentia in ſubſtantia, nec eandem manere ſed aliquandò mutari numeraliter, vt non ſit ſemper eadem numero. Vnde formaliter ad argumentum dicimus vtrumque antecedens non eſſe ſemper vniuerſaliter verum, quinimò pro maiori parte eſt falſum, vt oſtendimus retorquendo vtranque probationem. Et licet interdùm verificari contingat in quibuſdam accidentibus, vt accidit in cicatricibus, non propterea ex eis facienda eſt propoſitio vniuerſalis de cæteris, quin potius oppoſitum inferendum, quod varietur ſubſtantia ad variationem plurium accidentium, ac proinde viuens, ſit ſubſtantialiter variatum, non poſſe dici idem numero manens ſimpliciter, cùm tot mutationibus ſubijciatur. Nec probatio ſecunda quicquam officit, quinimò oppoſitum, quod prætenditur, inferendum eſt ex eodem Maſtrio, nempe nutritionem fore generationem ſimpliciter partium, & non aggenerationem ſecundum partem. Quandoquidem ſi concedat, identitatem numeralem in viuente non eſſe deſumendam ab omnibus partibus integralibus, ex quibus coaleſcit, verum duntaxat à principalioribus, iiſque paucis, & plures ſint, quæ fluunt, totidemque refluunt, ac per nutritionem redeunt, concedere etiam debet, pauciores eſſe, quæ per aggenerationem augentur, adduntur que ad præexiſtentes, quæ inuariatæ manent, & plures, quæ redeunt per generationem poſt illarum deperditionem, quæ fluxerunt per corruptionem, ac proindè nutritionem reſpectu iſtarum non eſſe aggenerationem ſecundum partem, cum nullæ ſint partes, quæ inuariatæ permaneant, quibuſque poſſit fieri additio, ſed totalem generationem illarum, quæ per nutritionem. Quare cùm ipſe viderit debilitatem ſuarum rationum ad ſtabiliendam omnimodam identitatem numericam, poſt augmentationem, in viuente, correxit ſuam aſſertionem dicens, ſe non loqui de omnimoda identitate phyſica numerali; vndè ſub num. 100. reſpondendo ad quartum argumentum inquit: *Ad quartum dicimus, concedendo in viuente non adeſſe exactam, & perfectam vnitatem numeralem, quæ reperitur in rebus ſpiritualibus, adhuc tamen dicimus reperiri veram vnitatem numeralem, licet cum aliqua mutatione*. Et idem repetit in Appendice, ſoluendo quartum argumentum Poncij in fine, reſtringendo aſſertionem ad identitatem numeralem partium præcipuarum, quod idem eſt, ac nos contendimus in concluſionibus quinta & ſexta cùm dicimus, in rigore ſuſtineri non poſſe, quod viuens maneat idem numero poſt augmentationem toto tempore vitæ ſuæ, ſed ſolùm reſtringendo identitatem, vt faciunt Ariſtoteles, & Scotus citati, ad identitatem, & permanentiam partium ſecundum formam, vel ſpeciem. Plures alias quæſtiones ſolent mouere, & exagitare Doctores, potiſſimum Recentiores, de Augmentatione, tàm ſubſtan-

ſtantiali, quàm accidentali ſuper hoc cap.5. Ariſtotelis, vt videre eſt apud Conimbricenſes, Ruuium, & Maſtrium citatos in ſuperioribus, verum, quia pro maiori parte, eaque neceſſaria, illas diſputauimus, ac ſoluimus in lib. Phyſicorum, & de Anima, ideò conſultò illas omittimus. Et nè lectores inſimulari nos poſſint de inertia, videant noſtra ſcripta in primo Phyſicorum Diſp.2.q.3. per totam vbi egimus de terminis Augmentationis, & Diminutionis Viuentium in quarto Diſp.2.q.3. vbi pertractauimus de Rarefactione & Condenſatione: in 5.Diſp.2.q.2.vbi diſcuſſimus, ſi poſſit dari reditio in idem numero in ſecundo de Anima Diſp.3.q.3.4. & 5. in quibus ſermonem fecimus cum Aduerſarijs de Nutritione, & Augmentatione corporum viuentium: in tertio libro Diſp.5.q.3. vbi per plures ſectiones diſputauimus de Vita, & Morte: in q.5.de longitudine, & breuitate Vitæ, eiuſque cauſis, tàm in Animalibus, quàm in Plantis, de quibus omnibus agitur à Recentioribus in hoc primo libro de Generatione, & Corruptione, quas nos omiſimus, nè eas materias toties repetere cogamur cum iiſdem doctrinis.

De Tactu, Agere, & Pati, ac Miſtione.

SVMMA IV.

HÆc eſt quarta, & vltima Summa huius primi libri de Generatione, & Corruptione, in qua Ariſtoteles agit de Contactu, Actione, Paſſione, & Miſtione, quæ ſunt inſtrumenta neceſſaria, conſequentia generationem, & corruptionem Miſtorum inparticulari, illamque partitur in octo capitula. In quorum primo proponit materiam, de qua intendit agere. In ſecundo agit de Tactu, ſeu contractu. In tertio refert, ac confutat Antiquorum opiniones circa ea, quæ agunt, & patiuntur. In quarto oſtendit quid ſit Agere, & Pati, & quæ ſint ea, quæ agunt, & patiuntur, & propter quid. In quinto recitat Antiquorum opiniones circa agere, & pati, illaſque examinat, ac confutat. In Sexto demonſtrat quonam pacto fiat generatio, actio,& paſſio ſecundum veritatem. In ſeptimo. Proponit dubitationes de Miſtione, aliorumque opiniones, quas refellit. In octauo docet quomodo fiat Miſtio, quid ſit, & quæ ſint propriè Miſcibilia.

Quoad primum cap. quod ſe habet veluti proemium eorum, quæ acturus eſt, nedùm in proſecutione huius primi libri, verùm etiam in ſequenti, duo facit in hoc T. XLIII. Primum dicit, quatuor Elementa eſſe materiam Miſtorum, ex qua componi debent ſimul cum ſuis formis, de quibus, cum ſit acturus in ſequenti libro, in præſenti proponit, quæ inibi diſcutienda veniunt, nimirum an ſint, vel non ſint elementa: an ſint ſempiterna, vel generabilia: ſi generabilia, an omnia ab vno, vel omnia ex ſeinuicem, & quonam pacto; an eodem modo, vel diuerſo: aut aliquod eorum ſit primum, veluti principium materiale, ex quo omnia generentur. De his omnibus dicendum eſt in ſequenti meliori, ac clariori Methodo, quia hatenus quidem de illis locutum eſt indefinitè, hoc eſt confuſo modo, vt videre fuit in Antiquis. Secundum, inquit, in præſenti tractandum, eſt oſtendere, qua de cauſa præmittenda veniant iſta quatuor, nempe Tactus, Agere, Pati, & Miſtio, hoc eſt, qua neceſſitate Elementorum, & Miſtorum generatio, expoſtulet horum quatuor cognitionem; vndè vt, quod inquiritur, clarius pateat, ponit hanc concluſionem: Ad generationem Elementorum, & Elementatorum, neceſſariò concurrere debent, tactus, agere, pati, & miſtio. Probat hanc concluſionem ex Antiquorum poſitionibus inquiens: omnes enim, qui elementa generant, ideſt generari dicunt; & qui ea, quæ ex elementis duntaxat generari aſſerunt, vtuntur congregatione, & ſegregatione, ac ipſo facere, & pati, atqui congregatio eſt quædam miſtio, igitur eſt etiam nobis tractandum, cùm de Elementorum, & Elementatorum agere debeamus, de actione, paſſione, & miſtione. Conſequentia enim tenet, ſiquidem ſicut in his, illi bene fecerunt, & nos quoque facere debemus. Quod autem illi bene egerint, mentionem faciendo de actione, & paſſione, ac miſtione, probat, quia generatio Elementorum, ſiue fiat per alterationem, ſiue per congregationem, aut diſgregationem, cùm hæ fieri nequeant abſque actione, & paſſione, neque illorum generatio conſiſtere poterit nullo

faciente,

facientе, aut patiente. Præterea confirmat concluſionem ex aliorum poſitione, ſiquidem illi etiam, qui ponunt plura elementa à ſeinuicem generari, dicunt illorum generationem fieri agendo, & patiendo à ſeinuicem, licet in hoc errauerint, quia non poſuerunt vnum ſubiectum commune, in quo recipi poſſent actio, & paſſio; neceſſe eſt enim ex vno ſubiecto communi fieri actionem, & paſſionem contrariorum, ergo ex auctoritate etiam iſtorum neceſſe eſt præmittere notitiam actionis, & paſſionis, priuſquam agatur de elementorum, & elementatorum generatione.

Hinc laudat Diogenem, quod rectè fecerit, cùm dixit, non poſſe fieri actionem, & paſſionem inter elementa ſi non intercederet vnum commune ſubiectum, ſeù materia, vt calidum infrigidari, & frigidum calefieri; non enim tranſmutantur caliditas, & frigiditas in ſeinuicem, ſed ſubiectum, à quo mutuò ſe expellunt, dicitur tranſmutari per ipſas, ex quo inferendum eſt, non poſſe adeſſe in aliquibus facere, & pati, in quibus non ſit ſubiectum commune ambobus. Et per oppoſitum reprehendit illos, qui credebant, vnitatem ſubiecti ſufficere ad ponendum agere, & pati in omnibus, quandoquidem vlterius exigitur contrarietas, vt dici poſſit vnum pati poſſe ab alio agente.

Ex his infert, quod ſi ad generationem elementorum, & elementatorum neceſſaria eſt prænotio horum trium, nimirum Agere, Pati, & Miſtionis, non minus erit neceſſaria cognitio Tactus, quod probat, quia ſi aliqua nequeunt agere, & pati in ſeinuicem, niſi miſceantur, & hac de cauſa ad inuicem exiguntur, igitur cùm illa non poſſint ad inuicem miſceri, vt poſſint agere, & pati, niſi prius ſe tangant, dicendum eſt non minus tactum fore neceſſarium, vt præmittatur, ſicut & cætera tria. Quinimò de tactu prius agendum eſt, quàm de cæteris, cùm ſit vniuerſalior, quippe qui inferatur ab illis, & non econtra, nàm neceſſe eſt entium, in quibus eſt miſtio, quod illa ſint ad inuicem tactiua; & ſi aliquid facit, aut patitur vera actione, aut paſſione phyſica, debent ſe ad inuicem tangere, ideo primum dicendum eſt de Tactu.

Quoad ſecundum cap. in quo de Tactu agere intendit, in T. XLIV. ponit varias acceptiones huius vocis tactus, Tactus enim primo modo dicitur de ſenſu, & eſt vnus è quinque ſenſibus exterioribus. Secundo modo dicitur de ijs omnibus, quæ ſitum, & poſitionem babent in loco, & ſic conuenit omnibus corporibus, ſiue phyſicis, ſiue mathematicis, quia licet hæc ſint abſtracta à rebus materialibus, tamen ſunt, & ipſa in loco ratione quantitatis, cui competit occupare locum. Tertio modo dicitur de corporibus actiuis, & paſſiuis, quibus conuenit agere, & pati, ac moueri ad locum, ſiue surſum, ſiue deorſum, & ſic tactus tantum competit corporibus naturalibus, & potiſſimum elementis, ac miſtis; quia his omnibus conuenit eſſe in loco, & moueri ſurſum, & deorſum, & habere grauitatem, ac leuitatem, vt terra, & ignis, vel vtramque, vt aqua, & aer, & omnibus his cognata, quia omnia ſunt paſſibilia, & actiua, & de tactu hoc tertio modo loquitur in propoſito Ariſtoteles, cùm cernatur in his, quorum vltima ſe tangunt, & in ſe mutuò agunt, & patiuntur.

In T. LXV. quoniam dictum eſt, tactum conuenire ijs, quæ mouent, & mouentur, declarat, quibus mouentibus propriè competere poſſit tactus, & quibus minimè, dicens, duo eſſe mouentium genera. Quædam enim mouent, & non mouentur, cuiuſmodi ſunt Intelligentiæ, quæ mouent Cœlos, & non mouentur ab eis: Quædam verò mouent, & mouentur, vt primum mobile, quod mouet ſphæras inferiores, & ipſum mouetur ab Intelligentia: ſimiliter philoſophandum de agentibus, & patientibus, etenim quædam agunt, & patiuntur ab ijs, in quæ agunt, vt ignis, qui agit in aquam, & repatitur ab ea: quædam verò agunt, ſed non patiuntur in agendo ab eis, in quæ agunt, vt Cœli, qui agunt influendo in hæc inferiora, ſed minimè patiuntur ab eis. Verùm quia aduertit inter mouentia, & agentia, mota, & paſſa, non intercedere omnimodam ſimilitudinem, ponit diſcrimen inter illa, dicens, ſe habere vt inferiora, & ſuperiora, nam quicquid agit mouere dicitur, non tamen omne, quod mouet dicitur agere; quandoquidem ſicut pati proprie ſumptum non dicitur de quocumque recipiente, verum duntaxat de illo, quod per receptionem diſponitur ad corruptionem, ſic agere propriè acceptum non ſignificat quodcumque mouere, ſed ſolùm mouere diſpoſitione alteratiua, ordinata ad corruptionem. Ex quibus

infert,

infert, quod ſi actiua, & paſſiua adinuicem ſe tangunt, non eſt neceſſe, quod etiam mouentia, & mobilia ſe tangant, quia in plus ſe habent mouentia, & mobilia, quàm tangentia, & tangibilia, & ratio eſt, quia mouens, & mobile reperitur, non ſolùm in his, quæ mouentur localiter, verùm in quouis alio motu; at tangens, & tangibile determinatur tantùm ad ea, quæ localiter mouentur cum poſitione, & ſic apparet, quod mouens, & mobile ſint vniuerſaliora, quàm tangens, & tangibile. Cæterùm mouens, & mobile, ac tangens, & tangibile, vt plurimum coincidunt, quod potiſſimùm euenit in ijs, quæ ſunt eiuſdem generis, & communicant, in materia, vt ignis, & aqua, ſiquidem mouent, & mouentur, tangunt, & tanguntur ſi fuerint debitè approximati: verùm fallitur ſimilitudo ſi fuerint alterius generis, vt patet in Intelligentia mouente Cœlum, tangit quidem Cœlum, ſed non tangitur ab eo, cùm non communicent in materia, & ſint alterius generis. Denique affert aliud genus tactus, ſed valdè improprium, & eſt cùm aliquod immobile tangit aliquid, & minimè tangitur ab eo, vt patet in primo Motore, qui virtualiter nos tangit, & non tangitur à nobis, quia caret materia, & quantitate; ſimiliter, qui dolore nos afficit tangit nos, quàmuis à nobis non tangatur. Hinc colligitur, tactum, de quo loquitur Ariſtoteles hic, tantum reperiri in corporibus, ſiuè naturalibus, ſiuè mathematicis, quorum vltima ſe tangunt, habentque poſitionem, & ſitum in loco.

Quoad tertium Caput, in quo affert, & refellit opiniones Antiquorum circa Agere, & Pati, quarum prima refertur in T. XLVI. dicens, in ſimilibus non poſſe reperiri agere, & pati, ſed tantum in diſſimilibus, & probatur, quia ſi ſimile poſſet pati à ſuo ſimili, non eſſet maior ratio, ob quam potiùs hoc in illud ageret, vel ab illo hoc magis pateretur, quàm ab alio, ac proinde non eſſet determinatum quodnàm eſſet agens, vel paſſum, quod eſſet vtrumque valde abſurdum quod ſi interdùm contingat aliquod ſimile videri pati ab alio ſimili, vt ignis minor à maiori conſumi, hoc non accidit ex eo, quod ſint ſimiles, verùm diſſimiles, & contrarij, nempe alter maior, vel fortior, & alter minor, vel debilior, in quibus apparet diſſimilitudo, & contrarietas, igitur agere, & pati nequeunt conſiſtere in ſimilibus, ſed ſolum in diſſimilibus.

In T. XLVII. Ponitur altera opinio, priori omninò oppoſita, & eſt Democriti dicentis, agere, & pati non poſſe reperiri in diſſimilibus, verum duntaxat in ſimilibus, & probabat ſuam ſententiam inductiuè, quandoquidem album non agit in dulce, neque dulce in graue, vel leue, & vt omnia ſub vno comprehendantur exemplo, contraria non agunt in contraria, cum omnia ſint diſſimilia, & habeant naturas diſparatas: nam illa, quæ agunt inſeinuicem, vnum debet aliud recipere in ſe, modo vnum contrarium, vel diſſimile, nequit in ſe recipere aliud contrarium, vel diſſimile, ergo ad hoc, vt vnum agat, & aliud patiatur, neceſſe eſt, vt ſint ſimilia. Et ſi contingat diſſimilia aliquando agere, & pati in ſeinuicem, vt calidum à frigido, aut humidum à ſicco, hoc non erit, quia diſſimilia ſunt, ſed quia aſſimilantur in genere ſubſtantiæ, vel qualitatis.

In T. XLVIII. arguit contra vtramque opinionem, oſtendendo illas eſſe diminutas, quia aliqua falſa, quibuſdam veris commiſcent, quæ tamen ſi rectè perpendantur erunt ſicut propoſitiones ſubcontrariæ, quæ poſſunt ſimul conſiſtere. Vtraque tamen deficit, quia non reſpexit totam rationem agendi, & patiendi, ſed vnam partem tantum, ſiquidem nec pura ratio ſimilitudinis, nec pura diuerſitatis ſunt ſufficientes ad agendum, & patiendum, ergo vtraque defecit in ſua aſſertione. Quod autem pura ratio ſimilitudinis non ſufficiat ad agendum, & patiendum, oſtendit tripliciter, tùm quia non eſſet ratio, cur magis vnum diceretur actiuum, & alterum paſſiuum: tùm etiam, quia idem poſſet pati à ſeipſo, ſiquidem omninò ſimile, ac idem ſunt eiuſdem omninò rationis: tùm denique quia idem poſſet agere, & corrumpere ſeipſum, ſiquidem nihil eſt adeò ſimile alteri, quàm idem ſibi, ergo ſi ratio agendi eſt omnimoda ſimilitudo, ſequitur idem poſſe agere in ſeipſum, & ſeipſum corrumpere; ac proinde nullum daretur corpus incorruptibile, quod eſſet penitùs falſum, quia Cœli ſunt corpora incorruptibilia. Quod nec pura ratio diſſimilitudinis ſufficiat ad agen-

agendum,& patiendum probat in T.XLIX. exemplo,& ratione.Exemplo quidem ſic,linea enim,& albedo ſunt penitus diſsimiles, & tamen agunt in ſeinuicem, niſi forſan per accidens poſito nimirum; quod linea eſſet alba, vel nigra, quia tunc vna poſſet pati ab alia, non vt linea eſt, verum vt habens contrarias qualitates, ergo ratio agendi, vel patiendi non eſt diſsimilitudo, vt dicebat prima opinio.Ratione etiam demonſtratur, quia agens,& paſſum debent eſſe contraria, ſed contraria non ſunt omninò ſimilia nec penitùs diſsimilia, cum ſub eodem genere contineantur, ergo vt vnum agat in alterum non exigit omnimodam diſsimilitudinem, ſed patitur ſecum aliqualem ſimilitudinem. Ex his apparet defectus vnius,& alterius opinionis; ſiquidem nec pura ratio diſsimilitudinis,vt ſuſtinebat prima, nec ratio pura ſimilitudinis,vt aſtruebat ſecunda, ſufficiunt ad agendum, & patiendum, verum exigitur ſimilitudo in genere, & diſsimilitudo in ſpecie; aut ſimilitudo in materia, & diſsimilitudo in formis, ad hoc, vt vnum poſsit expellere aliud ab eodem ſubiecto, vt luculentiùs nititur Philoſophus oſtendere in ſequenti capite.

Quoad quartum Cap. in quo determinat de Agere, & Pati ſecundum propriam ſententiam,in T. L. ponit hanc concluſionem, quod non quæcunque nata ſunt agere, & pati,verùm tantum illa,quæ ſunt contraria, & quæ habent contrarietatem.Primam partem oſtendit ex dictis in cap. 2. Deus enim licet ſit natus agere, non eſt tamen natus pati, cum careat materia; ſimiliter materia prima eſt nata quidem pati ab omni forma, quam in ſe recipit,non tamen agere, nec albedo nata eſt pati à linea,vel agere in ipſam. Secundam partem demonſtrat ſimul cum tertia exemplis, quia corpus à corpore patitur, vt ab igne, quia ignis habet caliditatem,& aqua frigiditatem, quæ ſunt contraria; color a calore patitur vt albedo à nigredine, quæ ſunt contrariæ, ſapore patitur, vt dulcis, & amarus, qui ſunt contrariæ qualitates; & nè in longius protrahatur ſermo, omnes ſpecies eiuſdem generis agunt, & patiuntur ad inuicem, quia ſunt contrariæ. Ex his infert corollarium, quod ea, quæ agunt, & patiuntur debent eſſe partim ſimilia,& partim diſſimilia:ſimilia quidem in genere, in quo conueniunt, & diſſimilia in ſpecie, quia omnes ſpecies eiuſdem generis ſunt contrariæ, exceptis relationibus, quæ non ſunt contrariæ, ac proindè nec agunt, nec patiuntur in ſeinuicem.

In T. LI. Ex dictis infert,quod ſi omnia, quæ agunt, & patiuntur debent eſſe contraria, & agens, & patens debent eſſe contraria;& ſi contraria ſunt ſimilia in genere, & diſſimilia in ſpecie, talia pariter debent eſſe agens, & patiens, & ſicut contraria ſunt actiua, & paſſiua, ſic econuersò actiua, & paſſiua erunt contraria, vel contrarietatem habentia:& quoniam conſiſtit omnis generatio,& corruptio in his,& ab eiſdem fit,ſequitur generationem,& corruptionem fieri à contrarijs.Ideo rationabile eſt ignem calefacere, & frigidum infrigidare, & omne actiuum aſſimilare ſibi paſſum; tùm quia agens,& patiens ſunt contraria; & generatio, quæ eſt actio aſsimilatiua, eſt inter contraria:tùm etiam,quia faciens,& patiens neceſſe eſt, vt adinuicem tranſmutentur, vt ſit generatio in contrarium, quæ potiſsimum apparent in mutua elementorum generatione,& corruptione,quorum vnum agit in alterum aſsimilando ſibi illud per generationem vnius,& corruptionem alterius.

In T. LII. nititur conciliare duas opiniones,quæ videntur inter ſe pugnare,nam aliqui dicebant actionem, & paſsionem debere fieri inter contraria, alia verò minimè; ambo enim poſſunt dicere veritatem; etenim ſi qualitatem reſpiciamus, vt calorem, & frigus,ſic actio eſt inter contraria;ſi verò ſpectemus ſubiectum quod patitur ab iſtis qualitatibus, ſic non eſt inter contraria. Probat vtramque partem de patiente, & faciente: Pati enim quandoque reſpicit ſubiectum,vt hominem dicimus calefieri,aut infrigidari, & ſic nulla eſt contrarietas, quia ſubiecto nulla eſt forma contraria: Faciens pariter interdùm reſpicit ſubiectum,vt cum dicimus hominem calefacere, aut frigefacere, & ſic nulla eſt contrarietas; cæterum ſi dixerimus frigidam calefieri, & ægrotum ſanari; vel calidum; frigefacere, in his bene eſt contrarietas, quia frigefieri, & calefieri, & calefacere,& frigefacere ſunt contraria: hinc patet, quomodo ambæ opiniones ſint veræ, & non repugnantes reſpectu diuerſorum.

In T. LIII. proponit dubium,an omne agens,dùm agit in paſſum repatiatur ab eo; & vt

& vt reſpondeat, ſupponit duas diuiſiones, alteram mouentis,& moti,& alteram agentis,& paſsi. Prima diuiſio. Mouens diuiditur in primum,& vltimum. Primum eſt illud,à quo primò procedit motus, & non ſupponit aliud prius, à quo procedat, vt Deus, ſiuè prima Cauſa dicitur primum mouens, vltimum mouens eſt quod mouet, & poſt ipſum non datur aliud mouens, & ſic baculus,quo Petrus mouet lapidem, dicitur vltimum, ſiquidem eſt ita mouens immediatum,vt poſt ipſum non detur aliud mouens. Secunda diuiſio eſt agentis in primum, & vltimum. Primum agens, alterans, eſt, quod ſic alterat, vt non alteretur ab alio; vt Medicus, qui alterat corpus ſanabile, vt non alteretur ab alio ſanante. Vltimum agens, ſiue alterans eſt, quod immediate alterat corpus ſanabile, & poſt ipſum non datur aliud alterans, vt vinum, ſeu aliud medicamentum. Conueniunt primum mouens, & primum alterans, quia nullum datur prius in genere mouentium,& alterantium. Differunt etiam inter ſe, quia primum mouens nihil accipit ab alio, vt mouere poſſit, at primum alterans, accipit ab alio,vt primo alterare poſſit,Conueniunt etiam vltimum mouens, & vltimum alterans, quia vterque habet ab alio, vnde moueat,& alteret.

Ex his reſpondet ad dubium propoſitum ponendo duas concluſiones, quarum prima eſt.Primum mouens ita mouet, vt non moueatur ab alio, alioquin non eſſet primum, ſed daretur prius in mouendo, & ſic ſolus Deus eſt primum mouens. Vltimum mouens,ita mouet, vt moueatur ab alio, aliter non eſſet vltimum. Secunda concluſio. Primum alterans eſt impoſſibile, alioquin non eſſet primum aliud, à quo pateretur, quod eſt contra ſoppoſitum: Vltimum faciens,ſeu alterans eſt paſſibile, cum habeat prius eo, à quo alteretur alioquin non eſſet vltimum alterans.

Vt autem poſſit clarius prænoſcere quiſpiam quæ nam ſint agentia, quæ repatiuntur, & quæ non, ponit hanc regulam. Quæcumque communicant in materia agunt, & patiuntur; quæ verò non habent eandem materiam, agunt quidem, ſed non patiuntur. Probat ſecundam partem in eodem textu, nàm ars medicatiua agit, & diſponit ad ſanitatem, ſed non patitur ab eo, qui ſanatur, quia non communicat in materia cum illo, quia eſt qualitas carens materia. Cibus verò, quia communicat in materia communi cum ſtomacho,agit,& patitur ab eo,vt dicitur in prima parte ei uſdem regulæ.

In T. LIV. Cauſam aſſignat, quare communicantes in materia agant, & patiantur in ſeinuicem, dicens, materiam ſe habere ad agere, & pati, quæ ſunt oppoſita, vt genus ad ſpecies: vnde ſicut genus eſt in potentia ad ſpecies, & non magis ad vnam, quàm ad oppoſitam, ita materia eſt in potentia ad agere, & pati, & non magis ad vnum, quam ad alterum, ſiquidem id propriè dicitur poſſe pati, quod exiſtens in potentia ad aliquam qualitatem, & agente debitè approximato,ad actum reduci poteſt, vt in potentia calidum, præſente calefaciente, & approximatis, neceſſe eſt calefieri.Ex his infertur materiam communem, vt in potentia ad agere, & pati, eſſe conditionem, ſine qua agens non poſſit agere in paſſum, nec paſſum reagere in agens, cauſa autem actiua actionis, & paſſionis,ſuppoſita eadem materia,eſt efficiens, de qua in ſequenti textu.

In T.LV.agit de cauſa effectiua actionis, & paſſionis, & dicit agens eſſe cauſam efficientem, quod probat, nam cauſa efficiens eſt principium motus,ſed agens eſt,vnde incipit motus alterationis,ergo agens eſt cauſa efficiens. Secundo probat per inductionem in omnibus cauſis, non enim eſt cauſa finalis,quia hæc non mouet realiter,ſed methaphoricè tantum,at agens mouet realiter, quia alteratio eſt realiter motus,Præterea fine præſente, & habito, ceſſat motus, ſed agente præſente non ceſſat, immò incipit motus,ergo agens non eſt cauſa finalis: nec eſt cauſa formalis, quia forma eſt terminus motus agentis, ergo non poteſt eſſe agens: nec poteſt eſſe cauſa materialis nam proprium agentis eſt agere, ſed materia non agit,verùm patitur, ergo agens non eſt cauſa materialis; igitur cùm non ſit nec cauſa finalis,nec formalis, nec materialis, reſtat à ſufficienti diuiſione,& enumeratione,quod agens ſit cauſa efficiens.

Quoad ſecundum caput, in quo examinat opiniones Antiquorum circa ipſum Agere,& pati in T.LVI. proponit primam opinionem illorum, qui dicebant, paſſione-

fieri per ingreſſum agentis principaliſſimi, ac vltimi, vel proximi intra quoſdam meatus, vel poros ipſius paſſi; ignis enim ingrediens intra poros ipſius ligni, cauſat, vt lignum dicatur pati ab eo; ſimiliter ſenſus omnes dicuntur pati ab obiectis eorum per ingreſſum illorum in poros ſenſuum vſque ad ſenſoria eorundem; quamobrem dicunt nos faciliter videre per aquam, & aerem, ac alia tranſparentia, quia habent poros aptiores ad recipiendum obiecta viſibilia. Ex quibus inferebant, quod ſi pori poſiti fuerint commenſurabiles in vtraque parte agentis, & patientis, tunc dicebant fieri miſtionē inter illos, & ſic dari actionem, & reactionem inter agens, & paſſum; ſi verò tantū ex vna parte adfuerint pori, & meatus, erunt quidē actiones, ſed abſque miſtione, & reactione.

In T.LVII. recitat opinionem Leucippi, & Democriti qui ponebant quidem poros, ſicut Empedocles cum ſuis ſectatoribus, verùm diuerſimode, nam Empedocles cum ſuis ponebat poros vacuos, iſti verò ſemiplenos athomis; cùm aliquali vacuo, in quo poterant moueri athomi, quæ ſi congregabantur, & vniebantur ad inuicem, faciebant generationes, ſi verò ſegregabantur, corruptiones rerum ſequebantur. Iſti opinantes, inquit Ariſtoteles partim conueniebant, & partim differebant in ſuis aſſertionibus: Conueniebant quidem, quia ambo ponebant poros, ſeù meatus, vt in eis poſſent fieri motus actionis, & paſſionis, generationis. Differebant verò, quia priores ponebant poros, ſiue meatus inanes, & paucos; poſteriores verò repletos quibuſdam corpuſculis, quæ athomos vocabant. Ex his concludit, inter hos opinantes paruam eſſe differentiam, quàmuis omnes à veritate aberrauerint, & ideò illos impugnat.

Et primo impugnat illos, qui dicebant, ad agendum, & patiendum eſſe neceſſarios meatus vacuos, vt poſſent ingredi corpora ad agendam in alia corpora, ſiquidem hoc poſito, ſequitur, vt primum fuerint repleti huiuſmodi meatus, non poſſe illa corpora amplius agere in alia corpora; etenim ad agendum, & patiendum, per illos opinantes, ſemper ſunt neceſſarij illi meatus vacui, ergo vel debent concedere hos meatus non fore ſemper neceſſarios, ſed ſufficere contactum, vt dicimus nos; vel non poſſe haberi pluſquam primam actionem, & paſſionem, quod eſt maius abſurdum.

Secundo arguit contra alios ponentes poros repletos corpuſculis; quandoquidem hoc conceſſo, infertur non eſſe neceſſaria ad agendum, & patiendum, quia agentia poterunt, maiori cum facilitate, ingredi illos meatus vacuos, & agere, quàm ſi forent referti athomis, quas deberent expellere, vt agere valerent, igitur aſſerere meatus, plenos corpuſculis, ad agendum, & patiendum, eſt egere ſuperfluis. Dicendum igitur huiuſmodi meatus, ſiuè clauſos, ſiuè vacuos non fore neceſſarios ad agendum, & patiendum, ſed ſufficere vt corpore ſe tangere valeant.

In eodem t. comparat aſſertiones Leucippi, & Democriti cum aſſertione Parmenidis, & Meliſſi, & illos laudat, & hos reprehendit. Laudat inquam illos, quia licet in quibuſdam deficiant, tamen ponendo ſua corpuſcula indiuiſibilia congregari, & vniri, ſegregari, ac diſiungi, ſaluabant actiones, & paſſiones, generationes, ac corruptiones, quæ ſunt actiones naturales, & conuenientes Philoſophis: verum hos reprehendit, quia ponendo dari vnum ens tantum in Vniuerſo, quod eſset immobile, & continuum, loquebantur contra naturam, & ſenſum, negabantque actiones, & paſſiones, generationes, & corruptiones, quæ ſenſu percipiuntur. Probabant autem totam ſuam aſſertionem, dicentes, entia diſtingui ſolùm per vacuum, ſed hoc, cum ſit non ens, minime dari poteſt in Vniuerſo, ergo omnia entia ſunt de neceſſitate vnum ens. Præterea, quæ mouentur, ſi poſſent dari, egerent vacuo, atqui hoc non datur, ergo omnia entia ſunt vnum, & immobile.

In T. LVIII. probat illud vnum ens immobile eſse etiam continuum, ſiquidem non valet dicere, dari plura corpora inter ſe tangentia, abſque vllo vacuo inter illa, ac proindè non eſse vnum continuum, nam continuum, inquiunt, & contiguum idem ſunt, vnde conceſso etiam, eſse plura corpora ſeſe tangentia, propterea non tollitur, quin ſint continua, & per conſequens vnū, & non plura. Et ſi aliquis dicat, continuum eſse diuiſibile in partes, atque plura eſse multa, & non vnum omnia, reſpondebant, hæc eſse fictitium, cùm non ſit maior ratio, quare continuum diuidatur magis in vno puncto, quam in alio, & cur vna pars in vniuerſo, per interpoſitionem vacui, ma-

Digitized by Google

maneat diuiſa, quàm alia, ac proinde oppoſitum aſſerere, cum ſit fictitium, concludebant omnia eſſe vnum, immobile, & continuum, quod eſt contra ſenſum, & naturam ipſam, quæ eſt principium motus, & cauſa, demoliri tentauerunt, quapropter, vt irrationales.

In T. LIX. Arguit illos, quod abſque fundamento rationum, quinimo contra ſenſum ipſum, putauerint plura ad inuicem diſparata entia, eſſe tantum vnum ens, & idem eſſe ignem, & glaciem, albedinem eſſe nigredinem? Quis non dixerit hos eſſe mente captos, cùm ad inſtar dementium, iudicent mala pro bonis, & mala, bona eſſe propter apparentem conſuetudinem, quam habent iudicandi apparentia pro veris?

In T. LX. comparat poſitionem Leucippi cum illa Parmenidis, ac Meliſsi, & dicit in quibuſdam conuenire, & in alijs differre. Conueniunt quidem, quia omnes dicunt non eſſe motum ſinè vacuo, vacuum eſſe non ens, nihil, quod eſt non ens eſſe aliquid entis, & quod eſt propriè ens eſſe aliquid plenum. Diſconueniunt verò in multis, quia illi ponebant eſſe tantum vnum ens, & immobile, ac continuum, hic verò dicit eſſe multitudinem entium, & penè infinita, inter ſe diſcreta, illa dari in vacuo, quod illa congregata faciebant generationes, ſegregata autem corruptiones, ſecundum quod ſe tangebant actiones, & paſsiones, & demum, quod iſte admittebat rationes comuniores ſenſui, illi verò tantum apparentias, etiam ſenſibus repugnantes.

In T. LXI. Confert poſitionem Leucippi cum poſitione Empedoclis, quæ conſiſtit in ſequentibus. Primùm quod corpuſcula indiuiſibilia in vacuo faciebant generationes, ſi erant congregata, ſegregata verò corruptiones. Secundum dum ſe tangebant actionem, & paſsionem, cum verò mutabant ordinem, & ſitum, alterationem, & dum ſe penetrabant, augmentationem, & cum recedebant à ſeinuicem, diminutionem. Eadem ferme dicebat Empedocles, cum hac differentia, quod vbi Leucippus ponebat vnum vacuum, in quo indiuiſibilia operabantur, quæ diximus, Empedocles verò ponebat plura vacua, quæ ab eodem pori, ſiuè meatus dicebantur, in quibus corpora, quæ ſubintrabant, cauſabant actiones, paſſiones, & miſtiones, ac generationes, quas Leucippus fieri in vacuo per ingreſſum ſuorum corpuſculorum indiuiſibilium, quare in his conueniebant, licet in alijs diſcrepabant.

In T. LXII. oſtendit illorum diſcrepantiam dicens, quod ex poſteriore Leucippi facilius poterant dignoſci actiones, paſſiones, alterationes, & generationes, nedum miſtorum, ſed etiam elementorum per ſua indiuiſibilia, mutato ordine, ſitu, & figura in ſuo vacuo, quod conſtituebat, ſiquidem ponebat omnia conſtare ex illis, & in illa reſolui; cæterum Empedocles, quàmuis poterat demonſtrare actiones, paſſiones, & generationes Miſtorum ex quatuor elemen. tis, quæ omnium conſtituebat principia, non tamen valebat oſtendere generationes elementorum, cùm nulla eſſent ante illa quatuor, ex quibus coaleſcebant miſta, igitur meliùs poſuerat Leucippus ſuam opinionem, quam Empedocles, licet ambo defecerint, vt aliàs demonſtrauit.

In T. LXIII. Subinfert poſitionem Leucippi, in quibuſdam conuenire, & in alijs, diſconuenire à poſitione Platonis. Primò enim diſconueniebant, quia Leucippus ponebat ſua principia corpora ſolida indiuiſibilia, Plato verò ſuperficies indiuiſibiles. Secundo diſconuenibant, quia Leucippus ponebat ſua principia terminari figuris infinitis; Plato verò finitis tertio diſconueniebant, quia Leucippus faciebat ex ſuis principijs actiones, paſsiones, generationes, & corruptiones per congregationem, & ſegregationem; Plato verò per tactum. Leucippus in vacuo, quod ponebat, Plato verò extra vacuum, cùm illud dari negaret. Conueniebant verò in tribus alijs. Primo quia vtrique ponebant eorum principia indiuiſibilia. Secundo ambo terminata figuris. Tertio quia ambo ex eis faciebant generationes, & corruptiones, licet in modo forent differentes. Denique inquit non eſſe opus has de indiuiſibilibus poſitiones expugnare, cùm ſatis illas euerterit in tertio lib. de Cœlo, & Mundo.

In T. LXIV. conſiderans, ex poſitione Leucippi, & Democriti nonnulla inconuenientia oriri poſſe, decreuit aliquid contra ipſam dicere, & primo contra Leucippum,

pum, ſiquidem ex hac poſitione, ſequitur non poſſe aliquid agere, vel pati, & ſic neque durum aliquid erit, vel molle, frigidum, vel calidum, quæ per actionem fiunt, ſed hæc repugnant ſenſui, ergo, & poſitio huius Philoſophi. Sequela maioris probatur, quia per ipſum nihil pati poteſt, niſi per vacuum, ſed corpuſcula, ab eodem poſita, non ſunt vacua, verùm ſolida, vt ipſe fatetur, ergo per ipſa nihil agere, aut pati poterit.

In T. LXV. arguit ſecundo contra Leucippum reducendo ipſum ad inconueniens, quod ipſe negabat ponendo indiuiſibilia impaſsibilia; nàm ſi ratione figuræ circularis indiuiſibilia poſſunt eſſe calida, ſiquidem tali figuræ attribuitur cauſalitas caloris, ex eius opinione, ergo etiam debent eſſe frigida ratione alterius figuræ. Conſequentia tenet, quia poſito vno contrariorum in natura, ponendum eſt etiam de neceſsitate alterum, ſed calidum, & frigidum ſunt contraria, ergo ſi indiuiſibilia, ratione figuræ circularis, cauſant calorem extra vacuum, & frigus cauſare poterunt ratione alterius figuræ extra vacuum, & ſic molle, & durum, graue, & leue, quæ ſunt contraria, ac proinde poterunt agere, & pati, generare, & corrumpere extra vacuum, quod à te negatur ò Leucippe.

In T. LXVI. Arguit tertio contra eundem, & Democritum, cum ſit eiuſdem ſententiæ; ſi in indiuiſibilibus, datur magis, & minus, quia vnum eſt grauius altero, calidius altero, ergo per vos, indiuiſibilia agunt, & patiuntur à ſeinuicem, ſiquidem grauius agit in minus graue, calidius in minus calidum, ſed per vos, talia indiuiſibilia non ſunt vacua, ergo agere, & pati poteſt dari, & non in vacuo, quos negatis.

In T. LXVII. Arguit quarto contra eoſdem à ſimili, ſi in iſtis indiuiſibilibus ponantur durum, & molle, vt conamini fateri ex argumento ſecundo contra vos confecto, ergo & fateri debetis, in eiſdem admitti actionem, & paſsionem, ſiquidem molle comprimenti cedit in ſe, ſed indiuiſibilia non ſunt vacua, ergo actio, & paſsio fieri poterit extra vacuum, quod vos negatis.

In T. LXVIII. Affert quoddam effugium, quo niti poſſunt euertere argumenta iam facta, dicendo, quod ſuis indiuiſibilibus non inſunt qualitates, & ſic eneruant argumenta de agere, & pati, extra vacuum: Vel dicere poterunt, ineſſe ſibi vnam qualitatem tantum, ratione vnius figuræ, nimirum vni calorem, & non frigus; alteri duritiem, & non mollitiem, & ſic de cæteris, ac proindè non poterunt agere in ſeipſa. Verùm ſic reſpondendo nequeut effugere inconuentia, quia vel plures qualitates inſunt ſingulis illorum vel vna tantum, ſi dicatur vna tantum, ſequitur, illa non eſſe omnia eiuſdem naturæ, nàm ex diuerſis accidentibus, arguere debemus diuerſas naturas in ſubiectis, ſed eſt contra vos, qui dicitis, talia corpuſcula eſſe eiuſdem naturæ, & differre ſolum figura: Si verò dicatur, ſingulis in eſſe plures qualitates, ergo idem indiuiſibile habebit plures qualitates oppoſitas, & ſic patietur ſecundum quod infrigidatur, calefaciendo, & frigefiet ſecundum caliditatem, quod eſt impoſſibile, & ſic de alijs.

In T. LXIX. Reprehendit Platonem, quoniam ſentiendo cum Democrito in principijs indiuiſibilibus, cogitur, & ipſe ſubire eadem inconuenientia, quæ oſtendimus militare contra Democritum, & etiam Leucippum: Nàm apud illos, neque rariora, neque denſiora eſt poſſibile generari, vacuo non exiſtente, in ipſis indiuiſibilibus, ergo ſicut non erit in corporibus rarum, & denſum, ſic nec ſecundum Platonem, qui pariter in ſuis planis negat dari vacuum, poterit gigni ex eis durum, & molle, calidum, & frigidum, & aliud quippiam ſimile, & ita tolletur de medio actio, & paſſio, quæ prouenit ex contrarijs, quod eſt maximum inconueniens.

In T. LXX. Proſequitur impugnare Democritum, qui dicebat quidem, ſua indiuiſibilia ob ſuam paruitatem non poſſe partiri, ſecùs ſi forent magna; vrget Ariſtoteles argumentum contra ipſum ex conceſſis ab eodem; námque magnum, & paruum ſunt eiuſdem generis, quantitatis videlicet, ergo ſi paruis ineſt, vt ſint penitùs impartibilia, & magnis pariter debet ineſſe huiuſmodi impartibilitas; vel econuersò, ſi

ma-

Digitized by Google

magnis ineſt diuiſibilitas, cur & paruis ineſſe non debeat, licet non cum tanta facilitate? Vtique vtriſque diuiſibilitas debetur, cùm ſint quanta, & quantitas omnis diuiſibilis eſt.

In T. LXXI. Nititur in totum eliminare indiuiſibilia Democriti, & aliorum, argumento deſumpto ex natura diuiſionis. Sumantur igitur omnia indiuiſibilia, ab eiſdem aſſerta, & quærimus, an omnia ſint eiuſdem naturæ; & eſſentia, vt ignis, & aqua, ac ſolo numero differentia; vel alterius naturæ, & differentia, vt altera ab alteris, nempe altera ignea, & altera terrea, ſed neutrum dicere poſſunt, ergo nec talia indiuiſibilia admittere debent. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minor probatur. Non poſſunt dicere, eſſe eiuſdem naturæ, & ſolo numero differentia, quia non poſſunt demonſtrare cauſam; quæ illa ſic diuiſerit, & cùm ſe tetigerint adinuicem, quam non coeant in vnam naturam, ſicut faciunt partes ignis, vel aquæ cum ſe tangunt, quia ſunt eiuſdem naturæ, & ſolo numero differunt. Neque poſſunt dicere, eſſe alterius naturæ; quia tunc eæ conſtituendæ forent principia rerum, quæ ex atomis pendent, & non figuræ, quas pro principijs poſuerunt; ſiquidem illæ eſſent ſubſtantiæ, & figuræ accidentia, modò ſubſtantiæ, & non accidentia, debent eſſe ſubſtantiarum principia.

In T. LXXII. Confirmat, non poſſe talia fore alterius naturæ, quia tunc deberent fateri, quod prius negauerunt, nempe vnum ab altero pati, cum adinuicem ſe tetigerint: ſiquidem actio, & paſſio oritur ex contactu eorum, quæ ſunt contraria, vel diſparata, ac alterius naturæ à ſeinuicem, vt dictum eſt ſuperius.

In T. LXXIII. Iterum arguit contra poſitionem Democriti, in eo, quod dixerit fieri generationes per congregationem atomorum, nam ſi atomi congregantur, vt fiant generationes, quærit, vel à ſe, vel ab alio mouentur, neutrum dici poteſt à Democrito, ergo perperam ſomniauit, illa congregari ad generationes obeundas. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minorem probat: Non poteſt dici ab alio, quia tunc in eius contactu paterentur ab eo, & ſic forent paſſibiles, quod ipſe negabat. Nec a ſe, quia in ſingulis oporteret aſſignare partem mouentem, & quæ moueretur, & ſic faceret eas indiuiſibiles, diuiduas, quod pariter eſſet contra ipſum, vel ſaltem deberet admittere duo contraria vnaquaque, nempè mouere, & moueri, quod nec ipſe concederet, igitur potiùs dicere debet, non adeſſe tales atomos, quam ponere illas ad inuicem congregari debere ad generationes faciendas.

In T. LXXIV. occurrit cuidam tacitæ reſponſioni, quæ adhiberi poſſet præcedenti argumento, dicendo, contraria poſſe ineſſe vni ſubiecto, quod ſit, realiter idem numero, differens tamen potentia, & ratione, & ſic non inconuenit, mouere, & moueri reperiri poſſe in ſingula atomo, quæ ſit vna realiter, & differens potentia, ac ratione, ſeù formaliter. Verùm hæc reſponſio non ſoluit argumentum; quandoquidem atomi ſunt penitùs indiuiſibiles, nedùm realiter, ſed etiam formaliter, cum ſint principia, ac proindè non habent partes potentia, vt vna poſſit fundare rationem mouendi ſe actiue, & alterà paſſiuè, & ſic mouere, & moueri.

In T. LXXV. Oſtendit non poſſe fieri actionem, & paſſionem per ingreſſum atomorum intra poros, qui ſint pleni nàm ſublatis poris, totoque corpore exiſtente continuo, ſequitur actio, & paſſio, ergo ſuperfluit ingreſſus atomorum intra poros ad ponendam actionem, & paſſionem. Conſequentia tenet. Antecedens probatur, quia intantum admittitur ingreſſus atomorum, vt ex talium expulſione admittatur ingreſſus corporum agentium ad actionem, & paſſionem per agendam; atqui hoc fieri poterit in continuo, altera parte alteri cedente, ergo non eſt opus, vt ingrediantur poros, ad hoc, vt expellantur atomi, cedantque locum agentibus, vt agant, & patiantur.

In eodem T. LXXVI. Probat non eſſe neceſſariam expulſionem corpuſculorum ex meatibus, vt facilius fieri poſſet viſio; nàm ſiue pori pleni ſint, ſiue totum corpus ſolidum exiſtat, eadem difficultas apparebit in cauſatione viſionis, quia vtrobique aderit corpus plenum: ſi vacui pori ſint, non tamen ſimpliciter, cùm adſint in eis

Digitized by Google

corpora ſubtilia, eadem difficultas apparebit, ſiquidem quacunque ratione pleni ſint, poterit ſine ipſis fieri actio, & viſio, quandoquidem plenum opponitur meatui, igitur totum plenum idem eſt, ac ſine meatibus, ac proindè cum viſio eſſe poſſit in meatibus plenis, ac in corpore ſolido, ad quid egebit expulſione corpuſculorum, vt fiat?

In T. LXXVI. Concludit omninò ſuperfluum eſſe ponere meatus ad agendum, & probat hac ratione, nàm agens, vel aget per contactum, vel non ſi per contactum, igitur fruſtra ponuntur meatus, cum contactus fiat in ſoliditate: ſi non aget per tactum, ergo omnino non aget, cùm omnis actio phyſica ſit inter ea, quæ ſe tangunt, & per conſequens, licet agens ſubintret poros, non propterea aget, quia ingredi non eſt agere, ſed rem applicari, vt per contactum agat: quare ſi per contactum non agit agens, omninò non aget.

Quoad ſextum Caput, in quo, exploſis Antiquorum opinionibus circa Agere, & Pati, ponit propriam ſententiam, oſtenditque quonam pacto fiat generatio, actio, & paſſio ſecundum veritatem: Vndè in T. LXXVII. Recolendo principium, quod poſuerat de generatione, applicat illud ad actionem, & paſſionem dicens: quemadmodum ad generationem exigitur, vt vnum ſit potentia, & aliud actu ſubſtantia, ita in actione, & paſſione debet prærequiri, vt vnum ſit potentia, & aliud actu diſpoſitum ad agendum, & patiendum, v. g. id dicitur calefacere, quod eſt actu calidum, & illud dicitur calefieri, quod eſt in potentia ad recipiendum in ſe calorem; non per meatus, vt dicebant Antiqui, ſed per contactum agentis in omni parte paſſi debite approximata, atque apte diſpoſita ad recipiendum calorem. Et ſi contingat vnam partem eſſe magis, vel minus diſpoſitam, talis, quodammodo poterit appellari ad inſtar meatus, vt patet in rebus metallicis in quibus, venæ quædam cùm ſint magis diſpoſitæ ad effectionem, quàm aliæ partes, poterunt vocari meatus continui. Ex quo inferendum eſt, quod ſi actiua nata ſint agere, & paſſiua nata ſint in omni parte pati, exiſtantque in debita approximatione, vt ſeinuicem tangant, omninò erit actio, & paſſio.

In T. LXXVIII. Ex dictis infert duo corollaria, & vnam concluſionem. Primum corollarium, quod connatum, ſeù continuum, ſecundum omnes partes, ſit impaſſibile, ſiquidem ad paſſibilitatem requiruntur duo, quorum alterum ſit natum agere, & alterum natum pati. Secundum corrollarium, quod non tangentia inſeinuicem ſunt impaſſibilia, ſiquidem ad agere, & pati requiritur, vt vnum tangat aliud. Concluſio, quæ ſequitur ex his, ſubditur, cum inquit, Dico autem, vt non ſolùm tangens calefacit ignis, ſed & ſi longe ſit, aerem enim ignis, aer autem corpus calefacit, hoc eſt dictu, quod ad agere, & pati, exigitur quidem contactus, at non ſemper immediatus, ſed interdum ſufficit mediatus, vt liquet videre in exemplo de igne calefaciente aerem immediatè, & per ipſum aerem, corpus.

In T. LXXIX. Aliam conditionem ad agendum, & patiendum aſsignat, dicens, ad hoc, vt patiens ab agente patiatur non ſufficere, vt ſecundum vnam partem tangatur ab agente, & non ſecundum aliam, vt cogebantur dicere, qui ponebant fieri actionem, & paſsionem per indiuiſibilia, ſed exigi, vt ſecundum omnes tangatur, ſecundum quas diuiſibile exiſtit. Hoc tamen animaduerſo, quod licet ad actionem & paſsionem requiratur diuiſibilitas in patiente ſecundũ omnes partes, non eſt, vt totũ ſit actu diuiſũ, ſed ſufficit, vt diuidi poſsit.

In T. LXXX. confirmat, id, quod dixerat in præcedenti, quod ad patiendum non requiritur diuiſio continui actualis in partes, vt ſuſtinent, qui ponunt indiuiſibilia, veluti partes actu diuiſas, quandoquidem videmus idem corpus continuum exiſtens, quandoque humidum, quandoque gelatum, hæc non pati per diuiſionem partium, aut per tranſmutationem corporum indiuiſibilium, vt dicebat Democritus, ſed totum corpus, interdum humidum, interdum ſiccum, ergo dicendum eſt, ad paſsionem ſufficere corpus eſſe diuiſibile, & poſſe tranſmutari de vna in aliam qualitatem contrariam ſecundum omnes partes.

In T. LXXXI. Denique inſectatur opinionem de corpuſculis, dicens, ſecundum illam non poſſe fieri augmentationem, aut diminutionem; quandoquidem augmentatio viuentis fit, per intus ſum-

ptionem

ptionem alimenti per omnes partes eiuſdem, vt ſuperius dictum eſt, at per appoſitionem indiuiſibilem corpuſculorum, non augerentur omnes partes, ſed tantum illæ, quibus fieret appoſitio, & per oppoſitum non diminueretur totum, ſed tantum illæ partes, à quibus fieret amotio, ergo ſuſtinendo illam opinionem, è medio tollerentur augmentatio, ac diminutio, quod eſſet maximum inconueniens.

Quoad ſeptimum caput, in quo acturus de Miſtione eſt, vt ſatisfaciat plenè omnibus, quæ agenda propoſuit ſuperius in t. 43. in præſenti T.LXXXII. proponit quaſdam dubitationes de Miſtione. Primo enim dubitat, quid ſit Miſtio. Secundo quid ſit miſtibile. Tertio in quibus rebus ſit miſtio. Quarto qua ratione fiat miſtio, & Quinto vtrum ſit in rerum natura. Et quoniam quæſtio, ſi eſt, ordine doctrinæ debet præcedere omnes alias quæſtiones, propterea de hac primùm inuiſtigandum eſt. Vnde recitat opinionem quorumdàm, qui putabant Miſtionem nullam eſſe in rerum natura, hoc argumento ducti. Nàm, quæ miſceri dicuntur, debent eſſe ſaltem duo: vel igitur in miſtione ambo conſeruantur, formamque ſuam retinent; vel ambo corrumpuntur: vel vnum tantum corrumpitur, & alterum manet. Si dixerimus ambo conſeruari, tunc non poterimus diſcernere, an magis dicantur miſceri, cùm in vnum conuenerint, quàm antea, cùm in eis minime appareat aliqua mutatio. Si ſecundum concedemus, eodem pacto conamur dicere, nullam eſſe miſtionem, ſiquidem ea, quæ amplius non ſunt, nequeunt eſſe miſta. Si tertium fateamur, neutiquam miſtio eſſe poterit, cùm id, quod manet, miſceri minime poteſt cum eo, quod corrumpitur, ergo cum nullo pacto illa duo vniri poſſint, nec miſtio admitti poterit in rerum natura.

In T. LXXXIII. priuſquam reſpondeat ad argumentum, præmittit duo. Alterum, quod miſtio differat à generatione, & corruptione; & miſcibile à generabili, & corruptibili. Alterum verò quod differat ab augmentatione, & alteratione. Primum oſtendit dicens, quod cùm ex ligno ignis ardet, non dicimus ignem miſceri ligno, nec lignum miſceri igni, ſed ignem generari, & lignum corrumpi, igitur miſtio differt à generatione, & corruptione, & miſcibile à generabili, ac corruptibili. Secundum pariter demonſtrat, nàm quæ augentur, & alterantur, manent eadem ſalua, non verò quæ miſcentur: ſiquidem accidentia, quæ vniuntur ſubiectis, vt quantitas, & qualitas corporibus, poſt coniunctionem eadem perſeuerant, ergo ſignum quod non erant ad inuicem miſta, ſiquidem ea, quæ miſcentur, non manent eadem ſaltem actu, ſed corrumpuntur, igitur miſtio differt etiam ab augmentatione, & alteratione.

Hinc reprehendit Anaxagoram, qui ponebat omnia eſſe miſta in ſuo Chao, & Anaximandrum, omnia miſceri poſſe ad inuicem, cùm ſenſibus appareat multa habere repugnantiam, vt ſimul conſiſtere valeant, tam in accidentibus, quàm in ſubſtantijs.

In T. LXXXIV. His præmiſſis, reſpondet ad propoſitam dubitationem, dicens, dari in rerum natura veram miſtionem, diſtinctam à generatione, & corruptione, augmentatione, & alteratione, quam, vt oſtendat, ſupponit dari in entibus, alterum, quod ſit in actu, & alterum, quod ſit in potentia, atque hinc inferendum, aliquo modo eſſe actu, & aliquo modo non exiſtente igitur miſto in actu, ex miſcibilibus generatio, ſicut eſt quid diuerſum ab illis, ſic dicendum eſt, aliquo modo illa contineri in eodem, à quibus habet eſſe, non quidem actu, vt erant antequam vnirentur, ſed potentia, & virtute; ac proinde concluditur non eſſe totaliter deperdita, vt accidit in generatione, & corruptione; nec totaliter integra, vt occurrit in augmentatione, & alteratione, ſed eſſe virtualiter in miſto: ſaluatur enim virtus eorum. Ex quibus habetur, miſtionem eſſe mutationem miſcibilium, quæ aliquomodo ſunt in miſto, & aliquo modo non: hoc eſt in virtute ſunt in miſto, non vero in actu.

Hinc ad argumentum reſpondendum eſt, conſequentiam non valere, quia deficit quartum membrum diuiſionis, videlicet, aliquo modo eſſe actu, & aliquo modo non, in quo conſiſtit vera ratio miſtionis, vt dictum eſt.

In T.LXXXV. tranſit ad declarationem quartæ dubitationis, vbi quærebatur, quo modo fiat miſtio, & antequam reſpondea de mente propria, recitat duos modos, qui-

Digitized by Google

bus aſſerunt, fieri miſtionem Primus modus ponendi miſtionem, eſt cum aliquid ita minutim diuiſum, alteri iuxta ponitur, v per ſenſum diſcerni, alterum ab altero queat, vt ſi grana hordei ſic miſta eſſent granis frumenti, vt per ſenſum diſcerni ne queant, quæ ſint grana tritici, vel hordei. Secundus modus, quo prior refellitur, dicit, priorem non eſſe veram miſtionem, verùm miſtio bona tenenda erit, quando quæcunque particula ſit totaliter iuxta alterius miſcibilis partem, vt fer aliquo pacto ſe penetrent; vel ſaltem ſint ſecundum quodcumque ſignum diuiſæ, ita vt partes vtriuſque miſsibilis; ſicut ſunt in infinitum diuiſibiles, ita in miſtione ſint vndequaque diuiſæ, & ſic omnes miſceantur. Hic modus differt à primo, quia ille ponit partes cum aliqua quantitate, & non penitùs diuiſas, huc verò nequaquam; iſte tamen infert primum, ſiquidem ea, quæ ſit miſta dicuntur, etiam ſenſui videntur miſta, quia ſic diſtincta minime cognoſcuntur à ſenſu; hic tamen non infertur à priori. An autem videatur vter melior, vel peior; vel vterque inſufficiens modus ponendi miſtionem, videndum erit in ſequenti.

In T. LXXXVI. in quo vtrumque modum reprobat, & poſteà aliqualiter tradit modum veræ miſtionis, reſpondet quæſito iam propoſito. Primus modus ſuſtineri non poteſt; tùm quia non diſtingueretur miſtio à compoſitione, quod tamen eſt falſum; nàm vinum aqua temperatum miſtum quidem dicimus, non verò compoſitum: Econuerſò verò domum ex lignis, & lapidibus conſtructam, compoſitam dicimus, non autem miſtam: tùm quia nullum corpus diuiditur in partes minimas determinatæ quantitatis, itaut manere poſſint, & non corrumpantur: tùm etiam, quia ſi alicui appareant miſtæ, linceos oculos habenti, videbuntur diuiſæ, & immiſtæ, igitur nequit dari vera miſtio partium tantùm ſecundum apparentiam ſenſus: tùm etiam, quia in miſtione quælibet pars eſt eiuſdem rationis cum ſuo toto, vt miſta eſt; ſicut enim quælibet pars aquæ eſt aqua, ita quælibet pars miſti debet eſſe miſta; non ſic autem poterit eſſe miſtio ſecundum paruas partes, quinimò ſingula eſſet ab altera diuerſa, & ſic non dicerentur miſtæ, ſed ſolum aggregatæ. Neque ſecundus modus veram miſtionem declarat, nempe per diuiſionem partium, quæ iuxta ponantur; tùm quia impoſsibilis eſt talis diuiſio in continuo: tùm etiam, quia daretur minimum in continuo, & ſic foret compoſitum ex indiuiſibilibus; tum denique, quia eſſe iuxta poſitio, & non miſtio partium. Concludendum igitur, vel nullam dari miſtionem, vel alium ponendi modum inueſtigandum eſſe, vt ponatur vera miſtio.

Quoad Caput octauum in quo ponit veram rationem miſtionis de mente propria, in T. LXXXVII. præmittit quædam neceſſaria ad veram miſtionem conſtituendam, ac dignoſcendam. Primum quod entium, aliqua ſunt actiua, & aliqua paſsiua. Secundum quod illa, quæ ſunt actiua, & paſsiua habent materiam communem, in qua fiant actio, & paſsio conuertibiliter. Tertium quod ea, quæ materia carent communi, non miſcentur ad inuicem, licet vnum poſſit agere in aliud, defectu cuius, cœleſtia nequeunt miſceri ſublunaribus, licet illa poſsint in hæc agere, & hæc pati: ſimiliter nec ars medicatiua facit ſibi miſtam ſanitatem, neque ſanitas dicetur miſceri corporibus, cum horum nulla conueniant in materia communi.

In T. LXXXVIII. proſequitur conditiones neceſſarias ad miſtionem faciendam, & ideò, quartum quod præmittit in ordine eſt, quod actiuorum, & paſsiuorum communicantium in materia, non omnia miſceri poſſunt, ſed ea ſolùm, quæ ſunt facilè diuiſibilia, qua de cauſa ferrum cum lapide miſceri nequit; ſed vltra hoc, exigitur etiam, quod huiuſmodi diuiſibilia habeant æqualem proportionem ad inuicem, vt poſsint agere, & pati, defectu cuius, licet multa paucis, magna paruis vniantur ad compoſitionem, & augmentationem faciendam, quia altera mutantur in naturam dominantis, amittendo proprias formas vt patet, de gutta vini, poſita in decem millibus congijs aquæ, non tamen miſcentur ad inuicem, quia carent proportione adæquata actiui, & paſsiui.

In

In T. LXXXIX. ponit alias conditiones neceſſarias ad prænotionem miſcibilium; nimirum ſuppoſito, quod aliqua ſint actiua, & paſſiua, de facili diuiſibilia, & adæquata in potentijs, hoc eſt proportionata in actione, & paſſione, tunc illa dicuntur mutari, non vt vnum conuertatur in alterum, ſed ex vtriſque fiat aliquod commune, in quo virtualiter conueniant, & contineantur, & ſic illa dicentur miſceri.

Ex his infert aliqua, quæ neceſſariò præmitenda ſunt, ad mixtionem clariùs dignoſcendam. Primò, quod parua citiùs miſcentur, quàm magna; illa ſiquidem faciliùs ſe inſinuare poterunt, quam magna, vt adinuicem agant, & patiantur. Secundò, quod humida, niſi tenacia, & viſcoſa ſint, faciliùs commiſcentur, & reddit rationem prioris partis, quia humida ſunt de facili diuiſibilia, & in ſe inuicem penetrantia; cæterum oleum, mel, & pinguedo, cum difficiliùs ſeparentur propter viſcoſitatem, & lentorem, difficiliùs poſſunt vniri, vt in ſe inuicem agant, ac patiantur, quapropter licet vniantur ad magnitudinem aliquam maiorem faciendam, non tamen hoc facere poterunt ad vnionem mixtionis, vt ex eis fieri valeat aliquod tertium commune. Tertio cum alterum miſcibilium ſolum patiatur; aut alterum vehementer agat, alterumue nimis patiatur, aut remiſsè ſolum agat: tunc vel nulla ſequitur mixtio, aut ſaltim parua, & dat exemplum de ære, & ſtamno dùm liquefiunt ſimul; nam quoniam æs fortius agit in ſtamnum, adeout ſolum patiatur, aut nimis remiſsè reagat in illud, tunc ſoluitur eius forma, vt de illo nihil appareat præter colorem.

In T. XC. & vltimo, colligit ex his, quæ hactenus dixerat, reſponſionem ad primam, & ſecundam dubitationem initio propoſitas dicens, miſcibilia eſſe quæcumque entia, actiua, & paſſiua, facilè diuiſibilia, & facilè terminabilia, vt ſunt omnia humida, præter lentorem habentia, ſeù viſcoſa. Mixtionem verò eſſe miſcibilium alterationem vnionem; hoc eſt, miſcibilium, quæ nec actualiter manent, nec totaliter deperduntur, ſed quæ ſeruant potentiam, ſeù virtutem in mixto, ex illis generato. Et hęc de textu huius primi libri de Generatione, & Corruptione dicta ſint ſatis.

De Actione, Reactione, ſeù Paſſione, ac Mixtione.

DISPVTATIO III.

CVm in præſenti Diſputatione, ſequendo ordinem textus Ariſtotelici, & Quæſtionum, quas exagitare ſolent Doctores, cùm Antiqui, tum Recentiores, priùs agendum nobis eſſet de Contactu requiſito ad Actionem, & Paſſionem, ac Mixtionem, at poſteà de cæteris ſucceſſiuè, vt monuit Ariſtoteles eſſe faciendum cap. 1. huius Summæ, deberemus & nos proponere difficultates; quæ ſuper ijs oriri noſcuntur: Verùm quoniam de omnibus his egimus, quantum opus eſſe poterat pro noſtra intentione, in 7. Phyſicorum diſput. 1. quæſt. 1. & in 2. de Anima diſp. 3. quæſt. 4. & quæſt. 7. vbi diſputauimus cum Aduerſarijs de Contactu, ſeù ſimultate agendi, & patiendi, de Actione, & Reactione Agentis, & Patientis, ac de Mixtione Elementorum in Mixtis formali, vel virtuali, propterea ab eiſdem abſtinentes, nè cogamur repetere ea, quæ iam diximus, aut ſuperuacanea tradere, nonnullas alias quæſtiones, quas minimè diſcuſſimus, in præſenti exagitare tentabimus, illaſque enodare, ac ſoluere iuxtà mentem Doctoris Subtilis, ne hos textus, ſuis viduatos difficultatibus, negligere videamur. Sit igitur prima quæſtio: Vtrum ad actionem requiratur maior actiuitas in Agente, quàm reſiſtentia in paſſo? Secunda: Vtrum ſimile poſſit agere in ſibi ſimile? Tertia: Vtrum Agens poſſit producere effectum omninò ſibi ſimilem? Quarta: Vtrum eadem qualitas poſſit ſeipſam intendere? Quinta: Vtrum Agens alterans poſſit repati ab alterato? Sexta: Vtrum Mixtio ſit naturaliter poſſibilis? Septima: Vtrum Mixtio diſtinguatur à generatione? Octaua: Vtrum Mixtionis diffinitio ſit rectè tradita ab Ariſtotele?

(∴)

Digitized by Google

Vtrum ad Actionem ſit neceſſaria maior actiuitas in agente, quam ſit reſiſtentia paſſi? Et in quo vtraque conſiſtat?

QVÆSTIO I.

CIrca primam partem huius quæſtionis duplex reperitur oppoſita ſententia, quarum prima aſſerit non eſſe ſemper neceſſariam proportionem maioris inæqualitatis ad hoc, vt agens agat in paſſum, ſed ſufficere proportionem minoris inæqualitatis; hoc eſt, non eſſe ſemper neceſſarium, vt actiuitas agentis ſuperet reſiſtentiam paſſi, vt ſequatur actio, verùm poterit ſequi etiam ſi actiuitas agentis minor fuerit reſiſtentia paſſi. Ita Burlæus 3. Phyſicorum ad. t. 16. quem refert, ac ſequitur Toletus lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 13. & q. 15. & Valleſius ad Tyrones controu. 44.

Secunda Sententia, huic omninò oppoſita, ſuſtinet, repugnare penitùs, dari poſſe aliquam actionem, quæ non ſequatur à proportione maioris inæqualitatis, ideſt, quod actiuitas agentis non ſuperet reſiſtentiam formalem paſſi. Ita colligitur à Doctore Subtili in 2. d. 2. quæſt. 9. ſub Y. d. 19. quæſt. vn. ſub A. & in 3. d. 16. quæſt. 2. ſub C. & in 4. d. 44. quæſt. 1. ſub E. quibus in locis aſſerit agens in agendo repati quidem à paſſo, & debilitari ob eius reactionem, ſuperare tamen actiuitate ſua illud, vt in ipſum agere valeat. Doctorem Subtilem ſequuti ſunt, quamuis illum pro ſe non adduxerint, Rubius hic capit. 9. de Actione, & Reactione quæſt. 3. num. 72. Murcia diſput. 4. quæſt. 5. Ioannes à S. Thoma quæſt. 5. art. 3. Curſus Carmelit. diſput. 8. quæſt 3. §. 3. quos citat ac ſequitur ex noſtris Merinero diſput. 6. quæſt. 3. num. 5. Maſtrius diſp. 2. quæſt. 1. art. 2. num. 15. & Rubeus diſp. 6. quæſt. 2. §. Dico cum Scoto 2. d. 2. quæſt. 9. ſub Z. ac alij ab iſtis relati.

Circa ſecundam partem, ſi ſermo ſit de actiuitate, qua agens nititur agere in paſſum, nulla apparet eſſe controuerſia, quandoquidem omnes conueniunt, illam eſſe virtutem, qua agens conatur vincere paſſum, inducendo formam contrariam ei, quam habet idem paſſum, vt patet de calìditate, qua ignis agit in aquam, vt expellat ab illa frigiditatem, & inducat ſuam calìditatem: cæterùm ſi agatur de reſiſtentia, qua paſſum nititur impedire agens, ne valeat inducere formam incompoſſibilem ei, quam habet, vel ſaltem non ità facile, in quo conſiſtat, deſſident Doctores à ſeinuicem: Nàm aliqui putant conſiſtere in actione, qua paſſum reagit in agens ſibi contrarium, vt exempl. grat. in frigefactione, qua aqua conatur debilitare actionem ignis, ne ſua calefactione valeat expellere à ſe frigiditatem, & inducere calorem illi incompoſſibilem. Ita docet Iauellus 9. Metaph. quæſt. 2. Soncinas ibidem quæſt. 6. Valleſius controu. 11. ad Tyrones, ac alij non pauci.

Alij verò ſuſtinent huiuſmodi reſiſtentiam, ſitam eſſe, non in reactione, vt cenſent præcedentes Doctores, ſed in forma paſſi, contraria formæ agentis, quæ nimirum conatur conſeruare ſe in eodem paſſo, ne cogatur ipſam abijcere, & aliam recipere. Sic Marſilius de Generat. & Corrupt. quæſt. 19. Saxonia ibidem quæſt. 16. Paulus Venetus capit. 25. ſum. de Generat. & alij, quos referunt Recentiores.

Alij verò, putantes conciliare has duas ſententias, diſtinguunt de reſiſtentia actiua, & paſſiua, ſeu formali, dicuntque actiuam conſiſtere in reactione paſſi in agens, vt docet prior ſententia; paſſiuam verò, ſiuè formalem, ſitam eſſe in forma, informante paſſum, vt ſuſtinet poſterior opinio. Sic Merinero hic diſp. 6. quæſt. 1. num. 5. & de vtraque videtur locutus Doctor Subtilis in præcitatis locis, & præſertim in 2. d. 19. quæſt. vn. in fine literæ A. & in 4. d. 44. quæſt. 1. ſub E. cui, & nos ſubſcribere debemus, ne à Magiſtro deflectere videamur.

Pro declaratione, ac reſolutione vtriuſque partis huius quæſtionis primo notandum eſt, ex Ariſtotele hic t. 50. & 51. actionem eſſe habitudinem agentis ad paſſum, paſſionem verò eſſe habitudinem paſſi ad agens: & quoniam agens, & patiens ſunt contraria, inferendum eſt, actionem eſſe habitudinem contrarij agentis in contrarium patiens; & paſſionem eſſe habitudinem contrarij patientis in contrarium agens: Verum quia contraria ſunt talis naturæ, vt pugnent adinuicem, alterum pro alterius debellatione; alterum autem pro alte-

alte-

alterius debilitatione, ac ſuipſius conſeruatione, dicendum eſt, virtutem illius eſſe actionem corruptiuam; huius verò paſsionem reſiſtitiuam, ac impeditiuam, nè ſequatur illius victoria, & huius deperditio, quæ communiter appellatur reactio patientis in agens. His ſuppoſitis quæritur modo, an ad poſitionem actionis corruptiuæ erga paſſum, ſit neceſſarium ſemper ponere in agente virtutem actiuam maiorem, quàm ſit virtus reſiſtitiua patientis, ſeu paſſi? vel ſufficiat minor virtus agentis, etiamſi maior fuerit virtus reſiſtitiua in patiente?

Secundò. Notandum eſt, ex eodem Ariſtotele ibidem, & ex Doctore Subtili in præcitatis locis, victoriam, quam alterum contrariorum de altero reportare intendit, dependere à maiori virtute contrarij agentis in contrarium patiens; ſiquidem, vt adinuicem pugnent cum victoria alterius, debent eſſe diſſimilia in virtute, adeò vt vnum aliud ſuperet, alioquin ſi fuerint ſimilia omninò, nec pugnabunt in ſeinuicem, vel ſaltem nulla ſequetur victoria; inquit enim, Philoſophus in t. 51. *Manifeſtum eſt, quod actiua, & paſſiua ad inuicem ſunt contraria, etenim omninò generatio, & corruptio in his. Ideo, & rationabile iàm ignem calefacere, & frigidum infrigidare, & omninò actiuum aſsimilare ſibi ipſi patiens faciens enim, & patiens contraria ſunt & generatio in contrarium: quapropter neceſſe eſt patiens in faciens tranſmutari, ſic enim erit in contrarium generatio.* Et Scotus in 4. d. 44. q. 1. E. inquit, *quanto agens merè naturale magis continuat actionem in contrarium, tanto magis debilitatur eius virtus, quia omne tale agens repatitur in agendo, & quia agit in contrarium patitur ab ipſo, quam actionem vocat Philoſophus corruptiuam.* Ex quibus manifeſte infertur, quod ad hoc vt agens contrarium de ſua pugna in agendo reportet victoriam de ſuo contrario, debet eſſe maioris virtutis actiuæ, quàm ſit virtus reſiſtitiua patientis contrarij, alioquin per hanc, illa debilitata, non poterit eſſe ratio agendi, ſed potiùs patiendi ab ipſo paſſo, ſeù patiente; ſecundò infertur quod ab alijs dicitur in alijs terminis, nempe actionem fieri debere ſemper à proportione maioris inæqualitatis, & numquam minoris inæqualitatis; nam actionem fieri à proportione maioris inæqualitatis, nil aliud eſt, quàm quod virtus agentis ſit maior reſiſtentia paſſi; actionem verò fieri à proportione minoris inæqualitatis, nil aliud importare, quàm quod virtus agentis ſit minor reſiſtentia paſsi; cum igitur concluſum ſit, non poſſe agens contrarium reportare victoriam de patiente contrario, niſi habeat maiorem virtutem agendi, quàm paſſum reſiſtendi, dicendum eſt, neceſſariò fieri actionem debere à proportione maioris inæqualitatis, & non aliquando minoris inæqualitatis.

Tertio. Notandum eſt, vt colligitur ex Scoto in ſecundo d. 19. q. vn. A. & in tertio d. 16. q. 2. C. & in quarto D. 44. q. 1. ſub E. paſſum reſiſtere agenti, nil aliud eſſe, quàm per ſuam virtutem impedire, aut debilitare, ne agat in ipſum, vel ſaltem non tàm citò, & ita facilè; hoc autem contingere, vel per reſiſtentiam actiuam, reagendo nimirum ſua virtute in ipſum agens debilitando eius virtutem actiuam, nè ità fortiter, ac expeditè agat ad eius deſtructionem: vel per reſiſtentiam paſsiuam, opponendo ſibi ſuam formam contrariam, & incompoſsibilem cum forma agentis, nihil tamen operando in illam. Prior reſiſtentia vocatur reactio, quia per ipſam impugnat actionem agentis, illamque ſuo conatu debilitat, nè tàm facilè in ſui exitium erumpat, introducendo propriam formam, & ſic acqua ſua frigefactione reſiſtit calefactioni ignis, illam debilitando, vt non tàm facilè introducere valeat caliditatem, oppoſitam ſuæ frigiditati. Poſterior reſiſtentia dicitur formalis, quia paſſum per ſuam formam, nempe aqua, per ſuam frigiditatem, reſiſtit caliditati ignis, ne formaliter expellat à ſe frigiditatem, & conetur in ſe recipere calorem ſibi diſconuenientem. Hic eſt ſermo de vtraque, & præſertim de priori, quia illa præcipuè opponitur actioni agentis, de qua quæritur, an ſemper debeat eſſe maior reſiſtentia paſſo.

Quarto. Notandum ex dictis à nobis in ſecundo de Anima Diſp. 3. q. 4. quatuor qualitates conſiderari poſſe quoad actiuitatem, paſsiuitatem, & reſiſtentiam. Si priori modo attendantur, nempè quo ad actiuitatem, & paſsiuitatem, ſeruabit hunc ordinem vt inter actiuas primum locum obtineat caliditas, ſecundum frigiditas, tertium humiditas, & quartum ſiccitas: inter paſsiuas verò

verò econuerſò, primum locum ſibi vendicat ſiccitas, ſecundum humiditas, tertium frigiditas, & quartum caliditas. Si verò quoad reſiſtentiam formalem, de qua ſolùm loquimur, ſpectentur, ſeruare debent eundem ordinem, quem tenent in paſſiuitate, vt magis reſiſtat ſiccitas, quàm humiditas, & hæc magis, quàm frigiditas, & iſta potiori modo, quàm caliditas: ignis enim eſt maximæ actiuitatis ratione caliditatis, minimæ tamen ex parte ſiccitatis; nàm citò calefacit, non tamen tàm citò res humidas exſiccat: ſimiliter acqua eſt efficacior ex parte frigiditatis, quàm ex parte humiditatis, quandoquidem etiam diſtantia frigefacit, non ſic humefacit: terra pariter magis reſiſtit vnioni, & diuiſioni ſecundum ſiccitatem, quàm ignis ſecundum caliditatem frigiditati aquæ, cum citò extinguatur per ipſam. Ratio verò diuerſitatis horum ordinum deſumenda eſt ex perfectione, vel imperfectione earumdem: actiuitas enim dicit perfectionem, ſicut paſſiuitas, & reſiſtentia imperfectionem: cùm igitur calor ſit perfectior frigore, frigus perfectius humore, & humor ſicco, conſequenter dicendum eſt, calorem eſſe actiuiorem frigore, frigus humore, & humor ſicco: econuersò autem, quia ſiccum eſt imperfectius humore, humor frigore, & frigus calore inferendum eſt, reſiſtentiam ſicci præferendam eſſe reſiſtentiæ humoris, & huius reſiſtentia frigoris reſiſtentiæ, & tandem hæc reſiſtentiæ caloris.

Ex his ſit prima concluſio. Ad omnem agentis naturalis actionem habendam de paſſo contrario, maior debet eſſe ſemper actiuitas agentis, quàm reſiſtentia formalis paſsi: ſiue vt alij dicunt, neceſſariam eſſe proportionem maioris inæqualitatis inter agens, & paſſum; nec vnquam ſufficere illam, minoris inæqualitatis. Eſt Ariſtotelis, & Scoti, quos retulimus in ſecundo Not. & aliorum, quos recenſuimus initio quæſtionis pro ſecunda ſententia. Probatur primo auctoritate Ariſtotelis relata in ſecundo Not. ſecundo probatur ratione, quia ſicut ſe habet moueri, & mouens, ita ſe habent agens, & patiens ex Ariſtotele hic t. 52. vbi inquit, *eandem quoque rationem exiſtimandum eſt de ipſo facere, & pati, quam de ipſo moueri, & mouere*; ſed ſi mouens inuenerit tantam reſiſtentiam in mobili, vt ipſum vincere nequeat, nullus ſequetur motus, ergo etiam ſi agens repererit tantam reſiſtentiam in paſſo, vt ipſam vincere non poſsit, nulla ſequetur actio in agente. Minor patet, quia motus eſt actus mobilis, vt mobile eſt ex Ariſtotele 3. Phyſicorum t. 17. & 23. at ſi mobile habuerit tantam reſiſtentiam ad mouens, vt ab eius virtute ſuperari non poſſit, non erit mobile, vt mobile eſt, ergo nullum habebit actũ, qui ſit motus, & ſic nullùs erit motus. Tertio probatur, quia intentio agentis contrarij eſt introducere formam propriam in paſſum, & contrariam expellere ab eo, & intentio paſsi eſt, per ſuam formam, reſiſtere conatui agentis, & conſeruare ſibi ſuam, ſed quotieſcumque ſequitur actio, tunc agens introducit formam propriam in paſſum, & expellit contrariam, ergo ſignum eſt, quod eius actiuitas debuit eſſe maior reſiſtentia paſsi, alioquin non potuiſſet agere, & introducere ſuam formam, & alienam expellere. Concludendum eſt, quod ad omnem actonem agentis contrarij, præexigi debeat maior actiuitas in ipſo, quàm ſit reſiſtentia formalis paſsi.

Secunda Concluſio. Ad reactionem pariter paſsi in agens, requiritur neceſſariò maior reſiſtentia actiua paſsi, quàm ſit reſiſtentia actiua agentis. Eſt contra ſecundam ſententiam ſuſtinentem, ad reactionem paſsi in agens, ſufficere proportionem minoris inæqualitatis. Probatur quia reactio paſsi in agens, tunc occurrit, cum reſiſtentia paſsi actiua debilitat, & impedit actionem agentis, ſed non poſſet huiuſmodi reſiſtentia actiua debilitare, & impedire actionem agentis, niſi virtus reſiſtitiua actiua paſsi, ſuperaret in ea parte virtutem reſiſtitiuam actiuam agentis, ergo reſiſtentia actiua paſsi, vt paſſum poſsit reagere in agens, debet eſſe maior virtute reſiſtitiua actiua agentis; ac proindè talis reactio prouenire à proportione maioris, & non minoris inæqualitatis. Maior, & minor ſunt notæ ex terminis.

Tertia Concluſio. Diuiſio reſiſtentiæ, qua paſſum reſiſtit agenti, in actiuam, & paſsiuam, ſeù formalem eſt rectè facta. Colligitur ex Doctore Subtili in 2. d. 19. quæſt. vn. ſub A. in 3. d. 16. q. 2. C. & in 4. d. 1. quæſt. 5. F. & d. 44. quæſt. 1. E. quibus in locis diſtinguit expulſionem, & debilitatio-

tionem alicuius formæ, actiuam a formali, quia prior fit per actionem, & reactionem agentis, vel paſſi; poſterior verò per incompoſſibilitatem duarum formarum contrariarum ad poſſe exiſtere ſimul in eodem ſubiecto: per priorem enim paſſum actiuè reſiſtit actioni agentis; per poſteriorem verò tantum formaliter. Probatur, quia paſſum, pro ſui conſeruatione, duobus modis poteſt reſiſtere agenti contrario ſe impugnanti, & debilitando, ac impediendo eius actiuitatem, & actionem; & opponendo incompoſſibilitatem propriæ formæ cum forma agentis, ſed priori reſiſtentia reſiſtet actiuè, reagendo in ipſum; poſteriori autem paſſiuè nihil penitùs agendo, ergo in paſſo datur duplex reſiſtentia ad agens, altera actiua, & altera paſſiua, ac proindè diuiſio reſiſtentiæ paſſi in actiuam, & paſſiuam eſt rectè diſtributa. Maior patet ex Ariſtotele hic t. 42. exemplo vini aqua miſti, quod ab ipſa poterit debilitari, & impediri, in tantum vt amplius nequeat illam in ſe conuertere, ſed potius ab ipſa conuerti, & amittere propriam formam. Minor ſuadetur ſic, quia vbicumque eſt formalis incompoſſibilitas in creatura, vnum illorum non expellit aliud actiuè, ſed tantum formaliter; agens autem inducens vnum effectiuè, expellit aliud effectiuè, vt patet in qualitatibus contrarijs, ſiquidem ignis effectiuè inducens calorem in paſſum, ita frigus effectiuè expellit; calor autem non expellit frigus effectiuè, ſed tantum formaliter, ecce quomodo paſſum vna reſiſtentia actiue, & altera paſſiue reſiſtit, ſicut agens, agit, & reſiſtit actiuè, & paſſiuè.

Quarta Concluſio. Reſiſtentia, ſiuè actiua, ſiue paſſiua, conueniunt quatuor primis qualitatibus, iuxtà actiuitatem, & paſſiuitatem earundem. Prima pars aſſeritur abſque vlla controuerſia. Secunda eſt contra nonnullos Recentiores, quorum meminit Merinero de Ortu, & Interitu Diſp. 6. q. 2. n. 5. Probatur prima pars, quia reſiſtentia actiua eſt quædam actio, qua vna qualitas impugnat contrariam reagendo, ergo qualem ordinem ſeruarit in actiuitate inter ſe, talem pariter ſeruare debent inter reſiſtentias. Conſequentia tenet, quia reſiſtentia actiua arguit perfectionem, ſicut paſſiua imperfectionem, ergo ſicut perfectiori qualitati tribuimus perfectiorem actiuitatem, ita perfectiori actiuitati reſiſtentiam perfectiorem tribuere debemus. Secunda pars probatur, quia reſiſtentia paſſiua eſt quædam paſſio, ergo qualem ordinem tenent qualitates paſſiuæ inter ſe, talem ordinem pariter debent ſeruare ad inuicem reſiſtentiæ paſſiuæ. Conſequentia patet, quia ſicut reſiſtentia actiua arguit perfectionem in qualitate reſiſtente, ita paſſiua imperfectionem, ergo quemadmodum perfectiori qualitati tribuimus perfectiorem reſiſtentiam actiuam, ita imperfectiori qualitati perfectionem reſiſtentiam paſſiuam tribuere debemus. Ex his patet manifeſtè, quàm perperam dixerint Auctores relati à Merinero, dùm dixerunt, omnes reſiſtentias paſſiuas qualitatum eſſe æquales in reſiſtendo, eo quia omnes qualitates ſunt æquales in informando ſubiecta; quandoquidem falluntur in hoc, quod putent reſiſtentias fundari in informatione, cum tamen fundentur in imperfectione qualitatis, quæ cum ſit diuerſa, & inæqualis in qualitatibus, tum primis, tùm ſecundis, operatur, vt etiam reſiſtentiæ ſint inæquales in reſiſtendo.

Obijcitur primo contra primam, & ſecundam concluſionem ſimul, nàm ſi ad omnes actiones naturales foret neceſſaria ſemper in agentibus, maior reſiſtentia actiua, ſeu actiuitas maior, quàm ſit reſiſtentia formalis paſſi, ſequeretur fore impoſsibilem vllam reactionem paſsi ad agens, & vllam repaſsionem agentis ad paſſum, ſed vtrumque conſequens eſt falſum, & contra Ariſtotelem in hoc p. lib. t. 42. & 51. vbi dicit, actiua, & paſsiua contraria ad ſeinuicem agere, & pati mutuò, ergo falſum erit dicere, actiuitatem agentis debere ſemper eſſe maiorem reſiſtentia paſsi. Sequela maioris probatur, quia id, quod agit in aliud, ſuperat illud, & quod patitur ab alio ſuperatur ab eo, ergo ſi actiuitas agentis, foret ſemper neceſſariò maior reſiſtentia paſsi, paſſum ſemper pateretur, à quo ſuperaretur, & ſic nunquam poſſet reagere in illud, & per conſequens agens ſemper ageret, & non poſſet repati à paſſo, ac proindè actio, & paſsio mutua in illis eſſet impoſsibilis.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad cuius probationem dicimus, vt colligitur ex Doctore Subtili in 4. d. 43. q. 5. art. 2. B. agens, dùm agit in contrarium paſſum, ſuperare illud abſque reſiſtentia, ſi habeat tantam virtutem actiuam, vnde poſsit in

Digitized by Google

inſtanti expellere formam contrariam, & propriam inducere in paſſum, non tamen ſi habeat virtutem actiuam, quamuis maiorem reſiſtentia paſsi, cum imperfectione, quia ſic, non in totum ſuperabitur ab agente, ſed poterit illi reſiſtere, non tamen abſolutè, verùm vt reſpicit terminos, & medium, per quod transferendum eſt à termino in terminum, nempe à quo, & ad quem: cùm igitur omne agens creatum habeat actiuitatem in paſſum contrarium cum imperfectione, licet fuerit ſemper maior, vnde poſsit illud ſuperare poſt aliquod tempus, non tamen erit abſque reſiſtentia impeditiua actionis agentis, quo tempore, ſicut paſſum reaget in agens, & hoc patietur ab eo, ſicque poſsibilis erit actio, & paſsio mutua inter agens, & paſſum, quamuis neceſſaria fuerit maior actiuitas agentis, quàm ſit reſiſtentia paſsi.

Obijcitur ſecundo; ſi paſſum poſſet reagere reſiſtendo, non obſtante maiori actiuitate agentis, ſequeretur paſſum reagens, poſſe deſtruere, & corrumpere paulatim totam virtutem agentis, ſed hoc eſt contra experientiam, ergo dicendum potius erit, paſſum non poſſe reagere in agens. Sequela maioris probatur, quia actiuitas paſsi reſiſtentis ſemper eſſet maior reſiſtentia formali agentis; alioquin non poſſet paſſum reagere in agens, ergo poſſet imprimere ſemper aliquid propriæ formæ, & aliquid illius formæ expellere, & ſic iteratis vicibus debilitare virtutem agentis, & tandem eius formam deſtruere, ac corrumpere.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad cuius probationem negatur conſequentia, quia quo plus procederet reactio paſsi in agens, eo magis debilitaretur virtus paſsi reagentis à reſiſtentia actiua agentis, itaut non poſſet imprimere aliquid propriæ formæ, nec agere ad corruptionem alterius formæ agentis, immo oppoſitum ſuccederet, quia cùm paſsum debilitatum non poſset amplius reagere in virtutem agentis, deberet neceſsariò illi ſuccumbere, & propriam formam amittere.

Obijcitur tertio contra tertiam concluſionem probando non dari reſiſtentiam formalem in paſso, quia ſi forma contraria in paſso, vt puta frigiditas in aqua, formaliter reſiſteret, vel reſiſteret, antequam agens contrarium, vt puta ignis, agat, vel quando actualiter agit calefaciendo, ſed neutrum dici poteſt, ergo neque dari reſiſtentiam formalem dici poterit. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minor probatur: Non poteſt dici primum, quia nullus dicitur reſiſtere alicui, priuſquam impugnetur ab eo: Neque ſecundum, quia ſi actio eſset inſtantanea, in eodem inſtanti, in quo ageret, forma oppoſita, nempe caliditas eſset iam introducta, & ſic nulla eſset ibi reſiſtentia: ſi vero actio eſset ſucceſsiua, & in tempore, in eodem, quo ageret, aliquis gradus caliditatis eſset introductus, & aliquis frigiditatis expulſus, ergo forma per gradum expulſum non poſſet reſiſtere, cum amplius non eſset, neque per reliquos remanentes, quia pro illo tempore nondum eſsent impugnati, ac proindè nullo pacto reſiſtere poſset, & ſic nulla eſset reſiſtentia formalis.

Reſpondetur conceſsa maiori; negando Minorem. Ad cuius probationem dicimus, formam paſsi reſiſtere formaliter agentis contrarij actioni, pro eo tempore, quo agit in ipſam, illam impugnando. Et cùm obijcitur, pro illo tempore eſse introductum aliquem gradum formæ agentis, & aliquem gradum formæ paſsi eſse expulſum; dicimus hoc eſse omninò falſum, quod pro illo tempore; quo durat, tàm introductio formæ agentis, quàm expulſio formæ paſsi, verificari poſse, formam agentis eſse introductam, et formam paſsi expulſam, etiam ſecundum aliquam partem, quinimò vtramque adeſse ſimul, licet in eſse imperfecto, & viali, vnam ad ſui perfectionem, & alteram ad ſui corruptionem, ſicque formam paſsi reſiſtere formæ agentis: quandoquidem, ſi vna eſset in facto eſse introducta, & alia expulſa, tunc nulla eſset pugna, neque reſiſtentia, ſed victoria vnius, & corruptio alterius.

Vel dicendum, quod licet nulla foret reſiſtentia ex parte gradus expulſi, eſset tamen ex parte graduum remanentium in forma paſsi, ſiquidem pugna eſset cum tota forma contraria paſsi ſincategorematice ſumpta, ac proindè vno gradu expulſo per introductionem vnius gradus formæ agentis, adeſſent alij cum quibus continuaretur pugna, & per conſequens, qui ſuæ expugnationi reſiſterent ſucceſsiuè.

Obijcitur quarto contra quartam concluſionem probando reſiſtentiam paſsiuam

eſse

Digitized by Google

eſſe æqualem in omnibus qualitatibus, quia qualitates iſtæ reſiſtunt formaliter actioni agentis per ſuam informationem in ſubiecto, ſed omnes iſtæ qualitates eodem modo informant ſubiectum, ad præſtandum impedimentum actioni agentis, ergo eodem modo reſiſtunt. Maior patenter concedi debet, quia accidentia non agunt, nec patiuntur; niſi in quantum informant ſua ſubiecta, ergo & ſic qualitates iſtæ habent reſiſtere ſecum dum informationem, qua afficiunt ſua ſubiecta. Minor eſt nota, quia omnes qualitates, in ratione inhærentiæ, ſunt æquales, nec vna habet maiorem virtutem informatiuam, quàm alia; nec ſubiectum eſt magis aptum, vel ineptum ad recipiendam informationem plus vnius, quam alterius, ergo cùm ſint æquales omnes in informando, tales pariter debent eſſe in reſiſtendo.

Reſpondetur negando maiorem abſolute, quia licet informatio prærequiratur in ſubiecto, vt conditio ſine qua, accidentia communiter operari nequeunt, vel patiendo, non tamen abſolute; ſiquidem, vt docet Scotus in 4. d. 12. q. 3. concluſione tertia ſub K, accidentia, & maximè qualitates, etiamſi exiſtant extra ſubiectum, modo exiſtendi extenſiuo ſibi conuenienti, poſſunt habere actionem, & paſſionem realem in ſuas contrarias, cum ſint principia totalia agendi, & patiendi, independenter à ſubiecto, cùm quo non faciunt, niſi vnum per accidens, vt patet de accidentibus Euchariſticis; igitur quàmuis qualitates, ſint æquales in informationibus erga ſua ſubiecta, non propterea conantur ſeruare eandem æqualitatem in reſiſtendo; ſiquidem reſiſtentia paſſiua, cum oriatur ex imperfectione qualitatis, vt dictum eſt, & hæc ſit inæqualis in eiſdem qualitatibus, inde conſequitur, vt reſiſtentiæ paſſiuæ, ſeu formales, debeant eſſe inæquales.

Vtrum ſimile poſſit agere in ſibi ſimile, & producere effectum omninò ſibi ſimilem?

QVÆSTIO II.

HAnc quæſtionem propoſuit Ariſtoteles in hoc primo lib. de Generatione & Corruptione t. 46. quam agitatam dixit etiam inter Antiquiores ſe, alijs affirmatiuam, & alijs negatiuam partem tuentibus, verùm quia ſibi videbatur, vtramque partem ſuſtineri poſſe cum aliquo adiuncto, dixit in t. 48. ſimilia, & diſſimilia attendi poſſe, vel præsè, vt ſint omninò ſimilia, aut diſſimilia; vel laxiori ſermone, vt videlicèt in aliquo conueniant, & in aliquibus diſconueniant qua diſtinctione ſuppoſita conciliare voluit, qui diſcordes ſibi videbantur, dicens, nec omninò ſimilia, aut diſsimilia poſſe agere in ſeinuicem, ſed debere eſſe partem ſimilia, & partim diſſimilia, ad hoc vt queant ad ſeinuicem agere, & pati, vt luculentius ſe explicuit in t. 50. & 51. ſequentibus.

His tamen non omninò contenti eius expoſitores, dixerunt ſimilia poſſe conſiderari in ſpecie, vel in qualitate, & diſsimilia in gradibus eiuſdem qualitatis; aut penitùs ſimilia, tàm in qualitate eiuſdem ſpeciei, quàm in gradibus illius ſpeciei. Si ſermo ſit de ſimilibus in qualitate ſpecifica, & diſſimilibus in gradu, omnes conueniunt, vnum ſimile poſſe agere in aliud, ſiquidem calidum, vt octo, poteſt intendere aliud calidum vt quatuor, tribuendo ſibi alios gradus caliditatis: Si verò ſit locutio de ſimilibus omninò, nimirum in qualitate ſpecifica, & in gradibus eiuſdem diſconueniunt; nàm aliqui ſuſtinent, quod ſaltem per accidens, vnum poſsit agere in aliud, ſiquidem calidum, vt octo denſius, poterit agere in calidum rarius, vt octo, & intendere eius caliditatem, ſuppoſito, quod gradus octauus non ſit ſummus: ſimiliter duo corpora æque calida poterunt vniri, & calefacere vnum corpus, quamuis habeat caliditatem eiuſdem rationis omninò. Ita Sueſſanus hic com. 195. q. 2. Marſilius quæſt. 18. Toletus q. 3. & Sotus ſecundo Phyſic. q. 4. concl. vltima.

Alij verò negant, omninò ſimilia in qualitate, & gradibus poſſe agere inſeinuicem, etiamſi alterum ſit denſius, & alterum rarius; vel vnum maius, & aliud minus; ſiquidem cnim habeant eandem formam, quæ eſt principium agendi, impoſsibile eſt, alterum ab altero pati poſſe, quin conentur fateri, quod idem agens vniuocum poſsit agere, & pati à ſeipſo. Sic philoſophati ſunt Auicennas 7. Metaph. cap. 3. Gregorius in primo ſent. d. 17. q. 4. art. 2. Albertus de Sa-

xonia

Digitized by Google

xenia hic q. 19. Paulus Venetus Sum. de Generat. cap. 3. & alijs, quos refert, & ſequitur Ruuius hic cap. 9. q. 5. quibus adiungi poſſunt Conimbric. hic q. 2. art. 3. Merinero Diſp. 6. q. 4. ſect. 2. Maſtrius hic Diſp. 2. q. 1. art. 1. num. 3. & 10. loquendo de agente vniuoco, quia de æquiuoco ſuſtinet oppoſitum nu. 4. vbi citat pro ſe Doctorem Subtilem in p. d. 17. q. 3. ſupra R R. & Rubeus diſp. 6. q. 1. qui loquitur pariformiter cum Maſtrio, & recenſet Scotum etiam in 4. d. 1. q. 5. ſub F.

Alij verò diſtinguunt actiones agentium ſimilium in corruptiuas, intenſiuas, & vnitiuas, dicuntque ſi ſermo ſit de duabus prioribus actionibus, non poſſe omninò ſimilia agere in ſeipſa, ſed requiri aliquam diſsimilitudinem inter illa: at loquendo de tertia actione, poterunt vtique omninò ſimilia agere inſeinuicem. Sic concludit Roccus hic q. 25.

Circa ſecundam partem etiam adeſt non parua lis inter Doctores, loquendo de agente vniuoco; nàm aliqui, putantes virtutem actiuam agentis, non impediri ab aliquo extrinſeco, verùm manere ſemper eandem in ſuo robore agendi, ſi applicetur alicui paſſo debitè approximato, dicunt poſse producere effectum ſibi omninò æqualem, aut ſimilem in perfectione, & gradu intenſionis. Sic Doctores citati in præcedenti parte pro prima opinione.

Alij verò diſtinguunt de agente diſtante à paſſo, & de agente penetrato cum paſſo, inquiuntque quod ſi ſermo ſit de priori, non poterit agens vniuocum producere effectum omninò ſimilem ſuæ virtuti actiuæ, cùm impediatur, vel à diſtantia, vel à profunditate paſſi, ſi verò agetur de poſteriori, poterit vtique agens vniuocum effectum omninò ſibi ſimilem, & æqualem producere, cùm eius virtus à nullo contigat impediri. Ita Recentiores quidam expendentes ſecundam opinionem, relati abſque citatione, & nomine à Ruuio hic q. 6.

Quid autem ſit dicendum nobis, iuxtà mentem Doctoris Subtilis, pro reſponſione ad vtramque huius quæſtionis partem, quibuſdam de more notatis patefiet in concluſionibus infra ponendis.

Pro maiori declaratione, ac clariori notitia totius difficultatis, notandum eſt primo ſex Doctore Subtili, pluribus in locis ſuæ Doctrinæ, ſed præcipue in q. 15. Quolib. §. Ad primum principale ſub Y. Agens partiri in vniuocum, & æquiuocum. Agens vniuocum eſt illud, cuius forma, qua agit, eſt eiuſdem rationis cum forma terminante; & hoc eſt duplex, nempè ſubſtantiale, vt homo, leo &c. & accidentale, vt calidum, frigidum, & ſimilia. Agens verò æquiuocum eſt illud, cuius forma, qua agit, eſt omninò alterius rationis cum forma terminante, vt Deus, Sol reſpectu generationis rerum naturalium; anima rationalis, & obiectum reſpectu intellectionis. Ex quibus infertur conuenientia, & diſconuenientia inter vtrumque, quandoquidem conueniunt, quia ambo ſunt in actu per aliquam formam actiuam, quæ eſt vtrique ratio agendi in paſſum, ſibi proportionatum: Diſconueniunt verò, quia agens vniuocum eſt in actu per formam eiuſdem rationis cum termino ad quem paſſum eſt in potentia, vt ignis per ſuam formam ſubſtantialem eſt in actu producendi alium ignem ſibi ſimilem in eſsentia ſpecifica; & calidum per calorem eſt in actu ad productionem alterius caloris eiuſdem ſpeciei cum ſuo: agens autem æquiuocum eſt in actu aliquo, non eiuſdem rationis cum termino, ad quem mobile eſt in potentia, ſed eſt in actu, ſecundum aliquid virtualiter, vel eminentialiter continens illum, & ſic Deus per ſuam virtutem eſt in actu producendi animam rationalem ex nihilo, vel animam ſenſitiuam muris, quia vtraque continetur virtualiter, & eminentialiter in ſua virtute creatiua, vel generatiua. Hoc inſuper eſt duplex, nimirùm totale, & partiale. Totale eſt illud, quod ſe ſolo poteſt ponere ſuum effectum in eſse, abſque concurſu alterius concauſæ, ſicut eſt Deus reſpectu effectuum omnium cauſarum ſecundarum. Partiale eſt illud, quod ſe ſolo nequit ponere ſuum effectum in eſſe, ſed indiget concurſu alterius agentis partialis, vt eſt intellectus, vel obiectum reſpectu intellectionis, ſiquidem mutuo ſe iuuant ad illam ponendum in eſse. Ex his infertur, quod agens æquiuocum totale debet eſse ſemper perfectius ſuo effectu, cum poſsit id, quod poteſt agens vniuocum quodcumque, & maiori cum perfectione, quia independenter à quocumque alio: agens verò æquiuocum partiale, eſt imperfectius ſuo effectu, non ſolùm

quia

Digitized by Google

quia eget concurſu alterius ad illum ponendum in eſſe, ſed etiam, quia eius entitas eſt imperfectior entitate effectus, vt patet de albedine reſpectu ſuæ intellectionis: vnde pro maiori declaratione.

Secundo Notandum eſt ex eodem Doctore ſubtili in 4.d.12.q.3. ſub H, & I. *quod vbi ad idem concurrunt cauſa vniuoca, & æquiuoca, æquiuoca eſt perfectior, ſed quod non poſſit ſine vniuoca, hoc eſt aliqualis imperfectionis in ipſa æquiuoca. Deus enim poteſt ſine cauſa vniuoca, ſed ſol non poteſt in animal perfectum, licet poſſet in imperfectum. ergo quæcumque æquiuoca ſola ſine vniuoca poteſt in effectum, ipſa eſt ſimpliciter. perfectior, quam illa æquiuoca, quæ poſſet concurrere cum vniuoca ad idem cauſandum, & per conſequens æquiuoca talis habet duplicem praeminentiam cauſalitatis ſuper effectum, vnam, quam habet vniuerſaliter æquiuoca concurrens cum vniuoca, & aliam, quia habet illam perfectionem, quam vniuoca adderet in cauſando, qua carent multa alia cauſa æquiuoca, licet longe perfectiores vniuocis.* Ex quo inferendum eſt, quod ſi forma, qua agens agit, ſit totalis cauſa, debet ſemper perfectior eſſe forma effectus, per ipſum producti, ac proinde alterius rationis, & ſpeciei.

Tertio Notandum eſt ex Ariſtotele in hoc 1. lib. de Generatione, & Corruptione t. 50. & t. 51. ſimilia, & diſſimilia eſſe triplicia ſcilicet genere, ſpecie, & indiuiduo. Similia genere ſunt, quæ ſub eodem genere continentur proximo, vt calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, quia continentur ſub quali ſenſibili: Diſſimilia verò genere ſunt, quæ ſub diuerſis generibus continentur, vt linea, & color ſub quantitate, & qualitate. Similia ſpecie, quæ ſub eadem ſpecie continentur, vt calidum vt quatuor, & calidum vt duo; vel frigidum, vt octo, & frigidum vt ſex. Diſſimilia verò ſpecie ſunt, quæ ſub diuerſis ſpeciebus continentur; vt calidum, & frigidum. Similia verò in indiuiduo, quæ communiter vocantur in gradu, ſunt, quæ ſub eadem ſpecie, & gradu continentur, vt duo calida vt quatuor, vel duo frigida vt ſex. Diſſimilia vero in indiuiduo, ſeù gradu, ſunt, vel duo calida, vel duo frigida, quorum alterum ſit intenſum, & alterum remiſſum ſecundum gradus. Ex his infert, quod ea, quæ in ſeinuicem agunt, & patiuntur, debent eſſe partim ſimilia, & partim diſſimilia, & non omniquaq. ſimilia, aut diſſimilia. Primo quod diſſimilia in genere, cum non conueniant in aliquo ſimili communi ambobus, nequeunt ad inuicem agere, & pati. Secundo quod ſimilia in genere, & diſſimilia in ſpecie, vt ſunt duæ ſpecies contrariæ, poſſunt in ſeinuicem agere, & pati. Tertio quod diſſimilia in gradu indiuiduali, & ſimilia in ſpecie, vt calidum intenſum, & calidum remiſſum, poſſunt pariter agere, & pati in ſeinuicem quoad intenſionem, & remiſſionem. Quarto denique, quod ea, quæ ſunt omninò ſimilia, aut diſſimilia ſcilicet in genere, ſpecie, & indiuiduo, ſeù gradu, nequeunt in ſeinuicem agere, & pati; tùm quia non poſſet dignoſci, quod vnum ſit magis actiuum, quam paſſiuum, agens, vel paſſiuum patiens: tùm quia idem poſſet agere in ſeipſum, & nihil foret incorruptibile, aut immobile, quæ omnia ſunt penitùs abſurda vehementiſſima, quæ abhorrere debent à vera Philoſophia.

Quarto Notandum eſt ex Scoto in 4. d. 1. q. 5. ſub F. & d. 12. q. 3. ſub k. & L. quod omne agens, ſiue vniuocum, ſiue æquiuocum agit ſolùm per formam, ſeù virtutem, per quam eſt in actu, & vltra illam nequit agere, & licet ad agendum prærequiratur, vel ſubiectum, vel aliquod aliud ſuſtentans illam formam in ratione principij actiui, non propterea augetur virtus illius formæ reſpectu ſui termini, cùm ex ſe ſit totale principium reſpectu ſui termini, independenter à quocumque alio: ſiquidem principium agendi in vno ordine eſt per ſe vnum, forma autem cum ſubiecto, vel alio ſuſtentante facit ſolùm vnum per accidens, quare ſicut nihil de forma, quatenus eſt principium actiuum, auferetur ſi eſſe poſſet modo extenſiuo extra ſubiectum, ſic nihil omninò adderetur ſibi, ſi foret in ſubiecto, aut alio ſuſtentante modum extenſiuum eiuſdem, adhoc, vt poſſet perfectiùs agere in paſſum, & producere terminum, quem aliàs non produceret. Ex quo infertur, quod ſi ſimile vt quatuor, poſitum in vno corpore, non poſſet agere in aliud ſimile vt quatuor, ob impedimentum omnimodæ ſimilitudinis, nec poſſet agere, ſi alterum foret denſum, & alterum rarum; ſiquidem raritas, & denſitas non ſunt rationes agendi, vel patiendi, cum non faciant vnum

I perſe

Digitized by Google

perſe cum qualitate quatuor graduum, verum duntaxat conditiones, ſine quibus qualitates tot æqualium graduum, eſſe non poſſent rationes agendi, vel patiendi ſimilium in ſeinuicem.

Quinto Notandum ex Scoto in p. d. 13. quæſt. 11. V. & in 4. d. 43. quæſt. 4. ſub A. agens diuidi, ſi eſt actiuum, in naturale, & ſupernaturale, ac liberum. Agens liberum eſt illud, quod poſitis quibuſcumque neceſſariò requiſitis ad agendum, poteſt agere, & non agere, vt voluntas creata. Agens ſupernaturale eſt quod in agendo excedit ordinem naturalem ſcilicet actiui ad paſſum. Agens verò naturale, eſt omne id, quod in agendo dicit ordinem naturalem actiui ad paſſum, & ſic omne cauſatum dicitur naturale, & ſolum agens increatum dicitur ſupernaturale. Agens naturale, vt diſtinguitur contra liberum, eſt illud, quod poſitis quibuſcumque neceſſariò requiſitis ad agendum, agit ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, communicando omnes perfectiones, quas habet in ſe, eo ordine, quas illas continet, vt ſi ignis generaret totum ignem, & produceret, tàm materiam, quàm formam, prius origine communicaret materiam, quàm formam eo ordine, quo ſunt in igne generante; & quia ignis eſt ſubſtantia, inanimata, & elementum, quo ordine ſunt iſta in igne generante, tali ordine communicantur igni genito, & tamen primus terminus ſecundum adæquationem eſt ignis, vt ignis, quia hoc eſt principaliter intentus ab igne generante, & in quo perfectiſſimè ſibi aſſimilatur. Ex quibus inferri poteſt, quod omne agens naturale, tàm ſubſtantiale, quàm accidentale, ſi non fuerit impeditum agere debeat ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, & producere effectum ſimilem ſibi, communicando ei omnes perfectiones, quas habet in ſe, & eo ordine, quas in ſe virtualiter continet: cùm igitur illas in ſe contineat per virtutem ſucceſſiuam, & non inſtantaneam, poterit quoque illas communicare ſuo effectui ſucceſſiuè, abſque hoc, quod egeat generatione ad illas perfectè communicandas.

Ex his fit prima concluſio. Simile vniuocum nequit agere in aliud ſibi omninò, & vndequaque ſimile, nempè in genere, ſpecie, & indiuiduo: ſeù vt alij expendunt, in natura, & gradibus eiſdem. Eſt Ariſtotelis, & Scoti locis ſupracitatis, & aliorum, quos retulimus in ſecunda Sententia. Probatur primo auctoritate Ariſtotelis in textu. 48. 50. & 51. vbi à poſteriori tribus rationibus oſtendit, non poſſe omninò ſimilia in ſeinuicem agere, & pati, tùm quia non poſſet aſſignari ratio, cur magis vnum eſſet agens, vel patiens, quam aliud, cum vtriuſque eſſet eadem ratio agendi, vel patiendi: tùm etiam, quia idem poſſet agere in ſeipſum: tùm denique, quia nihil eſſet incorruptibile, & immobile, cùm idem poſſet moueri, & pati à ſeipſo, & per conſequens corrumpi à ſemetipſo, quæ omnia eſſent valdè abſurda. Secundo probatur ab eodem à priori, quia ad hoc vt vnum poſſit agere in alterum, neceſſe eſt, vt vnum ſit in actu formali, & alterum in potentia formali, alioquin nulla ſequi poſſet actio, aut paſſio, vt probat hic textu 77. & prius idem demonſtrauit in textu 43: ſed ſi darentur duo, vndequaque ſimilia, ambo eſſent in actu formali agendi, & neutrum in potentia formali patiendi, ergo nulla ſequeretur actio, aut paſſio inter illa, Tertio probatur à Scoto in 1. d. 3. q. 7. §. Ad argumenta pro ſecunda opinione ſub R. & in Quol. qu. 15. §. Ad primum principale ſub Y. ſi ſimile poſſet agere vniuocè in aliud omninò ſimile, ſequeretur, quod haberet ſimul formam eiuſdem rationis, ad quam moueretur, & dùm moueretur ad illam, caret illa, & ſic ſimul haberet illam, & non haberet, ſed hoc implicat contradictionem, ergo dicendum eſt, non poſſe ſimile in aliud omninò ſimile agere. Sequela maioris probatur, quia actio vniuoca eſt ad formam eiuſdem rationis cum qua agens agit, ſed ſi ſimile ageret vniuocè in aliud ſimile, moueretur ad illam formam, quam haberet; & ſic non moueretur, & moueretur, ac proindè ſimul haberet, & non haberet, haberet quidem, quia per illam ageret, non haberet autem, quia moueretur ad illam, ac ſi minimè haberet. Quarto ſic, ſi agens vniuocum poſſet agere in omninò ſibi ſimile, ſequeretur effectum poſſe excedere ſuam cauſam in perfectione, ſed hoc admitti non debet in cauſis vniuocis, ergo dicendum eſt ſimile non poſſe agere in ſibi omninò ſimile. Sequela maioris probatur, quia poſito caſu, calidum, vt quatuor, poſſet producere alios quatuor gradus calo-

ris

ris & illos ſuper addere calido alteri vt duo, intendendo illud vt ſex, ſed calidum vt ſex excedit in perfectione calidum, vt quatuor, ergo effectus agentis vniuoci excederet in perfectione ſuam cauſam. Minor probatur à Scoto in 4. d. 12. quæſt. 3. ſub I. ſi poſſet admitti talis effectus excedens ſuam cauſam; ſequeretur poſſe dari aliquid; quod vel eſſet à ſeipſo, vel à nullo, ſed vtrumque conſequens eſt omninò falſum, ergo nequit admitti talis exceſſus in effectu ſupra cauſam ſuam. Sequela maioris probatur, quia *ſumatur effectus; & diuidatur in duo, ſcilicet in illud, in quo æquatur cauſæ, & in illud, in quo excedit cauſam. Primum dicatur A. & Secundum B. ille effectus ſecundum A. præciſè eſt effectus adæquatus cauſæ ſuæ, quia ſimpliciter æque perfectum ens, ſicut cauſa, ergo B. vel erit a ſeipſo, vel à nullo; quia ab A vt ab ipſa cauſa non poteſt eſſe; nam vltra effectum adæquatum cauſæ, non poteſt eſſe ſimul aliquid excellentius ab ipſa*, igitur cum admitti nequeat, effectum ſecundum talem exceſſum eſſe à ſe, vel à nullo, dicendum eſt non poſſe admitti effectum, qui in perfectione excedere poſſit cauſam ſuam; ac proindè nec agens vniuocum vt agere valeat in omninò ſibi ſimile.

Secunda Concluſio. Agens vniuocum ſimile non poterit agere in aliud ſibi omninò ſimile per accidens: hoc eſt, ratione denſitatis in vno, & raritatis in alio. Colligitur ex Doctore Subtili, vt aduertimus Notat. 4. contra primam concluſionem. Probatur, quia agens vniuocum agit ſolùm per ſuam formam, per quàm eſt in actu, & vltra illam nihil omninò agit, nec agere poteſt, vt patet ex natura agentis vniuoci, vt diſtinguitur contra agens æquiuocum, vt dicemus infra. Sed per denſitatem agens non eſt in actu, ſeu virtute agendi, neque per raritatem paſſum in potentia patiendi, ergo per ſe agens, ſi ob omnimodam ſimilitudinem, nequit agere in aliud ſimile, neque hoc poterit facere per accidens ratione denſitatis, & raritatis. Minor probatur, quia raritas, & denſitas ſunt conditiones agentis, vt per formam, quam habet, producere valeat effectum velocius, aut tardiùs, non autem maioris, vel minoris perfectionis, ergo per denſitatem, & raritatem agens non eſt in actu agendi, & paſſum in potentia patiendi. Antecedens colligitur ex Ariſtotele in 4. Phyſicorum t. 71. vbi aſſignans cauſas velocitatis motus, & eiuſdem tarditatis ex parte medij, dicit denſitatem, & raritatem eiuſdem eſſe conditiones impulſiuas, aut retardatiuas mobilis, vt moueri poſſit velociùs, aut tardiùs per medium, igitur attenta denſitate, & raritate per ordinem ad agens, & patiens, non erunt niſi conditiones agendi, vel patiendi fortiùs, aut remiſſiùs, & non virtutes actiuæ, aut paſſiuæ agendi, vel patiendi perfectiori, aut imperfectiori modo. Secundo probatur, quia principium per ſe agendi non eſt ens per accidens, ſed per ſe vnum, & maximè in agente vniuoco, ſed raritas, & denſitas cùm forma, qua agens agit ad perfectionem maiorem, vel minorem producendam, non faciunt per ſe vnum, verùm duntaxat vnum per accidens, ergo denſitas, & raritas nequeunt eſſe principia agendi, vel patiendi ad maiorem, vel minorem perfectionem producendam in ſimilibus. Maior patet, quia principium agendi eſt principium aſſimilandi paſſum agendi, ſed ens per accidens nequit eſſe principium aſſimilandi paſſum agenti, ſiquidem agens eſt per ſe vnum, ergo principium agendi non poteſt eſſe vnum per accidens, ſed vnum per ſe. Minor probatur, quia rarum, & denſum, ſi formaliter ſumantur ſunt quantitates, rarum enim dicit maiorem quantitatem in parua materia, denſum verò minorem quantitatem ſub eadem materia ex Ariſtotele 4. Phyſic. t. 84. & 85. forma autem, qua agens ſimile agit in ſimile, eſt qualitas, ſed ex qualitate, & quantitate nequit fieri vnum per ſe, verùm tantum per accidens, cùm ſint res diuerſorum generum, ergo raritas, & denſitas non poſſunt facere vnum per ſe, ſed tantum vnum per accidens, cum forma, qua agens ſimile agit ad maiorem perfectionem producendam in alio ſimili: ac proinde neque agens ſimile poterit agere in aliud omninò ſimile, actione vniuoca, per accidens ratione denſitatis, & raritatis, aut maioris, vel minoris magnitudinis.

Tertia Concluſio, Agens æquiuocum poterit benè agere in aliud omninò ſibi ſimile, hoc eſt, in qualitate, & gradu. Eſt Scotii in 1.d.3.q. 7. ſub R. & d. 17. quæſt. 3: & in lit. Rr. vſque ad Vu. & in Quol.quæſt. 15. ſub Y. vbi ponit differentiam inter agens vniuocum, & æquiuocum, inquit, quod illa propoſitio: Nihil idem agit in ſe, quia nihil idem poteſt eſſe in actu, & in potentia, habet veritatem in agentibus vniuocis, fallitur tamen in agentibus æquiuocis. Probatur, quia in tantum prohibetur agens omninò ſimile poſſe agere in omninò ſibi ſimile, in quantum forma, per quam agit, eſt eiuſdem rationis cum forma terminante, ad quam agere intendit, ſed forma agentis æquiuoci, non eſt eiuſdem rationis cum forma ad quam agit, ergo agens æquiuocum poterit rectè agere in paſſum ſibi omninò ſimile. Maior probatur, quia nihil idem poteſt eſſe ſimul in actu formali, & in potentia formali, ſed agens per formam eiuſdem rationis, cum forma terminante ad quam ageret, eſſet ſimul in actu formali agendi, & in potentia formali patiendi: eſſet quidem in actu formali, dum per illam formam ageret, & in potentia formali, dum ad illam moueretur, quam tamen iam præhaberet, ergo ſolum prohibetur illud agens agere in ſibi omninò ſimile, quod agit per formam eiuſdem rationis cum forma terminante, ad quam agit. Minor probatur, quia forma agentis æquiuoci virtualiter, & eminenter continet formam, ad quam agens æquiuocum agit, ac proinde eſt illa nobilior, & virtuoſior, ergo non prohibetur agens æquiuocum ſimul agere in ſibi omninò ſimile, & eodem virtualiter pati. Secundo probatur, quia illud agens poteſt agere in quodcumque, vbi non eſt repugnantia formalis, ſed inter agens æquiuocum ſimile, & aliud ſibi omninò ſimile nulla eſt repugnantia formalis, verum virtualis dumtaxat, ergo agens æquiuocum poterit agere in paſſum omninò ſibi ſimile. Maior patet, quia ſola repugnantia formalis inducit contradictionem, & hæc impoſſibilitatem agendi in ſeinuicem. Minor probatur, quia agens æquiuocum eſt virtualiter in actu; & illud, in quod agit, eſt formaliter in potentia, ſed virtualiter tale in actu, & formaliter tale in potentia, non contradicunt, ſiquidem virtualiter tale in plus ſe habet, quàm formaliter tale; ſe habent enim veluti continens, & contentum, ergo inter agens æquiuocum, & illud ſimile, in quod agit nulla eſt repugnantia formalis, neque contradictio, quin poſſint in ſeinuicem agere, & pati. Tertio probatur, quia eſſe calidum virtualiter in actu; & formaliter calidum in potentia de ſe non includunt contradictionem, vel repugnantiam, ac proinde in nullo ſubiecto includunt repugnantiam, quin poſsint eſſe ſimul, ſed eſse formaliter calidum in potentia, & virtualiter calidum in actu, ſunt agens æquiuocum, & eius ſimile, in quod agit, ergo nulla eſt repugnantia, quin agens æquiuocum poſsit agere in paſsum ſibi omninò ſimile. Maior probatur, nam quod ſol, qui eſt calidus virtualiter, nequeat eſse calidus formaliter, hoc non eſt propter repugnantiam iſtorum, quia Saturnus eſt frigidus virtualiter, & tamen non poteſt eſse calidus formaliter, ergo actus virtualis non erat in eo cauſa repugnantiæ, ſed aliquid aliud, quod eſt commune Soli, & Saturno, nempe, quia ambo ſunt corpora incorruptibilia, & caliditas formalis eſt qualitas corporis corruptibilis, igitur verum eſt, quod eſse calidum virtualiter in actu, & calidum formaliter in potentia, de ſe non includunt repugnantiam, & contradictionem, quin poſsint eſse ſimul, & per conſequens, poſsibile erit, quod agens æquiuocum poſsit agere in paſsum ſibi omninò ſimile.

Quarta Concluſio. Similia in ſpecie, & indiuiduo, ſeù in qualitate, & gradu, licet nequeant agere in ſeinuicem actione corruptiua, & intenſiua, poſsunt tamen hoc præſtare actione vnitiua. Colligitur ex Scoto in 1. diſt. 17. quæſt. 3. ſub, & ante Rr. vbi oſtendit totam hanc concluſionem in actibus corruptiuis, augmentatiuis, & vnitiuis Equiuocis. Prima, & ſecunda pars ſunt manifeſtæ ex dictis in prima concluſione, vbi illas demonſtrauimus ex tribus rationibus Ariſtotelis in t. 48. vbi ſpecialiter

ter loquitur de actione corruptiua : & in tract. 51. vbi extenditur actio etiam ad intenſiuam. Tertia pars ſuadetur per experientiam, nam duo lumina, duo candores, duo calores, ſi ad inuicem vniantur agunt in ſe, & producunt lumen, candorem, & calorem in maiori intenſione, & extenſione circa medium, vel paſſum, ac ſi ſeorſim agerent, ergo ſignum eſt, quod in ſe agunt actione vnitiua, quamuis ſint omninò ſimilia in qualitate, & gradibus.

Quinta Concluſio. Agens ſimile poteſt producere effectum omninò ſimilem, quàm, uis non ſit penetratum cum paſſo, etiam in gradibus intenſionis. Colligitur ex Scoto in prima d. 13. q. vnica. V. & ex Doctoribus quos retulimus ſuperius in prima Sententia, contra Ruuium hic q. 6. & Merinero, eius Compendiatorem, quæſt. 5. ac alios Recentiores ab eis, ſuppreſſis nominibus, citatis. Probatur primo ex Scoto citato, & in 4. d. 43. q. 4. ſub A. quia omne agens naturale, vt diſtinguitur contra liberum, & ſupernaturale, ſi non fuerit impeditum, agit effectum ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, communicando eidem omnes perfectiones, & eo ordine, quas ille continet, ſed omne agens ſimile eſt agens naturale, diſtinctum contra agens liberum, & ſupernaturale, ergo agit ſecundum ſuæ potentiæ omnimodam virtutem, communicando illi omnes perfectiones, & ordine, quo illas continet in ſe. Maior patet, quia per huiuſmodi conditiones diſtinguitur ab agente libero, quod agit iuxta determinationem voluntatis, & à ſupernaturali, quod pariter operatur ſecundum libitum Voluntatis Dei, & eo ordine, quo ſibi placet, dùmodò non ſibi repugnet. Minor patet, quia agens naturale, vt diſtinguitur contra liberum, & ſupernaturale diuiditur in ſubſtantiale, & accidentale, ſub quibus comprehenditur agens ſimile; ſiue ſubſtantiale, vt ignis, vel aqua, ſiue accidentale, & qualitatiuum, vt calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, ergo agit ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, communicando effectui omnes perfectiones quas in ſe habet, ac producit illum effectum ſimilem ſibi, & ſimilitudine ſubſtantiali, & accidentali, ſeù qualitatiua. Nec valet dicere ipſum impediri à diſtantia, quæ vt plurimum intercedit inter agens, & paſſum, quia ſupponimus ipſum, vt agere valeat, eſſe conſtitutum in diſtincta, proportionataque diſtantia ad agendum, & paſſum ad patiendum. Nec dici poteſt, diuiſibilitatem paſſi retardare actiuitatem agentis, non ſolum, vt non poſſit agere toto conatu, verum etiam, nè valeat communicare omnes eius perfectiones, ſiquidem hæc omnia ſupplentur per ordinem præfixum à Deo, vt prius agat in partes proximiores, & poſtea in remotiores, & nunquam intelligatur egiſſe toto conatu, ſi non omnes luſtrauerit partes, in quas paſſum diuidi poteſt, igitur his omnibus ſeruatis agens ſimile producet effectum ſibi omninò ſimilem. Secundo probatur; quia agens ſimile eſt actiuum ſecundum omnes gradus, quos in ſe continet, ergo ſecundum omnes debet eſſe productiuum aliorum graduum, & ſic effectum producere ſimilem ſibi, alioquin non omnes gradus eſſent eiuſdem rationis, ac proindè deſtrueretur ſimilitudo omnimoda inter illa ſimilia. Concludendum igitur eſt, quod agens ſimile producere poſſit effectum ſibi omninò ſimilem, etiam ſi non ſit penetratio agentis cum paſſo.

Objicitur primo contra primam concluſionem, quia in tantum agens vniuocum nequit agere in ſibi omnino ſimile, in quantum idem nequit agere in ſeipſum ex Ariſtotele hic textu 48. vbi infert, ſi ſimile poſſet agere in ſibi omniquaque ſimile, habet pro inconuenienti, quod idem poſſet agere in ſeipſum, ſed hoc, quod putàtur inconueniens, non eſt inconueniens, quinimò verum in doctrina Scoti in 2. diſt 2. quæſt. 10. D. & G. vbi habet, quod idem poteſt mouere ſeipſum, ergo, cùm nullum ſit inconueniens, vt idem moueat ſeipſum, nullum pariter erit inconueniens, vt idem ſimile vniuocum agat in aliud omninò ſibi ſimile.

Reſpondetur, conceſſa ſequela maioris, negando minorem, immò Scotus in 1. d. 3. q. 7. §. Ad argumẽta pro ſecũda opinione ſub Q. & R. habet pro incõueniẽti maximo, quod

Digitized by Google

idem agens vniuocum poſſit agere in ſe, abſque hoc, quod idem in actu, & potentia formali ſimul, ſine contradictione poſſit eſſe, vt ibidem probat ſubtiliter, addens, hoc ſolum concedi poſſe in agente æquiuoco, quia nulla eſt contradictio, quod idem ſit ſimul in actu virtuali, & in potentia formali. Neque auctoritas allata in contrarium vrget, quia ibi loquitur de graui, mouente ſe deorſum per ſuam grauitatem & conſequenter de motione æquiuoca, & non vniuoca, de qua ſolum eſt ſermo in propoſito.

Contra, quia non minus repugnat, idem eſſe ſimul in actu virtuali, & in potentia formali, quàm idem eſſe ſimul in actu formali, & potentia formali, ſed non obſtante tali repugnantia, idem agens æquiuocum poteſt agere in ſimile ſibi, tàm in qualitate, quàm in gradibus, vt probauimus ſupra in tertia Concluſione, ergo, & vniuocum, non obſtante tali repugnantia, poterit agere in ſibi omninò ſimile. Maior probatur, quia agens æquiuocum, quàmuis agat per formam nobiliorem, quàm ſit forma agentis vniuoci, nihilominus, cum agit determinatè ad talem effectum, non influit totam ſuam virtutem, verùm dumtaxat tantam, quæ ſit adæquata indigentiæ effectus producendi, ergo eodem pacto, ſaltem æquiualenter, eſt in actu formali per ſuam formam virtualem, ſicut agens vniuocum per ſuam formaliter; vnde, ſi hic adeſt repugnantia, vt idem poſſit eſſe ſimul in actu formali, & in potentia formali per formam eiuſdem rationis, eadem repugnantia erit; quod idem poſſit eſſe in actu formali, & potentia formali per formam eiuſdem rationis æquiualenter: ac proinde, ſicut agens æquiuocum poteſt agere in omninò ſibi ſimile, ſic & vniuocum poterit ita agere in aliud ſibi penitùs ſimile.

Reſpondetur negando maiorem, quinimò in agentibus vniuocis eſt repugnantia formalis, & contradictio, quod per eandem formam, & eiuſdem rationis, idem reſpectu eiuſdem eſſet ſimul in actu formali, & in potentia formali, modo actus formalis, & formalis potentia repugnant in eodem: cæterum in æquiuocis nulla poteſt eſſe repugnantia, quia actus formalis, per quem agens æquiuocum agit, non eſt per formam eiuſdem rationis cum forma ad quam mouetur, ſed per nobiliorem, virtualiter continentem illam, ad quam mouetur, modò cùm forma virtualis, qua agens æquiuocum agit; non ſit eadem, nec eiuſdem rationis cum forma, ad quam paſſum eſt in potentia, ſicut nequit inducere contradictionem vnius de alia, nec inter illas aliqua repugnantia oriri poterit. Nec probatio maioris iuuare poteſt, quia eſto forma, per quam agens æquiuocum agit, non ſit tota virtus, verum ſolùm determinata, iuxtà indigentiam effectus, non propterea tollitur, quin ſit virtualis, & alterius rationis, ab effectu, ſeù forma terminante, qua de cauſa, nequit æquiualere formæ agentis vniuoci, & inducere repugnantiam actus, & potentiæ formalis, cum non ſit reſpectu eiuſdem, ſed in ordine ad formas diuerſæ rationis.

Obijcitur ſecundo quia in tantum agens vniuocum nequit agere in aliud ſibi omninò ſimile, in quantum illud, in quod ageret non eſſet in potentia formali, ſed ambo in actu formali, ſed hæc ratio nulla eſt, ergo agens vniuocum poterit agere in aliud ſibi omninò ſimile. Sequela maioris clareſcit ex Ariſtotele citato in ſecunda probatione huius concluſionis primę Minor probatur, quia eſtò calidum, vt duo, non ſit in potentia formali ad alios duos gradus caloris, vt duo, quin potiùs in actu formali, poterit tamen eſſe in potentia formali reſpectu caloris vt quinque, vel ſex, vſque ad octauum, & ita agens vniuocum poterit agere in paſſum ſibi vndequaque ſimile.

Reſpondetur negando minorem, immo hæc eſt potiſſima ratio à priori, ad hoc, vt ſequatur actio, & paſſio, inter agens, & patiens. Ad cuius probationem neganda eſt conſequentia, quia eſtò ſit verum, quod alterum à duobus calidis, vt duo, poſſet eſſe in potentia formali ad aliud calidum, vt tria, quatuor, vel quinque vſque ad octauum, non tamen ſequitur, alterum, ex illis duobus, eſſe in actu formali ad produ-

ctio-

Digitized by Google

ctionem caloris, vt tria, quatuor, vel quinque, cum ſit minoris virtutis, quàm ſint calores producibiles, quinimò inferendum eſt, quod illud quoque ſit in potentia formali ad illos calores, ſicut prius, & neutrum in actu formali, vt inde ſequi poſſit aliqua actio, vel paſſio, per quas poſſint calores producere vt tria, quatuor, vel quinque, vt falsò ſupponitur. Concludendum eſt ergo, quod agens vniuocum agere nequeat in paſſum, ſibi omninò ſimilem effectum, ſed fore neceſſariam aliquam diſſimilitudinem, vt docuit Ariſtoteles in t. 50. & 51. ſupra citatis.

Obijcitur tertio contra ſecundam Concluſionem quia agens ſimile denſum virtutis, vt quatuor fortius agit, quam ſimile rarum eiuſdem virtutis, ſed hoc nequit eſſe, niſi ob denſitatem agentis ſimilis, & raritatem alterius, ergo denſitas eſt ratio agendi in ſibi ſimile, & raritas patiendi ab omninò ſibi ſimile. Maior patet ex illo communi axiomate: Virtus vnita, fortior eſt ſeipſa diſperſa, ſed virtus vt quatuor eſt magis vnita in agente denſiori, quàm in rariori, ergo agens ſimile denſum virtutis, vt quatuor fortius agere poterit, quàm ſimile rarum eiuſdem virtutis. Minor probatur, quia cum virtutes ſint omninò ſimiles, nequeunt agere, & pati in ſeinuicem; ergo cùm alterum agens fortius agat, non poterit euenire, niſi ex diſſimilitudine in denſitate, & raritate. Confirmatur, nam ferrum candens producit in ſtuppa calorem, vt octo, quia in ea producit formam ignis, quam conſequitur calor, vt octo, ſed ferrum candens, cùm non ſit ignis, ſed ferrum, non habet calorem, vt octo, ergo ratio, vt producere valeat calorem, vt octo in ſtuppa, & ſuperare virtutem conſimilem, erit denſitas in ferro, & raritas in ſtupa.

Reſpondetur, maiorem, & eius probationem habere veritatem, ſi ly fortius ſit idem, ac velociùs, & permanentius, falſitatem verò ſi ly fortiùs ſit idem, ac intenſius, & perfectius; denſitas enim eſt quidem conditio, vt agens expeditius, ac permanentius agat in paſſum, vt patet in ferro candenti; à quo expeditius, & permanentius inducitur calor in manu, quam flamma ignis; intenſio enim, & perfectio caloris prouenit à forma, quæ ſi ſupponatur virtutis, vt octo, ita erit intenſa, & perfecta ratio agendi, vt octo in agente rariori, ac denſiori; non enim poteſt eſſe ratio agendi vltra ſuam virtutem. Ad confirmationem dicimus eodem modo, ferrum candens eſſe quidem conditionem introducendi expeditius, & velocius, ac permanentius formam ignis diſpoſitiuè in paſſum, & calorem conſequentem vt octo in ſtuppam; non verò rationem formalem, quia ſic forma ignis ab igne, & calor, vt octo, à conſimile calore, vt à ratione formali agendi introducitur.

Obijcitur quarto nam agens maioris actiuitatis, & efficacitatis poteſt agere in aliud minoris, ſed calidum in materia denſa eſt maioris actiuitatis, & efficacitatis, quàm calidum eiuſdem qualitatis gradualis in materia rara, ergo illud poteſt agere in hoc, non ratione virtutis gradualis, cum ſit omninò ſimilis, igitur ratione denſitatis in materia. Maior patet, quia agens, quò eſt actiuius, & efficacius, eò operoſius oſtenditur in effectu ſuper eo, quod nō eſt ita actiuum, & efficax. Minor probatur, quia carbo acrius vrit, quam flamma, glacies plus refrigerat, quàm aqua ſoluta, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Meteorologicorum cap. 12. ſed carbo eſt denſior flamma, & glacies aqua ſoluta, ergo maior actiuitas, & efficacia prouenit ex denſitate, & minor ex raritate materiæ. Confirmatur à ſimili, quia corpus luminoſum denſius cum pari luce, magis ſplendet, quam aliud non ita denſius, vt patet in corpore lunari, & in alijs Cœli partibus, quæ licet ſint pariter illuminatæ à Sole, ſicut luna, tamen non ita reſplendent noſtro viſui, vt Luna, cum non ſint ita denſæ; ſicut illa, ergo ratio maioris actiuitatis, & efficacitatis vnius agentis ſupra aliud, non prouenit ab inæquali virtute qualitatis, verùm ab æquali qualitate, poſita in materia denſiori, vel rariori.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram, ſi maior actiuitas, vel minor ſit idem, ac maior, vel minor celeritas, quia hæc prouenit à maiori, vel minori denſitate, in qua reſidet virtus actiua, falſam verò ſi maior, vel minor actiuitas ſit idem, ac intenſior, vel perfectior

vis agendi , vel remiſſior aut imperfe-ctior ; ſiquidem hæc cum proueniat a perfectiori , vel imperfectiori forma , nequit eſſe ratio agendi vnius agentis in aliud , ſi fuerint ſimilis in qualitate , quamuis diſſimilis exiſtat in denſitate , vel raritate , Ad probationem de carbone , & glacie deſumptam ex Ariſtotele , & roboratam ab experientia , dicimus eodem modo , denſitatem iuuare quidem ad celerius vrendum, vel calefaciendum, quàm flamma, & ad celerius infrigidandum in glacie, quàm aqua ſoluta, non tamen ad intenſiùs , & perfectiùs calefaciendum , vel infrigidandum, ſi fuerit pars virtus in qualitate, tam in carbone, & flamma, quàm in glacie , & aqua ſoluta : ſiquidem denſitas in materia præſtat cæleritatem , & promptitudinem agendi , non verò intenſionem , & perfectiorem actiuitatem in agente aliquo ſupra alio eiuſdem qualitatis , & gradus . Ad confirmationem de duobus luminoſis eiuſdem , & paris lucis , diſparis tamen in denſitate , dicimus , denſitatem requiri ad formationem luminis , & ſplendoris , vt conditionem , ſine qua non , vt docet Scotus in 2. d. 13. q. vn. & nos ex ipſo recenſuimus in lib. Meteorologicorum Diſp. 2. q. 7. non autem , vt rationem formalem , quia ſic lumen oritur à luce , & ſplendor à lumine , vnde concedimus , denſitatem maiorem , & minorem concurrere ad efficiendum maiorem , vel minorem ſplendorem in medio , tanquam conditionem ſine qua non , non verò tanquam rationem formalem . Neque inde ſequitur , maiorem intenſionem , & perfectionem effectus prouenire ab ea , vt à ratione formali agendi , ſed tantum extrinſecè , vt à conditione neceſſariò requiſita ad poſitionem effectus.

Dices , ergo agens denſius cum æquali virtute , poterit agere in aliud minus , denſum , ſimile tamen in virtute , quod hucuſque negatum a nobis fuit . Conſequens illatum tenet , quia poſſumus addere , denſitatem concurrere cum paritate virtutis , tanquam conditionem , non verò rationem formalem agendi.

Reſpondetur concedendo illatum de effectu , correſpondenti denſitati , non tamen virtuti agendi ; nec hoc fuit à nobis negatum in prædictis reſponſionibus ; quinimò gratis conceſſum, loquendo de celeritate , & permanentia modi agendi , quæ ſunt effectus prouenientes ab agente denſitate prædito . Negauimus igitur per denſitatem , aut raritatem augeri ; vel minui poſſe virtutem agentis , adeò , vt agens denſum , vt quatuor poſſit agere in rarum virtutis pariter , vt quatuor , ratione raritatis huius , & denſitatis illius , quod nunc quoque pariter negatum eſſe volumus .

Obijcitur quinto contra tertiam concluſionem , nàm ſi agens æquiuocum poſſet agere in omninò ſibi ſimile , ſequeretur idem , vt duo poſse agere in aliud pariter ſimile , vt duo , ſed hoc includit repugnantiam , ergo etiam repugnat , quod agens æquiuocum poſſit agere in idem omninò ſimile . Sequela maioris patet , quia ſimilia vt duo ſunt omninò ſimilia , cùm ſint ſimilia in qualitate , & gradibus eiſdem . Minor probatur , quia repugnat , idem eſse ſimul in actu formali , & in potentia formali , ſed ſi idem ſimile , vt duo poſset agere in aliud ſimile , vt duo , idem eſset ſimul in actu formali , & in potentia formali ; eſset quidem in actu formali , dum per ſuam formam ageret in aliud ſimile, vt duo, & in potentia formali , quia per eandem formam reciperet eſſe pariter , vt duo , fieretque ex eis , ſibinuicem iunctis in eodem , eſse vt quatuor , quæ omninò repugnant, ergo &c.

Reſpondetur negando minorem . Ad cuius probationem negatur pariter minor . Et cum probatur , quod per eandem potentiam formalem eſset ſimul in actu , & potentia ; ſi ſermo ſit de potentia virtuali , quæ eſt alterius rationis à forma terminante , concedimus , ſed exinde nequit inferi , quod idem eſſet in actu formali , & potentia formali ſimul , verum duntaxat in actu virtuali , & potentia formali , quæ non repugnant : ſi verò intelligatur de eadem potentia formali , hoc eſt , per eandem formam eiuſdem rationis cum forma terminante , negamus , quia agens æquiuocum agit per ſuam virtutem, qua conſtituitur in actu virtuali , & non formali , qui tamen cùm ſit eminentior actu formali, poteſt

abſque

abſque vlla repugnantia compati ſecum, etiam potentiam formalem, adeo vt, ſit verum dicere, quod idem ſit ſimul in actu virtuali, & potentia formali, non tamen in actu formali, & potentia formali, alioquin ſequeretur, quod idem haberet, & non haberet eandem formam limitatam, & determinatam; quod omninò repugnat.

Obijcitur ſexto contra quartam concluſionem probando ſimile non poſſe agere in omninò ſimile, nec actione vnitiua, quia id, quod agit in aliud debet eſſe in actu, & aliud in potentia ex Ariſtotele 8. Phyſicorum t. 40. alioquin idem eſſet ſimul in actu, & non in actu, in potentia, & non in potentia, quæ contradictionem inuoluunt, ſed duo omninò ſimilia nequeunt eſſe, vnum in actu, & aliud in potentia, cùm ambo habeant eandem formam, per quàm ſunt ambo in actu agendi, ergo duo omninò ſimilia nequeunt inſeinuicem agere actione vnitiua.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de agentibus in ſeinuicem, actione aſſimilatiua, de qua loquitur Ariſtoteles in citato loco, & in hoc lib. 1. de Generatione t. 48. & 51. falſam tamen de agentibus actione vnitiua, quia ſic poſſunt, & debent eſſe ambo in actu, & ſeipſis vniri ad aliquod tertium eliciendum, vt patet de duobus luminibus, quæ ſi vniantur producunt aliquod maius lumen ſaltem extenſiuè in medio illuminato.

Obijcitur ſeptimo contra quintam concluſionem quia de ratione agentis naturalis eſt approximatio paſſi ad ipſum, & quanto magis eſt approximatum ſibi, tantò magis perfectius, & intenſiùs agit, & magis in proximum, quam in remotum, ſed ſi paſſum non ſit perfectè penetratum ab agente, quamuis ſibi ſit contiguum, ſemper intercedit aliqua diſtantia, ergo non ita agere poteſt, ſicut ſi eſſet penetratum, ad perfectum igitur effectum producendum ab agente, non tantum approximatio, verùm etiam penetratio erit neceſſaria, alioquin non poterit producere effectum ſecundum totam intenſionem, quam habet in ſe. Maior eſt Ariſtotelis 7. Phyſicorum in principio, & 8. Phyſicorum à t. 40. vſque ad finē capitis, & Doctoris Subtilis in p. d. 37. q. vn. vbi docent inter agens, & paſsū eſſe neceſſariā approximationem, ſiue mathematicam, ſiuè virtualem, vt & nos cum ipſis oſtendimus in 7. Phyſicorum diſp. 1. q. 1. Minor probatur, quia ea, quæ non ſunt ſimul aliquo pacto diſtant, ſed ea, quæ non ſunt penetrata, non ſunt ſimul, licet ſint contigua, ergo non ſunt perfectè approximata, ſed aliquo modo diſtant; ac ſi agens non ſit penetratum cum paſſo non poterit perfectè agere, neque communicare totam ſuam perfectionem effectui.

Reſpondetur ex Doctore Subtili in p. d. 37. q. vn. nuperrime citato, maiorem eſſe veram de approximatione, vel locali, vel immediationis, virtutis; non enim ſemper requiritur contactus mathematicus, ſeù ſimultas localis, vt oſtendimus in 7. Phyſicorum loco proximè citato cum eodem Scotó ibidem relato: vnde ſi agens naturale ſit perfectæ virtutis, per quam poſſit agere, tàm in remotum, quàm in proximum, quàmuis inter ipſum, & paſſum intercedat aliqua diſtantia localis, cum adſit virtualis approximatio, poterit perfectè agere, & producere effectum ſibi ſimilem, communicando ei omnes perfectiones, & eo ordine, quas in ſe habet, ſiue ſit agens ſubſtantiale, ſiue accidentale: Nàm quod conetur agere prius imperfectiori modo, & prius in proximum, quàm in remotum, hoc prouenit ex defectu virtutis actiuæ ſiuè ex ordine præfixo ab altiſſimo, quod ſi eſſet perfectæ virtutis, vt ſupponimus in concluſione, abſque dubio poſſet agere in paſſum ſibi proportionatum, & producere effectum ſibi omninò ſimilem, vt iàm oſtendimus.

Vtrum eadem qualitas poſſit ſeipſam intendere?

QVÆSTIO III.

Qvalitatem intendi per antiperiſtaſim, præter auctoritatem Ariſtotelis lib. 1. Meteorolog. ſum. 3. cap. 2. qua id expreſſe docetur, multæ experientiæ, ab eodem, & ab alijs Philoſophis introductæ, idipſum ſuadent, ac demonſtrant, vt videre eſt apud Recentiores, à quibus recenſentur, & potiſſimum apud Ruuiū in hoc lib. de Gener. & Corrup. cap. 9. q. 7. per totam. Verùm loquētes de modo, quo huiuſmodi intēſio qualitatum per antiperiſtaſim accidat, non plane con-

conueniunt; ſiquidem aliqui ſuſtinent, qualitatem intendi a ſeipſa, actione vniuoca, dum fugiens à contrarijs circum obſiſtentibus eam, ne ab illis opprimi, aut etiam deſtrui contingat, colligit ſuas partes in vnum, quibus fortior euadens, ſuę expugnationi reſiſtit. Ita Toletus hic quæſt. 14. Suellanus ibidem com. 95. Conimbricenſes cap. 9. q. 1. art. 2. Marſil. q. 17. & 18. & Albertus de Saxonia ibidem q. 15. quamuis non eodem modo hanc eandem ſententiam expendant, vt videri poteſt apud illos, & apud Recentiores, à quibus recenſentur.

Alij verò dicunt, intenſionem qualitatis in actione antiperiſtica prouenire perſe à forma ſubſtantiali ſubiecti, in quo eadem qualitas naturaliter exiſtit, per accidens autem à contrarijs circum obſiſtentibus, à quibus obſidetur, ſiue talia contraria ſint qualitates exiſtentes in alieno ſubiecto, ſiuè exhalationes ſibi infenſæ. Ita Suarez in Metaph. to. 1. Diſp. 18. Sect. 9. nu. 18. Merinero hic Diſp. 6. q. 6. Rubeus ibidem qu. 3. Maſtrius Diſp. 2. q. 2. art. 2. num. 35. & Ruuius hic cap. 9. q. 7. num. 1[illegible]. & 121. licet num. 116. reprehendat aliquos dicentes, exhalationes calidas, & ſiccas intendere calorem in aquis putealibus hyemis tempore, cùm ſe illis adiungunt fugiendo frigiditatem nimiam aeris circumſtantis, & reddere illas frigidiores æſtiuo tempore cum abſcedunt ab eis. Verùm an hoc rationabiliter egerit, nec ne; teſtis ſit Maſtrius num. 34. à quo multis experientijs rationabilius carpitur.

Quid autem ſit nobis dicendum in hac controuerſia, & ſecundum Scotum, quibuſdam de more notatis, ſubijciemus illud in concluſionibus infraponendis, ac probandis.

Primo igitur notandum eſt ex Ariſtotele lib. primo Meteorologicorum Sum. 3. cap. 1. & 2. Antiperiſtaſim græcè, ſonare latinè circumobſiſtentiam vnius contrarij ab alio, qua nimirum debilius premitur, & obſidetur à fortiori, nè vel vlterius diffundere poſſit actionem ſuam, vel cogatur colligere vires, & roborari ſe per intenſionem ſuipſius, ne deſtrui, aut expugnari contingat ab inimico, & exemplificat de circumobſiſtentia, qua calidum, & frigidum in ſeinuicem contrariantur, & obſidentur: *Quapropter* inquit, in teporibus frigida ſunt inferiora terræ, & tepida in gelu; quare in tepidioribus anni temporibus circumobſiſtentiam intus frigidum, propter eam, quæ in circuitu eſt, caliditatem, aliquando quidem citò aquam ex nube facit, aliquando verò grandinem. Ex quibus facilè dignoſci poteſt quid ſit Antiperiſtaſis, & actio antiperiſtica: Nàm cum vnum contrarium ab alio obſidetur, & impeditur, nè in alterum agere valeat, dicitur circumobſiſtere, & circumobſiſtentiam, hoc eſt, antiperiſtaſim pati: quando verò vires ſuas colligit, & roboratur reſiſtendo ſuo contrario, tunc dicitur ſeipſam intendere, & agere antiperiſticè. Antiperiſtaſis ergo eſt circumobſiſtentia, ſeù obſeſſio vnius contrarij ab alio: Antiperiſtica verò actio eſt roboratio, ſeù intenſio qualitatis contrarij debilioris, qua nititur ſe à fortiori tueri; de qua quæritur, an fiat à ſeipſa qualitate vniuoce agendo in ſe: vel à forma ſubſtantiali ipſius agentis: vel à contrarijs in ſeinuicem vniuoce, vel æquiuoce agentibus?

Secundo Notandum ex eodem ibidem, & ex Doctore Subtili in ſecundo d. 13. qu. vn. art. 3. & in 4. d. 10. q. 9. ſub D. Actionum materialium, aliæ ſunt directæ, & aliæ indirectæ, ſeù reflexæ. Actio materialis directa eſt, qua agens tendit in paſſum directe, ſiue per lineam rectam, vt cum ignis per ſuam caliditatem calefacit aquam, vel cum Sol indurat lutum, aut liquefacit ceram per ſuam virtutem. Actio verò reflexa eſt, qua agens impingens ſua virtute in obſtaculum, per eandem reflectitur per lineam reflexam in ſeipſum; nàm, inquit Scotus in citatis locis, *quando virtus actiua non eſt totaliter exhauſta, ideſt non tantum cauſauit, quantum poteſt cauſare, tunc vlterius, ſi non poteſt ſecundum lineam rectam agere, ſecundum quam natura maximè agit, quia illa eſt breuiſſima, & efficaciſſima ad operandum, agit ſecundum aliam lineam illi propinquiorē, & hoc fractam, vel reflexam, ſi nihil poteſt agere vlterius, reagendo in idem paſſum, in quod prius egit, cauſando tamen ibi cum illa prius cauſato aliquid ſimpliciter imperfectius agit.* Actio autem reflexa dupliciter euenire poteſt vel quando qualitas impeditur à corpore obiecto, quod ex ſe penetrare nequit, ac proinde reflectitur, vt contingit in radijs ſolaribus cum incidunt in corpus opacum; vel quando vna

qua-

Digitized by Google

qualitas obſidetur à ſua contraria, vt frigiditas aquæ à calore ambientis aeris, qui eſt cauſa, vel occaſio, quod frigiditas aquæ in ſe reflexa colligat ſuas vires, roboret ſe aduerſus ſuum contrarium, & intendatur. Prior actio reflexa vocatur ex obſtaculo, de qua ſatis egimus lib. tertio Meteorolog. Diſp.2.q. 1. & 2. Poſterior autem, cùm ſit de qualitate, habente contrarium obſiſtens, appellatur antiperiſtica, & de hac agere intendimus in præſenti quæſtioue.

Tertio Notandum eſt, actionem antiperiſticam contingere dupliciter. Primò cùm qualitas connaturalis ſubiecto intenditur ob circumobſiſtentiam contrariæ qualitatis, vt cùm frigiditas in aqua intenditur per obſidionem ſibi factam à circunſtante caliditate aeris. Secundò cum qualitas aliena ſubiecto, cui inſidet, fit robuſtior, & intenſior, vt cum caliditas exiſtens in aqua fit intenſior, & robuſtior, ob præſentiam contrarij frigoris. *Si* de priori ſit ſermo, certum eſt non poſſe per ſe intendi frigiditatem in aqua à ſuo contrario calore; ſiquidem contrarij natura eſt expugnare, non verò roborare; contrarium contra ſe: neque à ſeipſa per ſe intendi actione vniuoca, quia ſi omninò ſimile nequit agere in ſimile, multò minus idem, quo nihil eſt ſibi ſimilius, poterit actione vniuoca agere in ſe ad ſuam intenſionem; roborabitur ergò, & intenſione fiet valida contra pugnam, & obſeſſionem caliditatis, à forma ſubſtantiali aquæ; quandoquidem proprium, & connaturale eſt formæ ſubſtantiali cuiuſcumque agentis, vel patientis ſtudere ſuæ conſeruationi, ac proinde roborare ſuas qualitates, vt contrarijs, a quibus obſidionem vltrò patitur, reſiſtere, & ſe tueri poſſit. Si verò de poſteriori loquamur, dicendum nobis eſt, iuxta ea, quæ adnotauimus in lib. 1. Meteorolog. Diſp. 1.q. 6. caliditatem exiſtentem in aqua fieri robuſtiorem, & intenſam, partim ab intrinſeco, & partim ab extrinſeco; ſiquidem cùm vnum contrarium naturaliter fugiat à ſuo contrario, à quo expugnari timet, ſi ex altera parte inueniat obſiſtentiam, vnit ſuas partes, & ad pugnam ſe præparat, non per aliquam actionem ſuipſius in ſe, vt putant aliqui, oppoſitum ſuſtinentes, ſed per motum localem, originatum intrinſecè à propria natura, quæ ſtudet ſuæ conſeruationi, etiamſi extra connaturale ſubiectum detineatur, extrinſecè verò, & occaſionaliter à contrario impellente: frigiditas enim aeris circumſtantis, cùm affectet currere ad connaturale ſubiectum, (eſt enim aqua) expellere nititur ab ea caliditatem; quare hæc, nè ſibi contingat expelli, ſuamque deſtructionem, ſic inulta pati, colligit ſe, & intenditur, vt fortius ſuæ expugnationi reſiſtat. Ex quo infertur, quod qualitas, extra ſuum connaturale ſubiectum exiſtens, poteſt intendi, & ſuas vires inſe colligere ad præſentiam contrarij; ab hoc peraccidens, & occaſionaliter à propria natura fugiendi ſuam contrariam, abſque periculo agendi in ſe; ſiquidem fugere non eſt agere, verùm ſe à pugna, & ab actione pugnandi, reſiſtendo ſubtrahere.

Quarto Notandum eſt pro maiori declaratione modi, quo fieri poteſt intenſio qualitatis, exiſtentis in ſubiecto, contrario ſuæ naturæ, & ab extrinſeco, dupliciter contingere poſſe, vno modo per fugam, & motum localem exhalationum calidarum, & ſiccarum, quibus elongantur à contrarijs circumobſiſtentibus, & fugiunt, approximanturque ad qualitatem, quæ petit roborari, ac intendi: alio modo per liberationem eiuſdem ab exhalationibus, cæteriſque contrarijs, à quibus opprimebatur. Priori modo intenditur calor in aquis putealibus, & in cauèrnis ſubterraneis, tempore hiemali; quandoquidem exhalationes calidæ, & ſiccæ, virtute Solis, eleuatæ ad ſuperficies terræ, cûm offenderint, caloris abſceſſu per elongationem ſolis à terra, aerem frigeſcentem nimium, quàm ſua expoſcat natura, facilè auerſantur ab eo, vt à ſuo contrario, ac veluti fugientes ſe recipiunt intra poros terræ, & aquis ſubterraneis approximantes, eas maiori cum feruore calefaciunt, intendentes caliditatem, quam prius ſuſtinebant. Hac de cauſa etiam calor in ſtomacho, hyemis tempore intenditur, & fit aptior ad ciborum digeſtionem, quippequi, ex copioſa ſpirituum vitalium retroceſſione, per fugam ab ambientis frigore, vt à contrario, vnitioneque cum ijs, qui in eodem ventriculo præexiſtebant, fit viuacior, & robuſtior, ac prius erat. Poſteriori autem modo, ex oppoſito aquæ puteales æſtiuo tempore, & ſtomachus frigidiores, vel ſaltem non ita caliditate affecti euadunt;

Digitized by Google

nàm per circumobſiſtentiam caloris externi exſiccantur exhalationes euocatæ ad ſuperficiem terræ, & partes & pori aperiuntur, vt quæ intus latebant exire poſſint, & liberare aquas ab earum calefactione, quæ cum ſint natura frigidæ facile poſſunt ſe reducere ad ſummam frigiditatem: ſic & ſtomachus frigidior euadere poterit, eo temporis ob exitum ſpirituum calidorum, præ nimia dilatatione partium, ob circumobſiſtentiam aeris calidi, rarefactarum. Eodem modo diſcurrendum de cæteris experimentis, quæ afferri ſolent, ad oſtenſionem qualitatis intenſæ, ob circumobſiſtentiam contrariorum ab extrinſeco, & in alieno ſub.ecto, ſiquidem hæc duo cæteris viam facilem demonſtrare valent, ſi rationes, & modi allati rectè concipiantur.

Ex his ſit prima concluſio. Per actionem antiperiſticam reflexam, intenditur, non ſolum qualitas luminis, non habens contrarium, ſed etiam quæ habet contrarium circumobſiſtens. Eſt Ariſtotelis lib. 1. Meteorologicorum Sum. 3. cap. 1. & 2. & Doctoris Subtilis in 2. d. 13. q. vn. art. 3. per totum & in 4. d. 10. q. 9. D. & lib. 1. Meteorolog. q. 9 & lib. 3. q. 4. Probatur primo auctoritate Ariſtotelis in citatis, vbi oſtendit, fieri multas generationes Meteorologicas per actionem antiperiſticam. Secundo probatur à Scoto ratione allata in ſecundo Not. & repetita fere iiſdem verbis in 4. d. 10. q. 9. in fine ſub D. *quia agens naturale, ex quo agit ſecundum vltimum ſua potentia, quando impeditur agere ſecundum illam lineam, quæ eſt maximè conueniens actioni naturali, puta, rectam, quæ eſt breuiſſima, agit ſecundum eam, ſecundum quam poteſt, ſcilicet ſecundum lineam reflexam*, atqui dùm luminoſum incidit in opacum reflectitur lumen in ipſum, & intenditur in medio ipſum recipiente; ſimiliter cum frigidum obſidetur à contrario calido, impediturque eius actio, vt non poſſit vlterius progredi, reflectitur in ſeipſum, aliquid cauſando, & nonniſi intenſionem frigiditatis in eodem ſubiecto, ergo per actionem antiperiſticam intenditur, nedum qualitas luminis non habens contrarium, verùm etiam quæ: iis alia, quæ habet contrarium. Minor, cum conſequentia clareſcit, quia virtus agentis, & cauſantis ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, ſi non fuerit exhauſta per actionem rectam, debet vlterius agere per reflexam aliquid cauſando, alioqui non ageret per eam agens naturale toto conatu, quod eſſet contra eius naturam.

Secunda Concluſio. Qualitas exiſtens in ſuo connaturali ſubiecto, circumobſeſſa tamen à contrarijs, nequit intendi à ſeipſa actione vniuoca, verùm actione æquiuoca, à forma ſubſtantiali ſui ſubiecti per ſe, & à contrarijs per accidens intendi, & roborari valet. Eſt Ariſtotelis, & Doctoris Subtilis in præcitatis locis. Prima pars probatur ex Ariſtotele in hoc lib. primo t. 48. quia ſi idem nequit, actione vniuoca, agere in ſibi omninò ſimile, vt in præcedenti quæſtione oſtenſum fuit ex eiſdem Doctoribus, multò minus eadem actione nequibit agere, in ſe, cùm nihil poſſit eſſe ſimilius ſeipſo, ergo qualitas eadem, quamuis exiſtat in ſuo connaturali ſubiecto, circumobſeſſa à contrarijs, non poterit actione vniuoca intendere ſeipſam, ſiquidem intenſio fit per actionem, qua gradus additi penetrant ſeipſos, vt aliàs probatum eſt. Secunda pars probatur, quia forma ſubſtantialis naturaliter ſtudet propriæ conſeruationi, dùm oppugnatur ab agente ſibi infenſo, vt patet de forma aquæ ſi impugnetur ab igne, ſed non melius tueri ſe poteſt, quàm roborare ſuas qualitates vt contrarijs reſiſtere valeant, ergo roboratio qualitatis emanat à forma ſubſtantiali ſui ſubiecti, non per actionem vniuocam, cum forma ſubſtantialis ſit alterius à forma accidentali, quæ per ipſam acquiritur in ſubiecto, igitur per actionem æquiuocam eadem qualitas perſe intendi poteſt ab illa in ſuo ſubiecto. Tertia pars probatur, quia qualitas per actionem contrariorum intendi, & roborari poteſt in ſubiecto, vt probatum eſt in præcedenti concluſione non per ſe, quia ſic intenditur à forma ſubſtantiali ſui ſubiecti, ergo à contrarijs obſidentibus illam erit ſolum per accidens.

Tertia Concluſio. Probabile eſt, quod qualitas exiſtens in alieno ſubiecto, ſi fuerit circumobſeſſa à contrarijs, poſſit aliquo pacto perſe roborari, & intendi, nè ſaltem inulta expellatur ab eo. Colligitur ex Doctore Subtili lib. 1. Meteorologicorum q. 9. art. 2. & in 2. d. 17. q. 2. B. Probatur, quia connaturale eſt contrario fugere à ſuo contrario, & ſi inuenerit obſiſtentiam, vnire

ſuas

ſuas partes, illaſque roborare, ne ſibi expugnari contingat, ergo ſi qualitas, exiſtat in alieno ſubiecto, & circumobſideatur à contrarijs, ne in totum deſtrui, expugnarique patiatur, poterit fugere ab eis & in tali fuga vnire ſuas partes, illaſque fortificare in ſui defenſionem à contrarijs. Antecedens patet inductiue in generatione Tonitrui, Fulminis, Fulguris, in quibus exhalationes calidæ, & ſiccæ fugiunt à circumobſiſtentia nubium frigidarum. Conſequentia patet in aere Mediæ Regionis, qui ſemper frigidiſſimus eſt ob circumobſiſtentiam ſuperæ, & Inferæ Regionis, in quibus viget calor feruidus ſibi contrarius, ſed non poſſet eſſe frigidiſſimus perſe ratione formæ ſubſtantialis aeris, quia aer non eſt frigidus perſe, ſed calidus, & humidus, ergo debet eſſe talis per ſe ex naturali fuga frigiditatis à ſuis contrarijs circumobſiſtentibus, per quam intenditur, & roboratur.

Quarta Concluſio. Probabiliùs tamen eſt, qualitatem exiſtentem in alieno ſubiecto, intendi, & roborari perſe à circumobſiſtentibus contrarijs, veluti à cauſa extrinſeca: Colligitur ex Doctore Subtili, lib. primo Meteorolog. q. 9. Probatur, quia media regio aeris eſt ſemper intenſe frigidiſſima ex Ariſtotele lib. primo Meteorolog. cap. 4. atqui non poſſet eſſe talis niſi ex circumobſiſtentia caloris ſupremæ, & infimæ regionis, ergo qualitas exiſtens in alieno ſubiecto, circumobſeſſa à contrarijs per ſe intenditur ab eis. Maior clareſcit ex his, quæ probauimus in Meteorologica lib. primo Diſp. 1. Quæſt. 6. concluſione 3. Minor probatur, tùm quia non intenditur à ſeipſa actione vniuoca: neque à forma ſubſtantiali aeris, quæ non eſt cauſatiua frigoris, ſicut nec ipſe aer: tùm etiam, quia non continet calorem nec virtualiter, nec eminenter frigus; ergo cum nulla alia cauſa aſſignari poſſit talis frigiditatis intrinſecæ, exiſtentis in alieno ſubiecto præter circumobſiſtentiam caloris ſuperæ, & inferæ regionis; concludendum eſt, qualitatem exiſtentem in alieno ſubiecto intendi ab extrinſeco ex circumobſiſtentia contrariorum.

Quinta Concluſio. Intenſio qualitatis exiſtentis in alieno ſubiecto fieri poteſt, interdum per acceſſum exhalationum ad qualitatem intenſibilem, cauſatum ex circumobſiſtentia contrariorum: interdum verò per abſceſſum earundem exhalationum, à quibus liberata eadem qualitas ab oppreſſione, qua premebatur, poteſt ſuapte natura reaſſumere ſuas vires, & redire ad priſtinam intenſionem, conuenientem ſuo naturali ſubiecto. Eſt communis omnibus Recentioribus, licet non eodem pacto illam tueantur. Probatur prima pars experientia aquarum putealium, & fontium, ac aliarum degentium intra cauernas terræ, quæ hyemis tempore tepidæ, & calidæ apparent, vt teſtatur etiam Ariſtoteles lib. 1. Meteorologicorum cap. 2. & nonniſi; quia exhalationes calidæ propulſatæ ab aeris frigore in infera regione, tunc temporis prædominium tenente, infra poros, & venas terræ ſe illis adiungunt, & augent calorem, quem violenter ſuſtinebant, vt dictum eſt Not. vltimo. Secunda pars pariter ex alia experientia, ab eodem Philoſopho ibidem obſeruata ſuper eiſdem aquis in imis locis degentibus, clareſcit, quippeque æſtiuo tempore exoneratæ ab illo calore, à quo hyberno tempore premebantur, redeunt ad priſtinam frigiditatem, & nonniſi ex abſceſſu earundem exhalationum calidarum, quæ per poros, & venas terræ rarefactæ virtute caloris ſolaris euocantur ad ſuperas plagas, & relinquunt huiuſmodi aquas liberas, vt ſuis viribus reaſumptis ad priſtinam frigiditatem redire, & illam intendere valeant iuxta conuenientiam, & exigentiam ſuam, mediante actione æquiuoca formæ ſubſtantialis aquæ. Alijs experientijs poſſet roborari, firmarique tota concluſio, vt faciunt Recentiores, verum nobis ſufficiunt allatæ, ſiquidem ad harum exemplum, quæ adduci poſſunt, expendi, & concluſionis confirmationi applicari valent.

Obijcitur primo contra primam & tertiam concluſionem ex Ruuio tùm quia ſimile nequit agere in ſibi ſimile, & multò minus idem in ſeipſum ex Ariſtotele hic t. 48. & 51. & ex Doctore Subtili in primo d. 3. quæſt. 7. ſub R, & Quol. 15. ad primum principale ſub Y. ſed ſi qualitas, ſiue habens, ſiuè non habens contrarium, poſſet intendere ſe per reflexionem antiperiſticam, ſimile ageret

ret in ſibi ſimile, & idem in ſeipſum, ergo non eſt dicendum, quod poſſit ſeipſam intendere. Minor patet, quia calidum, vel frigidum vt quatuor eſt omninò ſibi ſimile, & idem ſibipſi, tùm etiam, quia impoſſibile eſt effectum aliquem produci ab aliquo agente, niſi in virtute eius, per quam agit, contineatur formaliter, aut eminenter, quia nemo poteſt dare alteri id, quod nullo modo in ſe habet, ſed calidum vt quatuor, quantumcunque à ſe colligatur ſupra ſe, vel reflectatur, non continet quintum gradum caloris formaliter, vel eminenter, ergo non poteſt eum ſibi imprimere, nec proinde ſe intendere. Minor de continentia formali euidens eſt, quia vltra quatuor gradus nil aliud formaliter habet; probatur de continentia eminentiali, quia repugnat perfectum contineri in imperfectiori, vt de ſe notum eſt, ergo nullo pacto poterit qualitas ſeipſam intendere.

Reſpondetur negando vltimam conſequentiam, ſiquidem probationes in contrarium non multum vrgent, vt cogamur recedere à noſtris concluſionibus: vnde ad primam dicimus, maiorem eſſe veram de actione vniuoca, falſam de æquiuoca, quia ſic, & ſimile in omninò ſimile, & idem etiam inſeipſum agere valet, non ſolùm reflexe, verum etiam directè, vt ſupra concluſimus ex Doctore Subtili in præcitatis locis; modo quando dicimus, qualitatem intendere poſſe ſeipſam reflexe, vel ex occurſu obſtaculi, vt accidit in reflexione qualitatis non habentis contrarium, vel ex circumobſiſtentia contrariorum, vt euenire ſolet in reflexione qualitatis habentis contrarium, intelligimus de actione æquiuoca, proueniente, aut ab obſtaculo, aut à circumobſiſtentia contrariorum per accidens, & ab ipſa qualitate per ſe fugiente à contrariorum inſecutione: Ad ſecundam quæ magis vrgere videtur, conceſſa maiori, ad minorem dicimus, ſupponi vnum falſum, nempe intenſionem qualitatis per antiperiſticam actionem reflexiuam fieri debere per additionem nouorum graduum, vt euenire diximus in intenſione, quæ fit per actionem agentis directam; quandoquidem ad intenſionem qualitatis per actionem antiperiſticam, ſufficit, graduum, qui tunc temporis extiterint, collectio penetratiua, facta, vel per motum localem cauſatum, ſeù emanatum ab inclinatione naturali fugiendi à contrario, vt accidere poteſt in qualitate exiſtente in ſubiecto alieno; vel per actionem formæ ſubſtantialis, quæ impegerit ſua virtute in obſtaculum, aut in circumobſiſtentiam contrariorum, ſi qualitas fuerit in connaturali ſubiecto, vt diximus in probationibus concluſionum.

Obijcitur ſecundo quia ſi præſentia contrarij fortioris eſt ſufficiens cauſa fugæ per motum localem, ſequitur, quod quotiſcumque fuerit fortius contrarium præſens, mouebitur ipſum fugiens, ſed conſtat hoc eſſe penitùs falſum, quoniam aqua, quàmuis ſit ab igne circum ſepta, non mouetur localiter, ergo præſentia contrarij non eſt ſufficiens cauſa fugæ per motum localem.

Reſpondetur negando minorem, immò aqua mouetur, non tantùm motu alterationis, ſed etiam localiter, ad præſentiam ignis, vt patet in cacabo, cui ſi ſupponatur vehemens ignis, videtur aqua: non tantùm exilire, & ſaltare per eum, ſed etiam meditari fugam, & ex vaſi egredi in vindictam ſui inimici, vt experientia quotidiana comprobari poteſt.

Obijcitur tertio contra ſecundam concluſionem quia contrarium, per qualitatem ſibi propriam, agit ad deſtructionem ſui contrarij, ignis enim per calorem agit ad deſtruendam aquam, ſibi contrariam per frigiditatem, ſed repugnat calorem eſſe principium frigiditatis, ergo repugnat, eandem frigiditatem intendi per calorem ſibi contrarium, ac proinde repugnabit vnum contrarium obſeſſum ab altero, aliquo pacto intendi poſſe ad præſentiam alterius contrarij obſidentis illud, nec per ſè, nec per accidens. Conſequentia tenet; quia contrarium non ſtudet conſeruationi, verum deſtructioni ſui contrarij.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem dicimus veram eſſe per ſe, falſam autem per accidens, quandoquidem ſicut ſtudium vnius contrarij eſt tueri ſe ab oppugnatione alterius contrarij, ſic per accidens præbet alteri occaſionem ſe tuendi, nè ad inuicem deſtruantur: ac proinde ſicut ignis molitur per ſe deſtructionem aquæ ratione ſuæ caliditatis, ſic per accidens inſinuat aquæ, vt per frigiditatem, quoquo pacto intenſam, ſtudeat ſuæ defenſioni, & conſeruationi: quare rectè inferri poteſt, quod

quod qualitas contraria, obſeſſa ab altera ſibi infenſa, intendatur perſe à forma ſubſtantiali ſui ſubjecti connaturalis, per accidens vero à ſua contraria ſibi circumobſiſtente, ſaltem actione æquiuoca.

Objicitur quarto contra quartam conclusionem quia concluſio ſecunda pugnat ex diametro contra quartam concluſionem ergo hæc non eſt ſuſtinenda ſi illa inconcuſſa permanſerit. Conſequentia eſt euidens, quia nec contraria, nec contradictoria poſſunt ſimul, & ſemel verificari de eodem. Antecedens eſt manifeſtum, quia in ſecunda concluſione diximus, vnum contrarium obſiſtens alteri per antiperiſtaſim poſſe quidem per accidens alterum intendere, illudque tueri, non verò perſe, quia ſic vnum ſtudet expugnationi alterius, vt dictum eſt in præcedenti reſponſione; in hac quarta verò dicimus, qualitatem intendi, & roborari poſſe perſe à circumobſiſtentibus contrarijs; modo perſe, & non perſe contradicunt, per ſe, & per accidens pugnant ad ſeinuicem contraria, ergo neutra ſuſtineri debet in præſentia alterius.

Reſpondetur negando antecedens, nec probatio, quàmuis videatur euidens pugnantia vt deducitur in argumento, quicquam officit; ſiquidem in ſecunda loquimur de qualitate exiſtente in proprio, & connaturali ſubiecto, quæ cum ab intrinſeco habeat cauſam perſe ſuæ intenſionis, nimirum formam ſubſtantialem ſubiecti, à qua emanat, nequit admittere aliam cauſam perſe, à qua emanare, & intendi poſſit, alioquin eiuſdem effectus poſſent eſſe duæ cauſæ totales per ſe, quod aliàs probauimus eſſe impoſſibile; quare ſi aliquo pacto concurrere debeat ad illius intenſionem qualitas contraria circumobſiſtens, non potuit admitti eius actio perſe, ſed tantum per accidens: Cæterum cùm in iſta quarta concluſione ſit ſermo de qualitate exiſtente in ſubiecto alieno, & de cauſis extrinſecis; cum probatum ſit euidenter, illam intendi poſſe ab aliqua cauſa extrinſeca, & nulla alia inueniri queat præter contrariam qualitatem circumobſiſtentem ſibi, hanc diximus extrinſece per ſe concurrere ad eius intenſionem. Ex quibus manifeſtè patet nullam eſſe pugnantiam contradictoriam, aut contrariam, cum non ſit ad idem, & eodem modo, ſed ad diuerſa. Neque valet addere, contraria eſſe talis naturæ, vt vnum ſtudeat perſe expugnationi alterius, non vero illius conſeruationi, quia licet hoc ſit verum, ſi adinuicem pugnent actione directa, & vtrumque ſit in propria, & connaturali ſede, quia natura hoc illis indidit, vt iure gratitudinis ſtudeant conſeruationi illarum formarum, à quibus emanant, fallit tamen ſi agant actione antiperiſtica, & reflexe, exiſtantque in aliena ſede, quia tunc totum, quod impendere debebant pro conſeruatione ſui, & formæ ſui ſubiecti, largiuntur liberaliter inſeinuicem, vt conſeruari poſſint etiam in alienis ſedibus. Exemplum manifeſtum habetur in media regione aeris, vbi calor inferæ & calor ſuperæ regionis eiuſdem aeris obſident frigus aeris regionis mediæ, quam etſi poſſent expugnare, vel opprimere, nihilominus illud fouent, & conſeruant eius intenſioni frigidiſſimæ ſemper ſtudendo, vt oſtendimus per duas concluſiones in 1. lib. Meteorologicorum *Diſp. 1. q. 5. aut. 6.* ex quo manifeſte conuincitur, quod non ſemper vnum contrarium ſtudet deſtructioni alterius, vt communiter dicitur, cum hoc ſolum admitti debeat, quando ſe inſequuntur actione directa, & non reflexa, vel antiperiſtica.

Vtrum omne Agens alterans, in agendo patiatur aliquid à paſſo alterato? Vel an poſſint in ſeinuicem agere actione reciproca?

QVÆSTIO IV.

Circa hanc quæſtionem, quàm etiam aliàs exagitauimus ſub alijs terminis, extant varia Doctorum placita, nàm alij abſolute negant dari poſſe actionem, vel paſſionem mutuam inter agens & paſſum, ac proinde in alteratum, & alterans, quandoquidem, inquiunt, cum actiuitas agentis alterantis ſemper debeat excedere reſiſtentiam paſſi alterati, habetur pro impoſſibili, quod paſſum alteratum poſſit reagere in alterans agens, ſi eius actiuitas excedatur ab illius actiuitate: Actio enim exigit fieri ſecundum proportionem maioris, & non minoris inæqualitatis, vt nos etiam ſupra docuimus. Ita videntur ſentire Io. Maior in primo ſent. diſt. 17. & nonnulli Nominalium, vt refert Ruuius hic cap. 9. q. 9. num.

143.

Digitized by Google

143. cum alijs Recentioribus.

Alij autem concedunt quidem actionem, & paſſionem reciprocam inter agens alterans, & paſſum alteratum, non tamen ſecundum vnam contrarietatem tantùm, ſed ſecundum duas: ignis enim ſecundum caliditatem poteſt alterare aquam excludendo ab ea frigiditatem: at nequit pati ſecundum eandem caliditatem ab aqua reagente in ipſum per ſuam frigiditatem: poterit tamen pati ab eadem reagente per humiditatem, & expoliari propria ſiccitate, humiditati contraria. Sic docuit Ricardus Suiſſeth de Reactione tract. 7. quem poſtea ſequuti ſunt nonnulli ex Recentioribus. Thomiſtis, & Niphus lib. 1. de Generat. & Corruptione relati ab eodem Rubio num. 144. & Merinero hic Diſp. 6. q. 9. nu. 4.

Alij etiam concedunt reactionem paſſi in agens, & ſecundum eandem contrarietatem, non tamen ſecundum totum, verum ſolum ſecundum partem: inquiunt namque ignem poſſe pati ſecundum caliditatem à frigiditate aquæ reagentis non tamen ſecundum ſe totum, ſed tantùm penes aliquam ſui partem. Sic Gulielmus Hentisberus in libro Sophyſmatum Sophyſmate vltimo, cui videtur adhærere etiam Burleus in tertio Phyſicorum ad t. 17. licet ab alijs referatur in contrariam opinionem.

Alij denique aſſerunt dari inter agens, & paſſum, alterans, & alteratum reactionem, & repaſſionem mutuam, & ſecundum eandem contrarietatem, & ſecundum totum. Ita D. Tho. hic lect. 10. Thæmiſtius, & ſimplicius in 3. Phyſicorum ad t. 8. Doctor Subtilis in 2. d. 19. q. vn. A & d. 15. q. vn. G. & H. & in 3. d. 16. q. 2. C. & in 4. d. 12. qu. 3. D. & S. & d. 44. q. 1. E. D. Thomam ſequuntur eius Diſcipuli, ſicut Scotiſtæ Magiſtrum varijs in locis citati. Qui tamen nonnihil litigant inter ſe, ſiquidem aliqui ſuſtinent non dari reactionem paſſi in agens, quin per ipſam producatur aliquid in repaſſo: reactio enim inquiunt, eſt quædam actio reconuentionalis, vnde ſicut nulla actio dari poteſt termino producto per ipſam, ita nec reactio dari poterit, quin per ipſam producatur aliquid in agente repatiente. Ita cenſuerunt Maſtrius, & Bellutus hic Diſp. 2. q. 3. num. 44. Oppoſitum, quod nimirum detur reactio in agens abſque vlla productione termini in eodem repatiente, docet Rubeus hic Diſp. 6. q. 4. vbi citat pro ſe Scotum in 2. d. 15. q. vn. H. & in 4. d. 12. q. 3. ſub R, & S, ac præſertim ſub T. vt apertè dicit dari reactionem abſque termino intrinſeco, & in eodem 4. d. 44. q. 1. E.

Quid autem ſit nobis dicendum, & ſecundum puriorem mentem Doctoris Subtilis, aliquibus de more prænotatis, dicemus in concluſionibus infra ponendis.

Primo ergo notandum eſt, ſeù potiùs memoriæ reuocandum, quod obſeruauimus etiam 2. de Anima diſp. 3. q. 4. ex Ariſtotele hic à t. 53. 54. 55. & a t. 87. 88. & 89. plura requiri ad hoc, vt inter agens, & paſſum intercedere poſſint mutua actio, & mutua paſſio. Primum eſt, quod ambo ſint materialia, ſiuè communicent in materia eiuſdem rationis, qua de cauſa Deus, & Angeli benè poſſunt agere in hæc inferiora, ſed non pati ab eis, cum hæc ſint materialia, & illi ſpirituales. Secundum, quod ambo ſint intra ſphæram actiuitatis, defectu cuius, hæc ſublunaria benè poſſunt pati à corporibus cæleſtibus, ſed nequeunt reagere in illa, ſiquidem illa ſunt inferioris ordinis, hæc verò ſuperioris. Tertium, quod virtus actiua agentis, & reagentis ſit maior reſiſtiua paſſi, & repaſſi, ex quarum carentia magnus ignis, licet poſſit agere in paruam aquam, non poterit tamen ab ea repati, quia virtus huius non ſuperat virtutem reſiſtiuam illius, ſicut exceditur ab eius actiuitate. Quartum, quod agant in ſeinuicem actione phyſica, & corruptiua, defectu cuius corpus luminoſum nequit pati ab opaco illuminato, quia illuminatio non eſt actio corruptiua cum careat contrario. Ex quibus inferendum eſt, quod ſi detur agens alterans alteratione phyſica, & corruptiua, & ſic alteratum ab eo, habeatque cætera ſuperiùs requiſita, poterunt inſeinuicem agere, & reagere, pati, & repati reciproca actione, & paſſione, non tantum ſecundum eandem contrarietatem, verùm etiam ſecundum ſe tota.

Secundo Notandum eſt ex Timplero in ſua Phyſica Generali cap. 15. Alterationem phyſicam eſſe motum accidentalem ſecundum quem corpus naturale ſucceſſiuè alterat, vel alteratur ex acquiſitione, ſiuè receptione alicuius qualitatis, & diuiditur in alterationem ſenſibilē, & inſenſibilē, iuxtà diuiſionem qualitatis, quæ per ipſam acquiritur

ritur

ritur. Alteratio ſenſibilis eſt quando corpus naturale ſenſibilem qualitatem acquirit; alteratio verò inſenſibilis eſt quando ſubiectum inſenſibilem qualitatem acquirit. Alteratio ſenſibilis partitur in primariam, & ſecundariam ſecundum diuiſionem qualitatis in primam, & ſecundam. Alteratio ſenſibilis primaria eſt acquiſitio quatuor primarum qualitatum tactibilium, & hæc eſt quadruplex ſcilicet calefactiua, ſeu calefactio per quam acquiritur calor, frigefactiua, ſiue frigefactio per quam acquiritur frigus, humefactiua, ſiue humectatio, qua acquiritur humor, & exiccatiua, ſeù exiccatio per quam acquiritur ſiccitas. Alteratio ſenſibilis ſecundaria eſt acquiſitio ſecundarum qualitatum, & hæc eſt multiplex ſcilicet concretiua, liquefactiua, attenuatiua, incraſſatiua, rarefactiua, condenſatiua, leuatiua, grauatiua, induratiua, emollitiua, læuigatiua, exaſperatiua, exacuctiua, & hebetatiua cum alijs permultis, de quibus egimus in quarto lib. Meteorologicorum, & iterum acturi ſumus in ſequenti libro de Generat. & Corruptione. Alteratio ſenſibilis adhuc eſt triplex ſcilicet corruptiua, diſpoſitiua, & perfectiua. Prima verſatur inter qualitates contrarias, tùm primas, tùm ſecundas. Secunda inter qualitates deſeruientes generationi, & corruptioni. Tertia verò eſt acquiſitiua qualitatũ non habentium contrarium quas expendimus ſupra. Diſp. 1. q. 5. 6. & 7. Alteratio inſenſibilis, quæ eſt aquiſitiua qualitatis inſẽſibilis, diuiditur in tria genera ſcilicet in sẽſificationem, intellificationem, & vellificationem, quibus acquiruntur ſenſationes, intellectiones, volitiones, ſpecies ſenſibiles, & intelligibiles, quæ ſunt qualitates ſpirituales, & ſpecies intentionales, ex quibus omnibus patet, alterationẽ inſenſibilem eſſe, quãdo homo ex ignorante fit ſciens, ex indocto doctus; ex inſipiente ſapiens; ex imprudente prudens; ex improbo probus; ex iniuſto iuſtus; ex impio prius; ex triſti lætus; & ſic deinceps. Quando verò corpus naturale fit calidum ex frigido, ſiccum ex humido; ſapidum ex inſipido; odorum ex inodoro, aut viceuerſa, tunc dicitur alterari alteratione ſenſibili abſoluta: quãdo vero ex minus calido fit magis calidum; ex minus frigido magis frigidum; ex minus humido magis humidum; ex minus ſicco magis ſiccum, & ſic deinceps, tunc dicitur alterari alteratione comparata, quas ſupra memorauimus. Hic eſt ſermo de alteratione ſenſibili, quæ fit inter contrarias qualitates, quia in his tantum potest dari actio, & reactio, paſsio, & repaſsio inter agentia alterantia, & paſſa alterata, cum illæ duntaxat ſint perſe actiuæ, & paſsiuæ.

Tertio Notandum eſt ex alias obſeruatis in 2. de Anima. Diſp. 3. q. 4. ad actionem directam agentis phyſici triplicem concurrere potentiam, nempe actiuam, paſsiuam, & reſiſtitiuam. Potentia actiua, eſt, qua agens agit in paſſum, & tranſmutat illud de contrario in contrarium: paſsiua, qua paſsum tranſmutatur de contrario in contrarium, & reſiſtitiua, qua paſſum impeditur, vel remonetur nè tranſmuteeur ab agente. Hæc autem, vt adnotauimus ſupra in hac eadem Diſputatione q. 1. eſt duplex ſcilicet actiua, ſiue cõtraria, & formalis, ſeù priuatiua: per priorem paſſum reagit in agens, impediendo, & debilitando illius virtutem, ne tàm cito, ſiue ità facilè in ſui exitium, ac deſtructionẽ euripere valeat: per poſteriorem vero nihil poſitiuum imittit in agens ſuum contrarium, ſed ſolùm opponit ſuam formam, vt incompoſſibilem cum forma agentis, quã de cauſa dicitur ei formaliter reſiſtere, ne conetur recipere in ſe formam ſibi diſconuenientem. Ex quibus infertur ergo quod ſicut potentia actiua, quà agens nititur aſsimilare ſibi patiens, denominatur actio, & potentia paſsiua ſibi oppoſita, qua paſſum conatur aſsimilari agenti, dicitur paſsio, ſic potentia reſiſtitiua actiua, qua paſſum reſiſtit agenti, debilitando eius virtutem actiuam, debet vocari reactio, & per oppoſitum potentia reſiſtitiua agentis, per quam ipſum agens conatur tueri ſe, congrediendo cum reactione paſsi, appellari debet repaſsio, quia per ipſam patitur à reactione actiua patientis. Infertur ſecundo quod quemadmodum nequit dari actio in agente, quæ non ſit productiua ſui termini ita non poterit reperiri reactio in paſſo in ordine ad agẽs, quæ non ſit productiua termini. Neque hoc eſt contra Scotũ vt putauit Rubeus cõtra Maſtriũ, quinimo ſibi cõſẽtaneũ, vt oſtẽdimus ex eodẽ ſupra q. 1. concl. 3. ſiquidẽ cũ diſtinguat expulſionẽ, & debilitationẽ actiuã à formali, per actionẽ, & reactionẽ, ac per incõpoſsibilitatẽ duarũ formarũ cõtrariarũ ad poſſe exiſtere ſimul in eodẽ ſubiecto, ſicut huic nullus aſſignatur terminus, qui

K per

per eandem producatur, præter extrinſecum, ſic illi debuit aſsignari terminus in repaſſo intrinſecus, alioquin nulla fieret diſtinctio inter reſiſtentiam actiuam, & formalem, vt fit ab eodem Scoto in 2.d. 19. q. vn. A. in 3.d. 16.q.2. C. & in 4.d. 1. q. 5. F. ac d 44. q. 1. E & ſic alicubi videatur dicere oppoſitum, vt apparenter videtur in 4. d. 12. quæſt. 3. ſub D. loquens de alteratione præuia ad generationem, & corruptionem, dicendum eſt ibi loqui diſputando, & non aſſerendo, vel dubitatiuè, & non aſſertiuè, vt fecit in alijs locis præcitatis, quod non obſcurè quiſpiam deprehendere poterit, ſi attentè, ac diligenter, & non ſuperficietenus luſtrauerit eius textum in præcitatis locis.

Ex his ſit prima concluſio. Inter agens alterans, & paſſum alteratum datur reciproca actio, & paſſio. Eſt Ariſtotelis hic t. 53. & t. 87. & 89. & lib. 4. de Gener. Animalium cap. 3. Doctoris. Subtilis in 2.d.15.q. vn. H. & d. 19.q.vn. A & in 3.d.16.q.2.C.& in 4.d.44.q. 1.E & cæterorum, quos retulimus pro vltima ſententia. Probatur primo auctoritate Ariſtotelis in ſingulis textibus præcitatis, & præſertim in vltimo loco, vbi habet hæc formalia verba: *Cauſa vt motus ſoluantur, eſt, quod omne agens patitur à patiente, vt quod ſecat hebetatur ab eo, quod ſecatur, quod calefacit, refrigeratur à caleſcente: denique quodcunque mouet, excepto primo, mutuo mouetur aliquo motu: & interdum etiam ita fit, vt quod agit magis patiatur, quam agat, & refrigeretur, quod calefacit, caleſcat quod frigefacit, cum aut nihil fecerit, aut minus, quam ipſum affectum eſt.* Secundo ſuadetur experientijs: ſi quis enim manu calida; rem frigidam apprehendat, ſimul eam calefacit, & ab ea refrigeratur: ſi ferrum ignitum in aquam frigidam inijciatur, ſimul calefacit illam, & ab ea refrigeratur: ſic alimentum intra corpus noſtrum ſumptum alterat membra noſtra, & ab ijs alteratur, ergo inter agẽs alterans, & patiens alteratum datur reciproca actio, & paſſio. Tertio probatur ratione, ſi inter agens alterans, & paſſum alteratum non daretur reciproca actio, & paſſio, ſequeretur nullam miſtionem fieri poſſe, neque elementorum, neque medicamentorum, ſed conſequens eſt contra Ariſtotelem hic à t. 87. & 89. & contra experientiam, vt probabimus in ſequenti quæſtione, ergo inter agẽs alterans, & paſſum alteratum debet eſſe mutua actio, & paſſio. Sequela maioris probatur; quia miſtio eſt miſcibilium alteratorum vnio ex Ariſtotele hic t. 90. Sed non poteſt fieri talis vnio ſine mutua actione, & paſſione miſcibilium, ſiquidem miſcibilia ſunt contraria, quæ nequeunt adinuicem vniri niſi per actionem, & paſſionem redigantur ad mediocritatem, vt ſe poſſint compati in eodem mixto, ergo ſi non daretur reciproca actio, & paſſio inter agens, alterans, & paſſum alteratum nulla fieri poſſet, miſtio elementorum, & medicamentorum, quod eſt contra Ariſtotelem in citato loco.

Secunda Concluſio. Inter agens alterans, & paſſum alteratum, alteratione corruptiua, datur actio & reactio; paſſio, & repaſsio ſecundum eandem contrarietatem, & ſecundum totum. Eſt eiuſdem Ariſtotelis, & Doctoris Subtilis in præcitatis locis: contra Doctores relatos in ſecunda & tertia opinione. Probatur ex Ariſtotele in lib. 4. de Generat. Animalium loco nupertime citato, quia omne agens patitur etiam à patiente, vt quod ſecat, hebetatur ab eo, quod ſecatur, quod calefacit, refrigeratur, ſed calefactio, & frigefactio ſunt alterationes contrariæ, & eiuſdem contrarietatis, vt eſt manifeſtum, ergo &c. Secundo quia quæcumque ſic ſe habent, quod communicant in materia, ſunt intra ſphæram eiuſdem actiuitatis, & actiuitas vnius eſt maior reſiſtentia alterius, talia agunt, & patiuntur, reagunt, & repatiuntur inſeinuicem, ſed agens alterans, & paſſum alteratum habent omnes has conditiones, ergo inter illa cadit actio, & paſsio, reactio, & repaſsio. Maior patet ex Ariſtotele citato in primo Nor. Minor probatur, quia cùm ignis agit in aquam illam calefaciendo, alterat eam per ſuam caliditatem, & alteratur ab ea per ſuam frigiditatem, alteratione corruptiua, quia nituntur inſeinnicem deſtruere, ſed hoc non poſſent facere, niſi ambo eſſent materiales, & virtus vnius ſuperaret virtutem alterius intra ſphæram actiuitatis vtriuſque; vt docet Aſtriſtoteles hic in t. 53 54 87. & 89. vbi præſcribit omnes has conditiones ad actionem, & paſsionem requiſitas, ergo inter agens alterans, & paſſum alteratum alteratione corruptiua dantur actiones, & paſsiones, reactiones, & paſsiones reciprocæ ſiuè mutuæ.

Tertia Concluſio. Nulla dari poteſt reactio

ctio

Digitized by Google

actio alteratiua paſſi alterati in agens alterãs, quin per ipſam producatur aliquid in eodem alterante. Colligitur ex Scoto ſecundum Maſtrium & Bellutum, contra Rubeum in locis ſuperius citatis pro vltima ſententia. Probatur, quia: nulla datur actio alteratiua ſine termino per ipſam acquiſito, alioquin alteratio non eſſet motus phyſicus, contra Ariſtotelem tertio. Phyſicorum à t. 7. & inde, & 5. Phyſicorum t. 7. 9. & 18. vbi enumerat alterationem inter motus phyſicos, eamque ſecernit à cæteris ratione termini ad quem, ſed reactio paſſi alterati in agens alterans, eſt quædam actio alteratiua ergo nequit eſſe, quin per ipſam producatur terminus in agente alterante. Minor probatur, quia reactio eſt reſiſtentia actiua paſſi erga agens, per quam paſſum nititur impedire, & debilitare actionem agentis in ſeipſum, ſed reſiſtentia actiua nequit eſſe ſine termino, quia per hoc differt à formali ex Doctore Subtili in 4.d.1.q 5.F. vbi diſtinguit expulſionem alicuius qualitatis contrariæ actiuã à formali, ergo &c. Maior patet in tertio. Not. & ex q. 1. huius Diſputationis, vbi probauimus concluſione tertia diuiſionem illam reſiſtentiæ paſſi in agens in actiuam, & paſſiuam, ſeù formalem de mente Scoti, & actiuã eſſe reactionem paſſi in agens. Secũdo probatur ex Doctore Subtili in 2.d.19.q. vn.A.& in 4.d.44.q.prima ſub E.quia omne agens agendo in paſſum debilitatur per reactionem eiuſdem paſſi in ipſum, ſed non poteſt debilitari, niſi per amiſsionem propriæ virtutis, & hæc nequit amitti in agente, niſi per receptionem alicuius contrarij, ſiquidem corruptio vnius eſt generatio alterius ex Ariſtotele hic t. 17. & hæc ſupponit alterationem corruptiuam ex eodem ibidem t. 10. ergo de primo ad vltimum, agens nequit debilitari, & corrumpi, niſi per amiſſionem propriæ virtutis, & receptionem virtutis alienæ intra ſe. Confirmatur ab eo in citatis locis exẽplo Ariſtotelis hic t. 42. quia agens in agendo debilitatur ab actione reſiſtitiua paſſi, quo pacto debilitatur vinum per miſtionem aquæ in ipſum, ſed vinum nequit debilitari ab aqua, cum qua congreditur, niſi per iteratam receptionem aquæ intra ſemetipſum, ergo nec agens agendo in paſſum poterit debilitari ſecundum ſuam virtutem ſi per reactionem paſſi non receperit aliquid illius intra ſe. Supereſt igitur vt dicamus de mente Scoti, nullam poſſe dari reactionem alteratiuam paſſi in agens alterans, quin per ipſam producatur aliquid in agente alterante.

Obijcitur primo contra primam concluſionem quia nihil idem poteſt ſimul duobus motibus contrarijs affici, hoc eſt ſimul agere, & pati, ſed ſi omne agens alterans in agendo pateretur aliquid ab alterato, idem omnino moueretur motibus contrarijs; calidum enim ſi ageret in frigidum, ſimul calefaceret, & refrigeraretur ab eo, quod calefaceret, ergo &c. Maior eſt Ariſtotelis pluribus in locis, & præcipue hic t. 48. 53. & 87. Maior eſt euidens, quia tunc idem ſimul ageret, & pateretur ergo &c.

Reſponderet quiſpiam maiorem eſſe veram abſolute de motibus alterationis, non verò de localibus, quia motus locales contrarij poſſunt terminari ad idem vbi, vt aliàs diximus etiam nos cum Scoto, & ſic negaret minorem, quia agens alterans non pateretur ſimul ab alterato, cùm calidum calefaciendo aquam nihil de frigiditate illius acciperet in ſe, per quam pati ſibi contingeret: verùm quia ſic reſpondere, eſſet deſtruere axioma Ariſtotelicum, tot vallatum experientijs, vt ſupra oſtendimus, probando concluſionem, idcircò conceſſa minori, diſtinguimus maiorem in propoſito, veram eſſe de motibus in ſummo conſideratis, non verò in remiſſo eſſe; nam ſicut duæ qualitates contrariæ nequeunt cõſiſtere ſimul in ſummo, bene tamen in eſſe remiſſo, ſic duo motus contrarij in eſſe remiſſo poſſunt afficere idem mobile; ac proinde nullum erit inconueniens, quod agens alterans ſimul patiatur ab alterato, & moueatur motibus contrarijs ad contraria in eſſe remiſſo, licet non in ſummo.

Obijcitur ſecundo quia ad actionem agẽtis naturalis exigitur, quod actiuitas agentis ſit maior, & ſuperet reſiſtentiam paſſi, ſed reſiſtentia paſſi, in qua conſiſtit eius actiuitas, nequit eſſe maior, & ſuperare reſiſtentiam agentis, ergo inter illa nequit dari actio, & paſsio reciproca. Maior patet ex concluſis à nobis ſupra quæſtione prima huius diſputationis. Minor probatur, quia reſiſtentia eſt duplex ſcilicet actiua, ſeù contraria, & formalis, ſiuè paſsiua, vt diximus in eadem quæſtione, ſed neutra poteſt eſſe maior, & perfectior reſiſtentia

agentis, ſicut nec paſſum ipſo agente, ergo reſiſtentia actiua paſſi nequit eſſe ratio, vt paſſum reagat in agens actione reciproca.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem negatur minor pariter; & licet paſſum, & eius actiuitas ſint inferioris entitatis, quàm ſit entitas, & actiuitas agentis, non tamen ſequitur, quod actiuitas paſſi ſit minor reſiſtentia actiua agentis; quinimò eſt in oppoſitum, quia datur talis ordo, quod vbi eſt potentia actiua maior, ibi eſt potentia reſiſtitiua minor, & econuersò, vbi eſt maior reſiſtitiua ibi, eſt minor actiua, & vbi eſt maxima actiua ibi eſt minima reſiſtitiua, & econuersò. Ex quibus infertur, quod ſi actiuitas agentis ſit maior actiuitate paſſi, vt inde poſſit ſequi actio eius in paſſum, actiuitas paſſi ſit maior reſiſtentia agentis vt hinc poſſit reactio paſſi in agens conſequi, vt proindè verificari poſſit, inter agens, & paſſum, alterans, & alteratum, quod detur mutua actio, & paſſio, & non ſit impoſſibilis, vt cenſuit prima opinio.

Obijcitur tertio contra ſecundam concluſionem ſi agens alterans, ſecundum eandem qualitatem, & ſecundum eandem partem, ageret in paſſum alteratum, & ſimul pateretur ab eo, ſequeretur, quod idem, ſecundum idem, & reſpectu eiuſdem, eſſet in actu formali, & in potentia formali, ſed conſequens includit manifeſtam repugnantiam; ergo agens alterans, ſecundum eandem qualitatem, & ſecundum eandem partem, nequit agere in paſſum alteratum, & ſimul pati ab illo paſſione corruptiua. Sequela, maioris probatur, quia ad agendum vniuoce, opus eſt, vt id, quod agit ſit in actu formali, & ad patiendum, id, quod patitur, ſit in potentia formali, ergo ſi idem, ſecundum eandem qualitatem agit in aliud, & patitur ab eo, erit ſimul in actu formali, & in potentia formali.

Reſpondetur negando ſequelam maioris reſpectu eiuſdem. Ad probationem, concedimus quidem tale agens alterans, dum ageret in paſſum ſecundum eandem qualitatem eſſe ſimul in actu, & potentia formali, non tamen reſpectu eiuſdem, ſed reſpectu diuerſorum: calor enim, ſecundum quem ignis agit in aquam, illam alterando, eſt idem ſecundum quem repatitur ab illa, & ſic ſecundum eandem qualitatem dicitur eſſe in actu formali agendi, & in potentia formali patiendi, non tamen reſpectu eiuſdem, verum reſpectu diuerſorum: reſpectu enim caloris, quem producit in aqua, eſt in actu formali, & reſpectu frigoris, quod recipit, & patitur ab aqua, eſt in potentia formali, & ſic benè ſequitur, quod agens alterans ſecundum eandem qualitatem agat in alteratum, & patiatur ab eo, non tamen reſpectu eiuſdem, ſed reſpectu diuerſorum, vt explicatum eſt.

Obijcitur quarto quia ſi agens alterans pateretur aliquid ab alterato ſecundum eandem qualitatem, ſequeretur, quod id, quod vincit poſſet pati à victo, & quod vincitur poſſet agere in vincentem, ſed vtrumque conſequens repugnat experientiæ, nàm id, quod vincit ſuperat victum, & in totum eneruat eius vires, vnde non habet, quibus armis poſſit impugnare vincentem, vt poſſit ab eo pati, ergo repugnat, quod agens alterans, in eo, quod agit in alteratum, poſſit ab eo pati.

Reſpondetur negando conſequentiam; nec probatio vrget, cum laboret æquiuocatione; nam licet id, quod vincit, non poſſit pati à victo, quatenus illud vincit, & hoc vincitur reduplicatiuè; tamen indè non ſequitur, alterans nihil poſſe pati ab alterato, quia id, quod vincit, ante victoriam, durante adhuc pugna, poterit pati ab eo, quod poſtea vincitur.

Obijcitur quinto ex Rubeo citato, contra tertiam concluſionem tùm quia Scotus in 2.d.19.q.vn.ſub A.& in 4.d.44 q.1. ſub E dicit calorem naturalem, ex continua actione in cibum debilitari, & tamen clarum eſt, alimentum nihil in calorem naturalem reproducere, ſed ſolùm nè in ſubſtantiam aliti conuertatur, reſiſtere, quam tamen reſiſtentiam, appellat ibi Scotus reactionem, & repaſsionem, cum per illam debilitetur calor naturalis: tùm quia Scotus in 2.d. 15. q. vn. H. dicit corruptionem ab intrinſeco dupliciter contingere, vel per contrarias qualitates in vna parte organica exiſtentes, illas alterando, vel ex continua actione caloris naturalis in alimentũ, quod ſolum calori reſiſtit, tùm etiã, quia reſiſtentia paſsi ad agens videtur explicari à Scoto in 2.d.2.q.9. ſub Z. negatiuè

Digitized by Google

tiuè, pro quato detinetur, nè ità citò, & expeditè, vel tam intensè, formam, quàm inducere intendit, introducat: tùm quia etiam in 4. d. 12. q.3. ſub R. & S. inquit dari alterationem naturalem in accidentibus ſeparatis ſine productione alicuius termini: tùm denique, quia Doctor Subtilis in præcitatis locis, dicit omne agens phyſicum ſubſtantiale repati in agendo, & tamen clarum eſt, formam ſubſtantialem agentis non dici repati, quia recipiat aliquid à forma ſubſtantiali reſiſtente, alioquin duæ formæ ſubſtantiales diſparatæ poſſent eſſe ſimul in eadem materia, quod eſt contra Doctorem eundem in 2. d. 15. quæſt. vn. infra A & in 4. d. 49. quæſt. 16. Ad primum argumentum pro opinione Henrici §. Alius intellectus, ergo ex his omnibus habetur dari poſſe reſiſtentiam paſſi ad agens abſque vlla productione termini in agente repatiente.

Reſpondetur negando conſequentiam, ſi ſermo ſit de reſiſtentia actiua, & contraria, concedendo verò illam de formali, & paſſiua, vt ſuperius oſtendimus cum Doctore Subtili: neque rationes deſumptæ ex Scoto, multum vrgent, quamuis prima facie videantur nonnihil roboris habere. Vnde ad primam dicimus, verum eſſe, quod alimentum per reſiſtentiam formalem nihil producit in ſubiecto caloris naturalis, falſum tamen, quod nihil producat in eodem per reſiſtentiam actiuam, ſeù contrariam; nàm cum, pugnet per ſuas qualitates contrarias in ſubiectum caloris naturalis actiuè, debilitando vires caloris naturalis, non poterit illud debilitare, niſi per deperditionem gradualem ſuipſius, & introductionem gradualem qualitatis propriæ in ſubiecto caloris naturalis, alioquin non eſſet expulſio actiua, ſed formalis, vt aduertit Scotus in 4. d. 1. quæſt. 5. ſua F. Ad ſecundam eodem pacto reſpondetur, per alterationem formalem nihil producere, per actiuam verò aliquid producere in parte organica, per quod diſponit illam ad corruptionem. Ad tertiam dicimus ibi Scotum loqui de reſiſtentia formali, & non actiua, ſiquidem inquit enim *breuiter dico, quod cauſa ſucceſſionis in quolibet motu eſt reſiſtentia mobilis ad motorem: non quidem talis, quod mouens non poſſit vincere mobile; tunc enim non moueret ipſum, ſed nec etiam talis, quod mobile reinclinetur ad oppoſitum, quia ſic eſt preciſè in motu violento, ſed talis reſiſtentia, quod mobile ſemper eſt ſub aliquo, cui non poteſt immediatè ſuccedere terminus intentus à mouento.* En quomodo loquitur de reſiſtentia, quam patitur motor à mobili, ob defectum virtutis, vt non transferre poſſit immediate formam inducendam de termino à quo ad terminum ad quem, ab eodem intentum, verum cogatur tranſire media, quæ reſiſtentia non eſt niſi formalis, & non actiua, de qua nec loquimur in propoſito. Ad quartam iàm reſponſum fuit ſupra Not. tertio. Ad quintam concedimus agens phyſicum ſubſtantiale in agendo repati duplici reſiſtentia, & formali, & contraria; priori ob incompoſſibilitatem vnius formæ ſubſtantialis cum ſua diſparata, & per hanc nihil producitur, quod ſit terminus intrinſecus talis reſiſtentiæ, cum fiat in inſtanti: poſteriori verò ob pugnam contrariorum in ſeinuicem, & per hanc ſemper aliquid producitur, quia fit ſucceſſiue per deperditionem gradualem vnius, & acquiſitionem gradualem alterius contrarij in ſubiecto agente. Ex his, & ex poſitis de mente Scoti in probatione concluſionis tertia manifeſte patet, nullam dari poſſe reactionem paſſi ad agens, quin per ipſam producatur aliquid in agente alterante, quicquid attentet Rubeus in contrarium iuxtà ſententiam, quam putat eſſe Magiſtri.

Vtrum Miſtio ſit poſſibilis in natura?

QVÆSTIO V.

CIrca hanc quæſtionem, quam de miſtione propriè ſumpta pertractare intendimus, extat duplex oppoſita ſententia, quarum prima vt refert Ariſtoteles hic t. 82. fuit quorundam Antiquorum exiſtimantium, miſtionem eſſe impoſsibilem in rerum natura, ſiue ſermo ſit de Elementis, ſiuè de liquoribus medicamentorum: ſiquidem impoſsibile, inquiunt, eſt, quod dentur plura corpora, quę qualitatibus contrarijs afficiantur, & adinuicem pugnent

Digitized by Google

vſque ad interſectionem, & poſteà vniantur in aliquo, quod ex illis miſtum dicatur. Sequuntur aliqui Recentiores hanc eandem opinionem, licet non vniuerſaliter, verùm particulariter de nonnullis liquoribus medicamentorum, & præſertim de conuerſione aquæ in vinum.

Secunda Sententia tenet miſtionem eſſe naturaliter poſſibilem, & de facto dari in rerum natura, contra præcedentem. Ita ſuſtinent cum Ariſtotele omnes eius Interpretes, tùm Græci, tùm latini, vt videre eſt apud Recentiores à quibus referuntur, & præſertim apud Ruuium hic cap. 10. Tractatu de Mixtione q. 1. num. 9. Verùm loquendo de Miſcibilibus, ex quibus poſſit miſtio fieri, nonnulli ſunt diſcordes, quando quidem aliqui cenſent poſsibilem eſſe ex omnibus elementis: alij ex tribus tantum: alij ex duobus etiam poſſe fieri autumant. Ex liquoribus etiam poſſe dari miſtionem, non tamen ex omnibus, verùm ex illis duntaxat, qui habent qualitates contrarias. An autem detur de facto miſtio aquæ cum vino, litigant Doctores, tum Philoſophi, tùm Theologi, alijs negatiuam, alijs affirmatiuam partem tuentibus.

Quid verò ſit dicendum nobis in tanta ſententiarum varietate, & præcipuè iuxtà mentem Scoti, quibuſdam de more adnotatis, dicemus in concluſionibus infra ponendis, & probandis.

Primò igitur notandum eſt, ex Ariſtotele hic à t. 82. & ſequentibus, miſtionem præſeferre vnionem confuſam quorundam corporum ad ſeinuicem aggregatorum; quibus de cauſis, nec accidentia plura, exiſtentia in eodem ſubiecto; nec plura corpora ordinatim poſita in eodem loco, & ſitu queunt facere miſtionem inter ſe: illa, quia accidentia non ſunt corpora; hæc verò, quia non ſunt confuſa, ſed ordinata in eodem loco, & ſitu; & miſtio ſic deſcripta eſt duplex, nempè impropriè, & propriè ſumpta. Miſtio impropriè ſumpta eſt congregatio aliquorum corporum adinuicem, & in eodem loco, ſiue talia corrumpantur, ſiuè perſeuerent integra ſecundum ſuas formas ſubſtantiales, & ſic grana hordei, vt confunduntur cum granis tritici, partes aquæ cum partibus vini dicuntur commiſceri, ſed valdè impropriè, quia potiùs debent vocari iuxta poſita, quàm commixta cùm immutata permaneant, ſicut ante fuerant. Miſtio autem propriè accepta eſt congregatio, ſeù vnio aliquorum corporum, non manentium ſecundum formas ſubſtantiales, ſed tantum ſecundum materias, & ſecundum virtutes, ideſt ſecundum qualitates ſimiles; & hæc ſpectari poteſt dupliciter ſcilicet formaliter, & præſuppoſitiuè. Miſtio formaliter importat aggregationem miſcibilium, non manentium ſecundum formas ſubſtantiales, ſed ſecundum virtutes duntaxat. Miſtio verò præſuppoſitiuè ſumpta eſt generatio mixti præſupponentis talem vnionem miſcibilium. Hic eſt ſermo de miſtione propriè ſumpta, ſiue formaliter, ſiuè præſuppoſitiue attendatur, & de iſta quæritur an ſit poſſibilis, & an de facto detur in rerum natura, quia de priori non eſt dubium, quin habeatur in natura, cùm experientia quotidiè illam demonſtret in varijs corporibus inanimatis, quæ adinuicem commiſcentur localiter.

Secundo Notandum ex eodem ibidem, & ex Doctore Subtili in ſecundo d. 15 q. vn. ad veram miſtionem tria potiſſimum requiri. Primum, eſt coniunctio, ſiue vnio localis ſecundum minutiſſimas partes eorum, quæ debent miſceri, nempe elementorum, vel liquorum, ex quibus coaleſcere debet aliquod tertium. Secundum, mutua eorum alteratio per actionem, & paſſionem partium vnius in partes alterius, hoc eſt partium aquæ in partes aeris, vel terræ. Tertium, inductio, ſeù productio formæ ſubſtantialis miſti in materijs miſcibilium, & conſequenter corruptio ſubſtantialis eorumdem, quia generatio vnius eſt corruptio alterius. Ex quibus infertur, quod miſtio propriè ſumpta eſt productio ſubſtantialis miſti, reſultans ex vnione miſcibilium, præuia alteratione diſpoſitorum ad corruptionem: ſiquidem generatio miſti præſupponit corruptionem eorum, quæ miſceri debent, ſicut generatio ſimplex formæ ſubſtantialis ſupponit corruptionem alterius formæ ſibi incompoſſibilis, generatio namque, ſiue miſta, ſiuè ſimplex ſemper ſupponit corruptionem, ad quam conſequitur, vt aliàs dictum eſt cum Ariſtotele hic t. 17. & cum Doctore Subtili in

2. d.

Digitized by Google

2. d. 1. quæſt. 3. ſub L.

Tertio Notandum ex eodem Ariſtotele ibidem, miſcibilia eſſe corpora ſubſtantialia, habentia aptitudinem, & proportionem, ad ſeinuicem vniri, ſeù coniungi in aliquo, media eorumdem alteratione, & corruptione, quæ vt à cæteris diſcerni queant, debent habere has ſequentes conditiones. Prima vt ſint actiua, & paſſiua ad ſeinuicem, defectu cuius materia, & forma, ſubiectum, & accidentia, ſublunaria, & cæleſtia, cùm nequeant adſeinuicem agere, & pati, actione, & paſſione reciproca, non poſſunt miſceri. Secunda vt ſint diuiſibilia in minutiſſimas partes, quia ſic poterunt facilius ſeinuicem alterari, defectu cuius lapis, & ferrum nequeunt miſceri in aliquo tertio. Tertia vt non ſint magna, nec multa, quia ſic difficillimè poſſent adinuicem alterari, & corrumpi. Quarta vt ſint proportionabilia in actione, & paſsione mutua, hoc eſt, vt actiuitas vnius non longè ſuperet reſiſtentiam alterius, alioquin non ſequeretur præuia alteratio ordinata ad miſtionem, ſed deſtructio, & corruptio vnius, ſeruato altero in ſuo eſſe, & per conſequens nec generatio miſta, ſed ſimplex. Quinta quod ſint humida, & non lentorem patientia, vt ſunt oleum, mel, pinguedo, & ſimilia, quæ viſcoſitatem redolent, quia talia difficilè confunduntur, vt alterari à ſeinuicem queant. Sexta vt ſint affecta qualitatibus contrarijs, ratione quarum poſſent agere, & pati alteratione corruptiua, defectu cuius liquores, vel ſimilia corpora humida, qualitatibus medijs ſubiecta, quàmuis in minutiſsimas partes diuidi poſſint, non tamen commiſceri ad inuicem poterunt, cùm nec alterari valeant à ſeinuicem alteratione corruptiua, ſed ſolùm perfectiua. Ex his infertur, cum in rerum natura reperiantur corpora, quibus conuenire poſsint huiuſmodi conditiones talia eſſe adinuicem miſcibilia miſtione propria, ac proindè illam, non tantum eſſe poſsibilem, verùm etiam de facto, dari in natura, in elementis, & in nonnullis liquoribus, vt mox oſtendemus.

Ex his ſit prima concluſio. Miſtio, non ſolum impropria, quam admittebant Antiqui, verùm etiam propria, deſcripta ab Ariſtotele, eſt poſsibilis in natura. Eſt communis cum Ariſtotele hic à t. 87. vſque ad finem capitis, & præſertim Scoti in 2. d. 15. q. vn. D. & F. ac D. Thomæ hic, & in 3. p. quæſt. 77. art. 8. vbi ſupponit multos liquores adinuicem miſceri. Prima pars probatur, quia dantur in natura multa corpora, quæ ad inuicem localiter congregantur, & ad inuicem confunduntur, abſque illorum alteratione, & corruptione, ſed huiuſmodi corporum congregatio eſt miſtio impropriè ſumpta, vt aſſerebant Antiqui, ergo miſtio impropriè ſumpta eſt poſsibilis in natura. Maior patet ab experientia in congregatione hordei cum tritico, millis cum panico in horreo, aquæ cum vino in dolio, & ſimilium, ſiquidem grana horum ſeminum confuſo modo congregantur in cumulis, & partes aquæ, & vini confunduntur in dolio, vbi conſeruantur integra abſque eorundem corruptione. Secunda pars probatur, quia ex putri materia, virtute Solis, vices gerentis ignis, producuntur animalia quædam imperfecta, quæ nihilominus ſunt miſta perfecta: ſimiliter ex terra, aqua, aere, & calore ſolis, ſimul concurrentibus, & alterationem patientibus adinuicem, gignitur quidam ſuccus, quo aluntur plantæ, omninò diſtinctus ab elementis, ergo ex horum alteratione, & corruptione generatur miſtum miſtione propriè ſumpta. Secundo probatur ratione, nàm vbicumque reperiuntur miſtibilia preſsè accepta, ibi eſt poſsibilis miſtio propriè ſumpta: miſtio enim enaſcitur ex miſtibilibus, ſed in natura reperiuntur miſtibilia propriè accepta, ergo & miſtio erit poſsibilis in natura. Minor probatur, quia in natura reperiuntur corpora actiua, & paſsiua, diuiſibilia in minutiſsimas partes in infinitum, non admodum magna, & proportionabilia in actione, & paſsione, vt ſunt elementa, & liquores, ſed talia ſunt miſtibilia propriè accepta, cum habeant conditiones requiſitas ad miſtionem, poſitas in tertio Not. ergo cum in natura reperiantur miſtibilia propriè ſumpta, in eadem quoque erit poſsibilis miſtio preſsè accepta.

Secunda Concluſio. Miſtio, deſcripta ab Ariſtotele in præcitatis textibus, de facto datur in rerum natura. Probatur, quia de facto videntur gigni quædam impreſsiones meteorologicæ, quæ ſunt

vſque ad interſectionem, & poſteà vniantur in aliquo, quod ex illis miſtum dicatur. Sequuntur aliqui Recentiores hanc eandem opinionem, licet non vniuerſaliter, verùm particulariter de nonnullis liquoribus medicamentorum, & præſertim de conuerſione aquæ in vinum.

Secunda Sententia tenet miſtionem eſſe naturaliter poſſibilem, & de facto dari in rerum natura, contra præcedentem. Ita ſuſtinent cum Ariſtotele omnes eius Interpretes, tùm Græci, tùm latini, vt videre eſt apud Recentiores à quibus referuntur, & præſertim apud Ruuium hic cap. 10. Tractatu de Mixtione q. 1. num. 9. Verùm loquendo de Miſcibilibus, ex quibus poſſit miſtio fieri, nonnulli ſunt diſcordes, quandoquidem aliqui cenſent poſsibilem eſſe ex omnibus elementis: alij ex tribus tantum: alij ex duobus etiam poſſe fieri autumant. Ex liquoribus etiam poſſe dari miſtionem, non tamen ex omnibus, verùm ex illis duntaxat, qui habent qualitates contrarias. An autem detur de facto miſtio aquæ cum vino, litigant Doctores, tùm Philoſophi, tùm Theologi, alijs negatiuam, alijs affirmatiuam partem tuentibus.

Quid verò ſit dicendum nobis in tanta ſententiarum varietate, & præcipuè iuxtà mentem Scoti, quibuſdam de more adnotatis, dicemus in concluſionibus infra ponendis, & probandis.

Primò igitur notandum eſt, ex Ariſtotele hic à t. 82. & ſequentibus, miſtionem præſeferre vnionem confuſam quorundam corporum ad ſeinuicem aggregatorum; quibus de cauſis, nec accidentia plura, exiſtentia in eodem ſubiecto; nec plura corpora ordinatim poſita in eodem loco, & ſitu queunt facere miſtionem inter ſe: illa, quia accidentia non ſunt corpora; hæc verò, quia non ſunt confuſa, ſed ordinata in eodem loco, & ſitu; & miſtio ſic deſcripta eſt duplex, nempè impropriè, & propriè ſumpta. Miſtio impropriè ſumpta eſt congregatio aliquorum corporum adinuicem, & in eodem loco, ſiue talia corrumpantur, ſiuè perſeuerent integra ſecundum ſuas formas ſubſtantiales, & ſic grana hordei, vt confunduntur cum granis tritici, partes aquæ cum partibus vini dicuntur commiſceri, ſed valdè impropriè, quia potiùs debent vocari iuxta poſita, quàm commixta cùm immutata permaneant, ſicut ante fuerant. Miſtio autem propriè accepta eſt congregatio, ſeù vnio aliquorum corporum, non manentium ſecundum formas ſubſtantiales, ſed tantum ſecundum materias, & ſecundum virtutes, idest ſecundum qualitates ſimiles; & hæc ſpectari poteſt dupliciter ſcilicet formaliter, & præſuppoſitiuè. Miſtio formaliter importat aggregationem miſcibilium, non manentium ſecundum formas ſubſtantiales, ſed ſecundum virtutes duntaxat. Miſtio verò præſuppoſitiuè ſumpta eſt generatio mixti præſupponentis talem vnionem miſcibilium. Hic eſt ſermo de miſtione propriè ſumpta, ſiue formaliter, ſiuè præſuppoſitiue attendatur, & de iſta quæritur an ſit poſſibilis, & an de facto detur in rerum natura, quia de priori non eſt dubium, quin habeatur in natura, cùm experientia quotidiè illam demonſtret in varijs corporibus inanimatis, quæ adinuicem commiſcentur localiter.

Secundo Notandum ex eodem ibidem, & ex Doctore Subtili in ſecundo d. 15 q. vn. ad veram miſtionem tria potiſſimum requiri. Primum, eſt coniunctio, ſiue vnio localis ſecundum minutiſſimas partes eorum, quæ debent miſceri, nempe elementorum, vel liquorum, ex quibus coaleſcere debet aliquod tertium. Secundum, mutua eorum alteratio per actionem, & paſſionem partium vnius in partes alterius, hoc eſt partium aquæ in partes aeris, vel terræ. Tertium, inductio, ſeù productio formæ ſubſtantialis miſti in materijs miſcibilium, & conſequenter corruptio ſubſtantialis eorumdem, quia generatio vnius eſt corruptio alterius. Ex quibus infertur, quod miſtio propriè ſumpta eſt productio ſubſtantialis miſti, reſultans ex vnione miſcibilium, præuia alteratione diſpoſitorum ad corruptionem: ſiquidem generatio miſti præſupponit corruptionem eorum, quæ miſceri debent, ſicut generatio ſimplex formæ ſubſtantialis ſupponit corruptionem alterius formæ ſibi incompoſſibilis, generatio namque, ſiue miſta, ſiuè ſimplex ſemper ſupponit corruptionem, ad quam conſequitur, vt aliàs dictum eſt cum Ariſtotele hic t. 17. & cum Doctore Subtili in

Digitized by Google

2. d. 1. quæſt. 3. ſub L.

Tertio Notandum ex eodem Ariſtotele ibidem, miſcibilia eſſe corpora ſubſtantialia, habentia aptitudinem, & proportionem, ad ſeinuicem vniri, ſeù coniungi in aliquo, media eorumdem alteratione, & corruptione, quæ vt à cæteris diſcerni queant, debent habere has ſequentes conditiones. Prima vt ſint actiua, & paſſiua ad ſeinuicem, defectu cuius materia, & forma, ſubiectum, & accidentia, ſublunaria, & cæleſtia, cùm nequeant adſeinuicem agere, & pati, actione, & paſſione reciproca, non poſſunt miſceri. Secunda vt ſint diuiſibilia in minutiſſimas partes, quia ſic poterunt facilius ſeinuicem alterari, defectu cuius lapis, & ferrum nequeunt miſceri in aliquo tertio. Tertia vt non ſint magna, nec multa, quia ſic difficillimè poſſent adinuicem alterari, & corrumpi. Quarta vt ſint proportionabilia in actione, & paſsione mutua, hoc eſt, vt actiuitas vnius non longè superet reſiſtentiam alterius, alioquin non ſequeretur præuia alteratio ordinata ad miſtionem, ſed deſtructio, & corruptio vnius, ſeruato altero in ſuo eſſe, & per conſequens nec generatio miſta, ſed ſimplex. Quinta quod ſint humida, & non lentorem patientia, vt ſunt oleum, mel, pinguedo, & ſimilia, quæ viſcoſitatem redolent, quia talia difficilè confunduntur, vt alterari à ſeinuicem queant. Sexta vt ſint affecta qualitatibus contrarijs, ratione quarum poſſent agere, & pati alteratione corruptiua, defectu cuius liquores, vel ſimilia corpora humida, qualitatibus medijs ſubiecta, quàmuis in minutiſsimas partes diuidi poſſint, non tamen commiſceri ad inuicem poterunt, cùm nec alterari valeant à ſeinuicem alteratione corruptiua, ſed ſolum perfectiua. Ex his infertur, cum in rerum natura reperiantur corpora, quibus conuenire poſsint huiuſmodi conditiones talia eſſe adinuicem miſcibilia miſtione propria, ac proindè illam, non tantum eſſe poſsibilem, verùm etiam de facto, dari in natura, in elementis, & in nonnullis liquoribus, vt mox oſtendemus.

Ex his ſit prima concluſio. Miſtio, non ſolum impropria, quam admittebant Antiqui, verum etiam propria, deſcripta ab Ariſtotele, eſt poſsibilis in natura. Eſt communis cum Ariſtotele hic à t. 87. vſque ad finem capitis, & præſertim Scoti in 2. d. 15. q. vn. D. & F. ac D. Thomæ hic, & in 3. p. quæſt. 77. art. 8. vbi ſupponit multos liquores adinuicem miſceri. Prima pars probatur, quia dantur in natura multa corpora, quæ ad inuicem localiter congregantur, & ad inuicem confunduntur, abſque illorum alteratione, & corruptione, ſed huiuſmodi corporum congregatio eſt miſtio impropriè ſumpta, vt aſſerebant Antiqui, ergo miſtio impropriè ſumpta eſt poſsibilis in natura. Maior patet ab experientia in congregatione hordei cum tritico, millis cum panico in horreo, aquæ cum vino in dolio, & ſimilium, ſiquidem grana horum ſeminum confuſo modo congregantur in cumulis, & partes aquæ, & vini confunduntur in dolio, vbi conſeruantur integra abſque eorundem corruptione. Secunda pars probatur, quia ex putri materia, virtute Solis, vices gerentis ignis, producuntur animalia quædam imperfecta, quæ nihilominus ſunt miſta perfecta: ſimiliter ex terra, aqua, aere, & calore ſolis, ſimul concurrentibus, & alterationem patientibus adinuicem, gignitur quidam ſuccus, quo aluntur plantæ, omninò diſtinctus ab elementis, ergo ex horum alteratione, & corruptione generatur miſtum miſtione propriè ſumpta. Secundo probatur ratione, nàm vbicumque reperiuntur miſtibilia preſsè accepta, ibi eſt poſsibilis miſtio propriè ſumpta: miſtio enim enaſcitur ex miſtibilibus, ſed in natura reperiuntur miſtibilia propriè accepta, ergo & miſtio erit poſsibilis in natura. Minor probatur, quia in natura reperiuntur corpora activa, & paſsiua, diuiſibilia in minutiſsimas partes in infinitum, non admodum magna, & proportionabilia in actione, & paſsione, vt ſunt elementa, & liquores, ſed talia ſunt miſtibilia propriè accepta, cum habeant conditiones requiſitas ad miſtionem, poſitas in tertio Not. ergo cum in natura reperiantur miſtibilia propriè ſumpta, in eadem quoque erit poſsibilis miſtio preſsè accepta.

Secunda Concluſio. Miſtio, deſcripta ab Ariſtotele in præcitatis textibus, de facto datur in rerum natura. Probatur, quia de facto videntur gigni quædam impreſsiones meteorologicæ, quæ ſunt

miſta imperfecta, ex aliquibus elementis, nempe ex aqua, & terra, vt ſunt impreſſiones aqueæ, & terreæ; vel ex igne, & aere, cuiuſmodi ſunt ignitæ, de quibus fuſius egimus in tribus prioribus Libris Meteorologicorum, atqui tales impreſsiones, ſeù miſta imperfecta, nequeunt gigni, niſi ex miſtione elementorum, cum hæc ſint eorum materiæ, vt ibidem cum Ariſtotele, & Scoto determinauimus, ergo de facto datur miſtio propriè ſumpta in natura. Secundo probatur, quia de facto dantur corpora, affecta qualitatibus elementorum, nempe caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate, vt experientia per ſenſum tactus comprobari poteſt, in Brutis, & Hominibus, ergo etiam compoſita ex elementis, vel formaliter, vel virtualiter; ſed elementa nequeunt reperiri in aliquo corpore, niſi priùs miſceantur adinuicem, igitur de facto comperimus dari miſtionem propriè ſumptam in natura. Conſequentia patet, quia accidentia nequeunt naturaliter conſiſtere extra ſua ſubiecta, vel ſeparata ab eis. Aſſumptum probatur, quia plures formæ ſubſtantiales, nequeunt, ſaltem naturaliter, informare ſimul eandem numero materiam, ſed quodlibet elementum habet propriam formam ſubſtantialem, ergo non poterunt eſſe in aliquo corpore, niſi per miſtionem reducantur ad vnam, & eandem formam ſubſtantialem miſti, ac proinde inferendum eſt dari in natura formam ſubſtantialem, per miſtionem propriè ſumptam, acquiſitam ex elementis.

Tertia. Concluſio. Miſtio propriè accepta datur etiam in liquoribus, non omnibus, verum duntaxat in illis, qui qualitatibus cōtrarijs ſunt affecti. Colligitur ex Ariſtotele in præcitatis locis, & præſertim in t. 89. vbi inter præcipua miſcibilia enumerat humida, niſi ſint viſcoſa. Probatur, quia miſtio propriè ſumpta nequit fieri, niſi miſcibilia ſint actiua, & paſſiua ex eodem Ariſtotele à t. 87. & ſequentibus, ſed non poſſunt eſſe actiua, & paſſiua, niſi ſint contraria, vt idem docet ibidem in t. 50. ergo miſcibilia debent eſſe contraria, ac per conſequens liquores, & huiuſmodi humida, quibus non ineſt contrarietas, non poterunt adinuicem miſceri, ergo ad hoc vt miſceātur debent eſſe cōtrarij.

Quarta. Concluſio. Probabile eſt, aquam miſceri propriè cum vino, vt ſuſtinent Doctores Philoſophi, ac Theologi, quos refert, & ſequitur Maſtrius hic Diſp. 7. q. 5. nu. 51. & 52. Sed probabilius eſt, inter aquam, & vinum non dari miſtionem propriam, verùm duntaxat impropriam, & iuxta poſitionem, vt docent alij, cùm Philoſophi, tùm Theologi, relati ab eodem ibidem. Probatur prima pars, quia vinum, & aqua adinuicem applicata habent omnes conditiones requiſitas ad res miſcibiles ad ſeinuicem, ergo probabile eſt, vt adinuicem miſceantur. Cōſequentia eſt euidens, cùm ex illis arguatur miſtio propriè dicta. Antecedens probatur, quia vinum eſt calidum virtualiter, & aqua formaliter frigida, ergo ſi adinuicem ſe detigerint localiter, poterunt agere, & pati, & per huiuſmodi actionem, & paſſionem inſeinuicem alterari, & diſponi ad corruptionē, prærequiſitam ad miſtionem. Similiter cùm ſint liquores humidi ſunt diuiſibilia in minutiſſimas partes, quarum quælibet eſt proportionata, & apta ad recipiendam paſſionē, & alterationem ab altera, ſiquidem actiuitas vini non in ſummo ſuperat reſiſtentiam aquæ, vt cogatur illam deſtruere: demùm ſunt humida, non viſcoſa, vt ſeinuicem penetrare queant, vt experientia comprobari poteſt, ſed iſtæ conditiones ſufficiunt ad miſcibilia inter ſe, vt tradidit Ariſtoteles à t. 87. vſque ad finem libri, ergo vinum, & aqua applicata habent ea, quæ prærequiruntur vnde poſſint adinuicem miſceri, miſtione propriè ſumpta. Confirmatur exemplo Ariſtotelis de miſtione aquæ, & vini, per conuerſionem aquæ in vinum per veram mutationem inſeinuicem, poſito hic in t. 34. & replicato in t. 39. & 42. quo vtitur etiam Doctor Subtilis in 2. d. 19. q. vn ſub B. & in 4. d. 44. q. 1. ſub E ad denotandam veram mutationem conuerſiuam paſſi in agens per actionem, & paſſionem, & reactionem, ac repaſſionem mutuam, diſpoſitiuam ad corruptionem vnius formæ ſubſtantialis, & generationem alterius, ergo probabile eſt, vinum, & aquam ad ſeinuicem miſceri ad generationem tertij miſti ex eiſdem. Secunda pars oppoſita probatur oppoſitis rationibus: tùm quia vinum, & aqua non opponuntur formaliter, ſed tantùm virtualiter, ſed oppoſitio virtualis non ſufficit ad deſtructionem formæ ſubſtantialis, niſi excitetur per formalem, vt patet in pipere, veneno,

Digitized by Google

veneno, & in ipſo vino, quæ non calefaciunt, niſi prius excitentur à calore ſtomachi: tùm quia miſtibilia poſt applicationem, & alterationem in ſe inuicem non manent ſecundum ſuas formas ſubſtantiales, verum duntaxat ſecundum virtutes eorum ex Ariſtotele hic textu 84. ſed vinum, & aqua etiam poſt applicationem remanent ſecundum ſuas formas ſubſtantiales, vt experientijs veris, & non apparentibus comprobari poteſt in vino diluto temporibus, & in regionibus frigidioribus, quibus in locis vinum congelatur in dolijs, & exinde vinum purum extrahitur, remanente aqua. Neque iuuat dicere, quod remanet non eſſe aquam, ſed humorem aqueum, quia ſicut ad colorem, & ſaporem, alterum, quod extrahitur e dolio, cognoſcetur eſſe verum vinum, ſic ad qualitates conuenientes aquæ, quod remanſit dignoſcitur eſſe aqua, & non miſtum, ex aqua, & vino genitum: tùm etiam, quia ſi vinum dilutum effundatur ſuper panno lineo de recenti albificato, aqua videtur deſignare circulum album circundantem minorem circulum rubeum, expreſſum à vino, ergo ſignum euidentiſſimum eſt, quod aqua immiſta, non erat in vinum conuerſa, ſed ab eo ſeparata ſecundum, ſubſtantiam, & ſolùm per iuxta poſitionem ſecum localiter contigua, igitur ex his, & alijs experientijs, ac rationibus, quæ in comprobationem huius ſecundæ partis, afferuntur à Doctoribus, & ab eodem Maſtrio loco citato, habetur maior probabilitas, ſuſtinendi, quod non ſit dabilis vera miſtio ex aqua, & vino, ſed ſolùm iuxta poſitio, & miſtio impropriè ſumpta.

Obijcitur primo contra primam concluſionem probando impoſſibilitatem veræ miſtionis, aſſertæ ab Ariſtotele, nam ſi foret poſſibilis huiuſmodi miſtio in natura, maximè eſſet dabilis inter elementa, & liquores, ſed neutrum dici poteſt, ergo huiuſmodi non erit poſſibilis in natura. Sequela maioris conceditur à nobis. Minor probatur, quia tàm elementa, quàm liquores ſunt entia imperfectiora ipſo miſto, ergo nequeant attingere effectiuè productionem illius: tùm etiam, quia dùm actu gignitur miſtum, corpora, quæ dicuntur miſceri, actu corrumpuntur, & non ſunt, ergo nequeunt attingere effectiuè productionem miſti, ac proinde cum nulla reperiatur in natura cauſa efficiens miſtionis propriè dictæ, dicendum eſt talem miſtionem eſſe impoſſibilem in natura. Neque valet dicere cauſam efficientem miſti eſſe, vel Solem, vel Deum, quia effectus particularis in cauſam particularem, & non in vniuerſalem reduci debet.

Reſpondetur ex Doctore Subtili in 2. diſt. 15. quæſt. vnica ſub D. & E. elementa, & liquores concurrere ad miſtionem, ſeù generationem miſti diſpoſitiuè, non verò effectiuè, vt rectè probant duo argumenta, adducta ad probationem minoris ex eodem Scoto ibidem: quandoquidem effectio miſti reducenda eſt in cauſam vniuerſalem, nempe in Solem, ſi miſtum ſit inanimatum, & in Deum, ſi fuerit animatum: vt docet idem Doctor in 2 d. 18. q. vn. ſub I. §. *Dico igitur, quod nullum ſemen, &c.* neque haberi poteſt pro inconuenienti, quod dùm materia eſt vltimatè diſpoſita ad recipiendam formam ſubſtantialem, & non eſt cauſa particularis, à qua inducatur, vel producatur, reducatur actio inductiua, vel productiua in cauſam vniuerſalem, ne diſpoſitio præmiſſa ſit fruſtranea in natura, quæ tamen non agit fruſtra quicquam, ſicut nec Deus vt docet Ariſtoteles in primo de Cœlo, & Mundo textu 32. & alibi pluribus in locis ibidem citatis.

Obijcitur ſecundo quia vt ſit poſſibilis miſtio ex quatuor elementis, foret neceſſarium congregari illa in vnum locum, vt ſic approximata mutuò per actionem, & paſſionem, reactionem, & repaſſionem poſſent alterari, ac diſponi ad generationem miſti, ſed huiuſmodi congregatio eſt naturaliter impoſſibilis, ergo, & miſtio erit impoſſibilis in elementis. Minor probatur, nam talis locus eſset ſurſum, vel deorſum: ſi ſurſum non poterunt ad eundem naturaliter grauia aſcendere; neque leuia deſcendere, ſi deorſum eſset. Neque valet dicere, quod mouerentur contra inclinationem propter bonum Vniuerſi, vt moueri ſolent ad replendum vacuum, quia generatio

tio miſti, non eſt ita bonum Vniuerſi, ſicut repletio vacui.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicimus, quod vbicumque eſſet locus, ibi virtute cauſæ vniuerſalis adeſſent elementa, quæ forent neceſsaria pro diſpoſitione vltimata ad gignitionem formæ ſubſtantialis, nàm cum cauſa vniuerſalis ſit effectiua formæ ſubſtantialis miſti, debuit ſibi prouidere naturaliter de neceſsarijs, & conſequenter de congregatione elementorum in loco, vbi opus eſsent ad generationem diſpoſitiuam miſti. Quare ſi motus elementorum non foret naturalis ſecundum inclinationem formæ elementaris, eſſet tamen naturalis ſecundum inclinationem agentis vniuerſalis, cuius eſt prouidere de neceſsarijs ad conſeruationem boni Vniuerſi, vbi deeſt agens particulare.

Obijcitur tertio quia ad miſtionem propriè ſumptam exigitur alteratio mutua eorum, quæ miſceri debent ex Ariſtotele hic t. 89. ſed huiuſmodi alteratio eſt impoſſibilis, ergo, & miſtio erit impoſsibilis. Minor probatur, quia miſcibilia, vel eſsent æquè fortia in congreſsu, & ſic non eſset alteratio, quia vtrumque ſe tueretur ab altero, vel alterum eſset altero potentius, & ſic quod præualeret conuerteret aliud in ſe, & ſic non eſset genitum ex ambobus tertium, ac proindè nec miſtum, nec miſtio.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicimus, ad alterationem exigi, vt alterum miſcibilium excedatur in virtute ab altero ſecundum proportionem maioris inæqualitatis, itaut actiuitas vnius ſuperet reſiſtentiam alterius, non tamen vt illud perimat, verùm vt excitet ipſum ad reagendum in ſe, & ab illo aliqualiter patiendum, quia ſic à ſeinuicem alterantur, vt poſt alterationem ſequatur miſtio, & miſti generatio.

Obijcitur quarto contra ſecundam concluſionem, quia ſi liquores poſsent ad inuicem commiſceri, vel eſsent eiuſdem, vel alterius ſpeciei, ſed neutrum eſt dicendum, ergo ex liquoribus nequit ſequi aliqua miſtio propriè ſumpta. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minor probatur quoad vtramque partem. Non eſt dicendum fore eiuſdem ſpeciei, quia vnum ſimile non corrumpit aliud ſimile eiuſdem ſpeciei infimæ, ſiquidem agens naturale agit in paſsum, vt illud ſibi reddat ſimile in ſpecie, quod non poſset conſequi ſi ambo forent eiuſdem ſpeciei: Nec eſt dicendum alterius ſpeciei, quia cum ſpecies ſe excedant in infinitum in entitate, & in virtute, nequeunt vniri in aliquo tertio, quod foret miſtum, ſed vnum aliud perimeret abſolutè, ergo &c.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicendum fore alterius ſpeciei, & cùm probatur, quod ſpecies ſe excedunt vna ad alteram in entitate, itaut inferior perueniat ad entitatem alterius ſuperioris, & æquales euadant, verum eſt, ſiquidem, vt docet Ariſtoteles, ſi hoc pacto conſiderentur, ſunt ſicut numeri: quod verò ſe excedant, itaut vna, non poſsit conuerti in aliam ſecundum virtutem, vel quod ambæ virtualiter in vno tertio contineantur, & ſic falſum eſt; quia ita conſideratæ poſſunt habere qualitates contrarias, ſecundum quas agant, & patiantur àdinuicem, nedum ad alterationem, verum etiam ad corruptionem, & ita virtualiter tranſeant in tertiam, ex eis miſtam, ſicut de facto fieri oſtendimus in probatione concluſionis.

Obijcitur quinto contra tertiam concluſionem: nàmque Ariſtoteles in ſecundo de Generatione, & Corruptione, ſumma 2. cap. 1. t. 25. inquit: *quæcumque enim habent cognationem adinuicem, velox horum tranſmutatio eſt: quæcunque autem non habent, tarda*: Sed liquores eiuſdem ſpeciei, vel alterius, & non contrarij, habent cognationem, & maiorem, ergo cum in his ſit facilior tranſitus, erit quoque etiam facilior miſtio, cum hæc ſequatur tranſmutationem, & alterationem.

Reſpondetur negando conſequentiam vniuerſaliter loquendo, concedendo verò illam, ſi inter eos adſit contrarietas, vt adinuicem poſſint agere, & pati, ac alterari: hæc enim ſupponitur etiam ab Ariſtotele in citato t. 25. addens, ſine illa non poſſe fieri tranſmutationem inter elementa, de quibus ſolùm loquitur, non autem de miſtis, cuiuſmodi ſunt liquores.

Dices; ergo inter liquores eiuſdem ſpeciei, ſi in eis adfuerit contrarietas, poterit eſſe facilior miſtio, quod negauimus in concluſione. Concedunt aliqui ex Thomiſtis cum D. Thoma in 1. p. qu. 77. art. 8. &

Quòl.

Digitized by Google

Quol. 10. art. 3. illatum, ſi liquor additus priori fuerit in eadem quantitate, vt totum priorem attingat, & penetrat, quia ſic ex duobus fit vnum tertium, cùm mutuò diſſecantur ad inuicem in minutiſſimas partes, quod facere non poſſent, niſi cùm vtriuſque interitu, & generatione tertij. Negant vero Conimbricenſes hic cap. 10. q. 1. art. 3. & Maſtrius hic diſp. 7. q. 1. n. 7. aſſerentes, etiam ſi tales liquores vniantur in pari quantitate, non propterea fieri ex eis tertium miſtum, ſed priorem magis auctum per additionem poſterioris, cum neuter abijciat propriam formam ſubſtantialem, ſed vterque remaneat ſecundum ſubſtantiam, quamuis ſint affecti qualitatibus contrarijs, quæ licet ſufficerent ad alterationem, non tamen ad corruptionem formæ ſubſtantialis, cum qua eſſent compoſſibiles, vt erant compoſſibiles cum priori.

Reſpondemus, & nos negando illatum, ob eaſdem rationes, quas attulerunt Conimbricenſes, & Maſtrius, quibus nihilominus addimus alteram, quæ nobis probabilior videtur, nimirum, quod vnum ſimile nequit agere in ſimile, quia agens naturale ideò agit in paſſum, vt illud ſibi reddat ſimile in forma ſpecifica, ſi ambo igitur eſſent eiuſdem ſpeciei fruſtarentur tali fine ſe reddendi ſimiles in eadem ſpecie; ac proindè vel non agerent in ſeinuicem; vel non agerent vſque ad corruptionem, nec per conſequens ad miſtionem.

Obijcitur ſexto contra primam partem conclusionis quartæ probando non eſſe poſſibilem miſtionem veram aquæ cum vino: tùm quia vinum, & aqua non opponuntur formaliter, ſed ſolum virtualiter, quæ oppoſitio non ſufficit ad corruptionem formæ ſubſtantialis, nec per conſequens ad miſtionem veram, quæ illam neceſſario ſupponit: tùm etiam, quia miſtibilia non remanent, ſed corrumpuntur ſubſtantialiter, vetum autem, & aqua poſt applicationem remanent, vt patet ex ſeparatione vnius ab altero in multis experientijs, quæ communiter adducuntur, facta, ergo cùm vinum, & aqua non habeant neceſſariò præ requiſita ad miſtionem, dicendum, illa non propriè commiſceri poſſe.

Reſpondetur negando conſequentiam; Neque probationes, vt alijs videntur, multum vrgent; Ad primam nanque negatur minor, quod oppoſitio nimirum virtualis non ſufficiat ad alterationem, & corruptionem, niſi prius excitetur a formali, hoc enim falſum eſſe deprehenditur in generationibus æquiuocis, tùm miſtorum animatorum, quæ naſcuntur ex putri, tùm etiam inanimatorum, vt ſunt ſubterranea, quorum materiæ prius alterantur, & corrumpuntur virtute Solis, & aliorum Aſtrorum per ſuas qualitates virtuales: quarè ſi horum oppoſitiones ſufficiunt, cum ſint virtuales, & abſque vlla excitatione aliarum contrarietatum formalium, cur debent denegari huiuſmodi virtutes ſubſtantiæ vini in aquam? Ad ſecundam dicimus, maiorem eſſe veram de miſtione ſimplicium corporum, cuiuſmodi eſt miſtio elementorum, non tamen de miſtione conuerſiua, quia ad hanc ſufficit alterum miſtibilium corrumpi, & alterum remanere, vt accidit in miſtione aquæ cum vino, in qua ſi aqua per tempus conueniens permanſerit applicata vino, corrumpitur ab eo eius forma ſubſtantialis, & conuertitur in ipſum. Nec valent experientiæ, quæ ſolent adduci, quia liquor, qui ſeparatur à vino, vel per congelationem, vel per cyathum hædeaceum, vel per quippiam ſimile inſtrumentum, non eſt aqua, ſed quidam humor aqueus extractus à vino, ſiue diluto, ſiuè puro, eique connaturalis, ſicut accidere ſolet in miſtis viuentibus, in quibus reperiuntur varij humores elementis ſimiles. Multa alia argumenta cum ſuis ſolutionibus, contra hanc partem videri poterunt in diligentiſſimo Maſtrio, quæ ne maiori tædio afficiantur mei lectores, conſultò omiſſa volumus.

Obijcitur ſeptimo contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis fundamentum primæ partis, tùm quia vinum, & aqua opponuntur virtualiter, qua de cauſa poſſunt ad inuicem agere, & pati, alterari, & corrumpi: ſunt diuiſibilia in minutiſſimas partes: ſunt corpora humida, & non viſcoſa, vt faciliùs ſeinuicem penetrare poſſint, ergo cùm in his conditionibus ſitum ſit fundamentum miſcibilium, & miſtionis propriè ſumptæ, ſequitur quod vinum, & aqua poſſint ad inuicem miſceri.

Reſpondetur negando conſequentiam, nec probationes in contrarium allatæ quicquam faceſſunt: vnde ad primam conceſſa opppoſitione virtuali inter vinum, & aquam,

aquam, & etiam aliquali alteratione, non eſt tamen talis, quæ poſſet eſſe diſpoſitio vltimata ad corruptionem, cùm haberi nequeat, niſi per oppoſitionem formalem inter qualitates formaliter contrarias: Neque iuuat dicere, quod Sol, & nonnulla Aſtra alterant, & diſponunt materiam putrem ad generationem miſtorum, quia non faciunt per actionem virtualem immediatam, verùm mediantibus qualitatibus formalibus ibidem excitatis, quæ cùm non reperiantur in vino, & aqua, non poterunt ad ſeinuicem alterari alteratione corruptiua, vt exindè generetur miſtum ex illis. Ad ſecundam, & tertiam negatur conſequentia, quia non ſufficit ad miſtionem, humiditas miſcibilium abſque lentore, & eorundem diuiſibilitas in minutiſſimas partes, ſed exigitur contrarietas formalis, vt poſſint ad ſeinuicem agere, & pati, reagere, & repati, ſine quibus actionibus, & paſſionibus, nec poſſent alterari, & corrumpi, quod eſt penitùs neceſſarium ad miſtionem propriè ſpectatam, ſiquidem inquit Ariſtoteles in fine t. 90. Miſtio eſt miſcibilium alteratorum vnio, quæ cum non reperiantur in vino, & aqua, etiam applicatis, non poterit vllo pacto ſequi miſtio vera inter illa, quàmuis ſint corpora humida, & diuiſibilia in minutiſſimas partes.

Obijcitur octauo exemplũ Ariſtotelis de miſtione aquæ cum vino, toties replicato in t. 34. 39. & 42. ad oſtendendam differentiam inter miſtionem, & nutritionem, & augmentationem; ac de eiuſdem exempli vſu habito per Scotum pluribus in locis, vt ſuperius adnotauimus, ergo ſignum eſt, quod ſecundum hos præcellentiſſimos Doctores, aqua poſsit vere miſceri, & in vinum conuerti.

Reſpondetur negando conſequentiam; Neque probationes ex Ariſtotele, & Scoto deſumptæ aliquid valent contra nos; nàm Philoſophus in citatis textibus, vt benè aduertit etiam Maſtrius, non loquitur de miſtione propria, quæ ſupponit miſcibilia alterata, & corrupta ſecundum ſuas formas ſubſtantiales, ſed de impropria, in qua, poſt applicationem localem manent miſcibilia, vel omnia, vel vnum ex ijs, quod ſuperet alterum; & miſtio hoc pacto attenta aſsimilatur potiùs nutritioni, quàm miſtioni; ſiquidem vinum ſuperat guttam aquæ, quæ ſuper infunditur illi, ſicut viuens excedit alimentum: at in miſtibilibus adeſt proportio inæqualitatis ſecundum actionem, & paſſionem, quouſque alterentur adinuicem, & corrumpantur omnia, nullo ex eis manente in miſto genito ex illis ſecundum ſubſtantiam, verum duntaxat omnia ſecundum virtutem, vt probauimus in 2. de Anima Diſp. 3. q. 7. in propria quæſtione, quare ex tali exemplo toties repetito nequit oſtendi miſtio aquæ cum vino, verum duntaxat auctio vini per additionem aquæ, & ideo in t. 34. concludit dicens: *facit enim vini opus vniuerſa miſtura*; & non vinum, vt innuat aquam verè remanere, ſed eius vires à maiori copia vini refrangi, vt non percipiantur. Neque vſus eiuſdem exempli per Scotum officere debet, ſed potiùs proficere, quippe volens oſtendere, exemplo actionis vini in aquam ſibi immiſſam; actionem agentis in paſſum, & repaſſionem eius ab illius reactione, clariſſimè demonſtrat neutrum in alterum conuerti, ſed vtrumque manere (licet ſecundum vires aliquantiſper refractas in ſuccumbente) vt poſſint adinuicem pugnare pro victoria vnius, & totali deſtructione alterius, vt etiam innuit Ariſtoteles ibidem in t. 42. dùm inquit: *Si autem amplius facere non poſſit, ſed vt aqua vino. ſemper amplius miſta, in fine aquoſum facit, & aquam*, quæ reportando victoriam, inimicum deſtruxit, & ſola remanſit. En quomodo ex Ariſtotele, & Scoto habetur oppoſitum, quod prætendebant Aduerſarij, & manifeſtè oſtendit, non dari miſtionem aquæ cum vino per conuerſionem, ſed ad ſummum, iuxta poſitionem vnius ad alterum, & aliqualem auctionem in altero. Plura argumenta, contra hanc partem militantia, afferunt Recentiores, vallata etiam nonnullis experientijs, vt videre eſt apud Maſtrium citatum, ſed ex dictis facillimo negotio reſoluuntur. Eligatur ex his partibus, quæ magis placet, & ſoluat argumenta contraria, ſiquidem neutra ſua probabilitate carere videtur, vt in probationibus vtriuſque innuere, pro viribus, tentauimus. Nobis autem magis placet negatiua, citra tamen præiudiciũ determinationis Eccleſiæ, quæ fieri poſſet ſuper aqua apponenda in calicem ante conſecrationem, ex præcepto eiuſdem: nàm de illius conuerſione in vinum ante conſecrationem, vel poſt eam in

ſan-

ſanguinem Chriſti nihil eſt definitum, quod viderimus, ab Eccleſia.

Vtrum Diffinitio Miſtionis poſita in textu 90. ſit rectè tradita ab Ariſtotele?

QVÆSTIO VI.

CIrca hanc quæſtionem duplex extat Doctorum ſententia: Alij enim ſuſtinent, diffinitionem, quam tradidit Ariſtoteles in citato textu: nempè *Miſtio eſt miſcibilium alteratorum vnio*, eſſe vitioſam, cùm detur per miſcibilia, quæ non ſunt minus ignota, quàm ſit miſtio: modò diffinitio recta debet dari per notiora ipſo diffinito, vt docet idem Ariſtoteles in primo, & ſecundo Poſterior. Ita Scaliger Exercitatione tertia Arriaga hic, à quibus non videtur longè ab eſſe Auerſa in ſua Philoſophia qu. 43. Sect. 1. Alij verò docent diffinitionem traditam ab Ariſtotele eſſe rectè poſitam, ſiuè formaliter, ſiuè materialiter attendatur, cùm conſtet ex genere, & differentia, vt infra explicabimus. Sic D. Thomas hic ad literam, & Scotus in 2. diſt. 15. qu. vn. Ad primum argumentum in oppoſitum ſub F. quos poſtea ſequuti ſunt eorum Diſcipuli, & ex alienis Conimbricenſes hic cap. 10. quæſt. 2. Ruuius ibidem. Serbellonus hic Diſp. 4. qu. 3. art. 4.

Diſſident inter ſe hi Doctores in aſſignando genere in hac diffinitione, quia aliqui dicunt, eſſe ponendam pro genere proximo, mutationem ſubſtantialem, vt Ruuius, Merinero, & Maſtrius citati: alij generationem ſubſtantialem, vt Scotus, & Conimbricenſes relati, & alij productionem compoſiti phyſici: alij denique cum D. Thoma ponunt loco generis vnionem, ſicut videtur poſuiſſe Ariſtoteles, qui omnes, licet videantur diſcordes, facta diuiſione miſtionis in materialem, & formalem, quam maximè conuenire nihilominus conſpicientur. Vnde pro huius ſententiæ, ac totius quæſtionis clariori notitia.

Primo Notandum eſt, ex Ariſtotele à textu 87. vſque ad 90. & ex Doctore Subtili in 2. d. 15. q. vn. ſub F. miſtionem dupliciter attendi poſſe, ſcilicet materialiter, & formaliter: Si priori attendatur modo tria importat, nempè coniunctionem localem eorum, quæ miſcenda ſunt, ſiue ſint elementa, ſiue liquores, ac interſecationem vnius cum alio ſecundum minutiſſimas partes, deinde mutuam illorum alterationem penes actionem, & reactionem in ſeinuicem, ſecundum quas diſponuntur ad corruptionem quam demùm conſequitur introductio formæ ſubſtantialis miſti: Ex quibus poteſt formari eius diffinitio materialis, vt facit Ruuius dicens: Miſtio eſt mutatio ſubſtantialis, per quam producitur corpus miſtum ex miſcibilibus congregatis, & per mutuam alterationem diſpoſitis, & corruptis. In qua diffinitione ponitur mutatio loco generis, cum ſit communis ad cæteras mutationes: ſubſtantialis, vt diſtinguatur ab alteratione, augmentatione, & diminutione, quæ ſunt mutationes accidentales: per quam producitur corpus miſtum, vt diſtinguatur à productionibus elementorum, quæ ſunt corpora ſimplicia, ex miſcibilibus congregatis, & ponuntur hæ particulæ ad differentiam earum productionum, quæ fiunt ex alijs mixtis; vt ſunt generationes viuentium ex ſemine, & ex putri, quæ non ſunt propriè meſtiones deſcriptæ ab Ariſtotele hic, ſed generationes, vel vniuocæ, vel æquiuocæ. Si verò poſteriori modo ſpectetur includit ſolùm introductionem formæ ſubſtantialis miſti, quæ ſic diffinitur ex Scoto loco citato: Miſtio eſt quædam generatio formæ ſubſtantialis miſti, in qua virtualiter continentur miſcibilia, ex præuia alteratione iam corrupta. In qua diffinitione ponitur generatio loco generis, cum ſit communis ad generationem ſimplicem, & nutritionem: ly formæ ſubſtantialis, vt innuatur terminus ad quem, & differentia miſtionis ab alteratione, & accretione, in quibus non producitur forma ſubſtantialis, ſed accidentalis ly in qua virtualiter, & ad differentiam generationis nudæ, ſeù ſimplicis in qua materia, & forma formaliter continentur, notanter additur. Deniquè ſubditur ly ex præuia miſcibilium alteratione iàm corrupta, vt indicetur terminus à quo, & differentia altera à generatione ſimplici, quia talis præſupponit corruptionem vnius, & non plurium, duntaxat. Ex his omnibus infertur, vtramque diffinitionem, cùm per ipſas expendatur miſtio, ſiuè materialiter, ſiue formaliter attenta, per genus, & differentiam, & per

Digitized by Google

per terminos à quo, & ad quem, eſſe rectè traditam, & nullo pacto vitioſam, vt dictitant abſque fundamento illi Recentiores ſuperius relati in prima ſententia.

Secundo Notandum eſt, ex his, quæ adnotauimus in Meteorologicis Diſp. Proem. qu. 3. & in 3. de Cœlo, & Mundo Diſput. vn. q. 2. corpus naturale diuidi in ſimplex, & mixtum. Simplex, quod componitur ex materia, & forma eſt quadruplex, ſcilicet Terra, Aqua, Aer, & Ignis. Mixtum, quod coaleſcit ex ſimplicibus, ſiuè formaliter, ſiue virtualiter, eſt duplex, ſcilicet perfectum, & imperfectum. Perfectum eſt, quod, teſte Ariſtotele in primo de Generatione, & Corruptione à t. 82. & indè, & 2. de Generatione, & Corruptione à t. 49. & ſequentibus, conſtat ex quatuor elementis: Imperfectum verò, ex eodem lib. primo Meteorolog. Summa prima cap. 2. & Summa 2. c. primo eſt, quod conſtat ex duobus elementis tantum, vt ex terra, & aqua, vel ex aere, & igne, aut ex vaporibus, & exhalationibus, ex eiſdem originatis, & hoc partitur in quatuor ſpecies, iuxta quatuor elementa, cum quibus potiſſimum habent cognationem, nempè in terreum, aqueum, aereum, & igneum, de quibus fuſius egimus in libris Meteorologicis. Ex his infertur, quod cùm miſtio deriuetur à miſto, duplex pariter erit miſtio, nimirum perfecta, quæ coaleſcit ex omnibus miſcibilibus, & imperfecta, quæ ex aliquibus, vel potiſſimum ex duobus conflatur, quandoquidem vnum tantum elementum, ſecundum Ariſtotelem, nequit miſtionem facere, quicquid dixerint alij etiam de mente Scoti.

Tertio Notandum eſt, ex Ariſtotele lib. 4. Phyſicorum t. 31. ad bonam diffinitionem quatuor conditiones requiri. Prima quod explicet quiditatem rei per genus, & differentiam, vt homo eſt animal rationale. Secunda quod per talem diffinitionem ſoluantur obiectiones occurrentes contra diffinitum, vt ſi dubitetur, hominem eſſe riſibilem ſoluitur, per animal rationale, quod eſt eius diffinitio, & cauſa riſibilitatis. Tertia quod per diffinitionem cognoſcantur paſsiones, & proprietates diffiniti, ſiquidem per animal rationale, dignoſcimus riſibilitatem in eſſe homini. Quarta quod per diffinitionem reddatur cauſa ſolutionis dubitationum, quæ circa diffinitum contingunt, vt ſi quæratur, quare homo non ſit lapis, ſtatim adducitur pro cauſa, quod ſit animal rationale, & animal rationale non eſt lapis. Ex quibus conditionibus etiam inferendum diffinitionem miſtionis, ſiuè materialiter, ſiue formaliter ſumptæ eſſe bonam, ac rectè traditam ab Ariſtotele, quippè que expenditur per ipſam naturam, & quiditas miſtionis, occurritur per eandem omnibus obiectionibus, quæ fieri poſſunt contra illam, ac ſolutionum redditur ratio, & per genus, & differentiam oſtenditur quænam paſsio illi conueniat, quæue reluctetur ſibi, vt ſciſcitantibus palam fiet.

Ex his ſit prima concluſio. Miſtio, ſiuè materialiter, ſiuè formaliter attendatur, eſt rectè diffinita ab Ariſtotele in t. 90. cùm dicitur: Miſtio eſt miſcibilium alteratorum vnio, iuxtà expoſitionem Doctoris Subtilis, ac Ruuij ſuperius traditam. Probatur vtraque pars ſimul, quia illa diffinitio, quæ expendit naturam rei diffinitæ per genus, & differentiam, eſt bona ex Ariſtotele in quarto Phyſicorum t. 31. & ſeptimo Metaphyſicorum t. 43. ſed diffinitio miſtionis, tàm materialiter, quàm formaliter ſpectatæ eſt huiuſmodi, vt patet in primo Not. ergo eſt bona, ac proindè miſtio, per illam diffinita, ſiue formaliter, ſiue materialiter ſumpta, eſt rectè diffinita. Secunda ſic, nam illa diffinitio, cui conueniunt conditiones requiſitæ, ad bonam diffinitionem, eſt bona, & non vitioſa diffinitio, ſed diffinitioni miſtionis, ſiue materialiter, ſiuè formaliter conſideratæ, competunt omnes conditiones requiſitæ ad bonam diffinitionem, ergo talis diffinitio eſt bona. Maior eſt Ariſtotelis lib. 4. Phyſicorum t. 31. vbi volens tradere diffinitionem loci, enumerat ea, quæ ad bonam diffinitionem prærequiruntur, dicens: *Oportet autem tentare conſiderationem ſic facere, vt ipſum quid eſt reddatur, vt, & quæ dubitantur, ſoluantur, & quæ videntur in eſſe loco, inſint, & amplius ipſa difficultatis, & earum, quæ circa ipſum, dubitationum cauſa erit manifeſta. Sic enim pulcherrimè demonſtrabitur vnumquodque.* Et hæc ſunt, quæ clariùs ex ipſo expreſſimus in 3. Not. ergo diffinitio quæcumque, cui huiuſmodi conditiones conueniunt erit bona, & non vitioſa. Minor probatur, quia vtraque diffinitio miſtionis poſita in 1. Not. expendit eius

Digitized by Google

eius quiditatem per genus, & differentiam, in quibus ſolis conſiſtit quiditas rei diffinitæ, vt docet idem Philoſophus 7. Metaph. t. 43. & per eandem denotantur illa, quæ ſibi inſunt, & quæ ſibi repugnant, vt ibidem oſtendimus, & per eandem ſoluemus dubitationes, occurrentes circa ipſam, cauſam reddendo huiuſcemodi ſolutionis in fine quæſtionis, ergo diffinitio miſtionis, ſiuè materialis, ſiuè formalis habet ea, quæ conueniunt ad bonam diffinitionem, & per conſequens vtraque eſt bona, & non vitioſa.

Secunda Concluſio. Miſtio perfecta neceſſario exigit alterationem quatuor elementorum. Imperfecta eſt contenta duobus. Eſt Ariſtotelis in ſequenti lib. de Generatione, & Corruptione t. 49. & in primo Lib. Meteorolog. Sum. 1. cap. 2. & Sum. 2. cap. 1. Probatur prima pars, quia miſtio nequit fieri abſque præuia alteratione miſcibilium, patet ex diffinitione miſtionis, ſed alteratio miſcibilium elementorum fieri nequit, niſi concurrant quatuor elementa; ergo miſtio nequit fieri ſine præuia alteratione quatuor elementorum. Minor probatur, quia alteratio fit inter contraria, quorùm vnum patitur ab alio, ergo alteratio, ſaltem perfecta inter elementa, exigit concurſum quatuor elementorum. Conſequentia probatur, quia terra eſt frigida, & ſicca, aqua humida, & frigidà, aer calidus, & humidus, ignis calidus, & ſiccus, ergo terra ſecundum frigiditatem contrariatur aeri, & igni; ſecundum ſiccitatem verò aquæ aduerſatur, & aeri, aqua ſecundum humiditatem contrariatur terræ, & igni: ſecundum frigiditatem autem aeri, & igni: aer ſecundum humiditatem aduerſatur terræ, & igni; ſecundum caliditatem verò terræ, & aquæ: ignis deniquè ſecundum caliditatem contrariatur terræ, & aquæ: ſecundum ſiccitatem autem aeri, & aquæ, ergo ſi elementa ſecundum qualitates, quas poſſident, habent alterari perfectè, exigitur concurſus omnium quatuor elementorum, ac proindè miſtio perfecta exigit pariter alterationem quatuor elementorum, & non pauciorum; alioquin ſicut non eſſet perfecta alteratio, ita non eſſet perfecta miſtio. Secunda pars probatur eodem modo, quia miſtio ſupponit præuiam alterationem miſcibilium, ergo miſtio imperfecta, imperfecta alteratione erit contenta; atqui duo elementa tantùm poſſunt facere imperfectam alterationem, ergo, & imperfectam miſtionem. Aſſumptum probatur, quia duo elementa habent tantùm vnam contrarietatem: terra enim, & aqua aduerſantur ſecundum ſiccitatem, & humiditatem: terra ſecundum frigiditatem contrariatur aeri, & igni, & ſic diſcurrendo per ſingula elementa, ergo cùm duo elementa habeant tantum, ad inuicem comparata, vnam contrarietatem, quæ in illis foret imperfecta, cum ſingulum habent duas ex qualitatibus contrarijs, habebunt pariter alterationem imperfectam, quam habebit conſequi, & miſtio imperfecta.

Tertia Concluſio. Vnum elementum, ſimpliciter atentum, nequit facere vllam miſtionem ſecundum Ariſtotelem, neque ſecundum Scotum, ſiue ſumatur miſtio materialiter, ſiuè formaliter. Eſt Ariſtotelis vbi ſupra, quem ſequuti ſunt multi, quos refert Maſtrius diſp. 7. q. 3. art. 3. n. 36. Probatur, quia miſtio, ſiue materialiter, ſiuè formaliter ſumatur, ſemper inuoluit plura miſcibilia, cùm ſit miſcibilium alteratorum vnio ex Ariſtotele hic t. 90. ſed vnum elementum non eſt plura, neque vnum poterit à ſeinuicem alterari, quia alterationes fiunt inter contraria, quæ ſunt ad minus duo, ergo ad vnum, ſimpliciter attentum nequit ſequi vlla miſtio. Minor eſt nota ex terminis, & ex Ariſtotele hic t. 50. & 87. vbi probat actionem, & paſſionem, quas conſequitur alteratio, fieri debere inter contraria, ergo cum vnum elementum non poſſit à ſe alterari, neque ad ipſum poterit conſequi miſtio, ſiuè perfecta, ſiuè imperfecta. Neque valet adducere Scotum in 2. d. 15. q. vn. ſub D. vt facit Maſtrius loco cit. n. 37. dicentem: aliquando miſtum fuiſſe factum ex vno elemento, ſiquidem, vt benè aduertit Merinero diſput. 7. q. 1. n. 11. Scotus non affirmat, hanc productionem miſti ex vno elemento, eſſe miſtionem, ſed productionem, ſeu generationem miſti ex miſto, tanquam ex materia, quod eſt valdè diuerſum, vt dicemus in quæſtione ſequenti, ergo etiam ſecundum Scotum, cùm ibi, & ſub F. explicando diffinitionem miſtionis, vel materialis, vel formalis, ſupponat alterationem plurium miſcibilium, & habeat pro inconuenienti, quod vnum remaneat poſt corruptionem aliorum, vt ex illo generetur miſtum.

Digitized by Google

ſtum , concludendum eſt etiam de illius mente, nullam poſſe dari miſtionem ex vno duntaxat elemento. Secundo probatur, quia vnio eſt relatio, quæ ſuppónit plura vnibilia in eſſe poſitâ , ſed miſtio eſt vnio miſcibilium alteratorum, ergo ſupponit plura, & proinde vnum non ſufficere inſerendum eſt.

Obijcitur primo contra primam concluſionem, quia illa diffinitio non eſt bona, ſed vitioſa , per quam diffinitur ignotum per ignotum, ſiuè minus notum per minus notum; ſiquidem diffinitio debet dari per notiora diffinito , vt docet Ariſtoteles in Poſterioribus , & 7. Metaph. t 43. ſed diffinitio Miſtionis , tradita ab Ariſtotele in t. 90. datur per miſcibile , quod non eſt minus ignotum quàm ſit miſtio, ergo talis diffinitio non eſt bona, ſed vitioſa. Confirmatur, quia diffinitio, in qua committitur circulus non eſt bona ex eodem Ariſtotele ibidem, ſed hæc diffinitio eſt huiuſmodi , ſiquidem miſtio definitur per miſcibile , & miſcibile per miſtionem , quod eſt facere circulum, ergo hæc diffinitio non eſt bona.

Reſpondetur negando minorem , ad cuius probationem , dicimus miſcibile eſſe notiùs miſtione, ſiquidem, antequam notificaret quid eſſet miſtio, declarauit quid eſſet miſcibile, pluribus appoſitis conditionibus, vt patet à t. 87. vſque ad t. 90. igitur falſum aſſumitur dicendo, minus ignotum non eſſe miſcibile, quam ſit miſtio. Ad confirmationem neganda eſt minor . Ad probationem dicimus , miſcibile poſitum in diffinitione miſtionis non fuiſſe diffinitum per miſtionem, vt falſo ſupponitur in argumento, ſed notificatum fuiſſe in t.88. per eſſe actiuum, & paſſiuum; & per eſſe diuiſibile in minutiſſimas partes, & per eſſe facilè terminabile in t. 89. tanquam per manifeſtiora , & poſteà diffinitum fuiſſe per miſcibile ſic manifeſtatum etiam miſtionem: Ex quibus apparet in huiuſmodi diffinitionibus non fuiſſe circulum commiſſum, ſed illas fuiſſe traditas ſemper per priora, & notiora.

Obijcitur ſecundo quia diffinitio bona debet conuenire cuilibet contento ſub diffinito, ſed diffinitio miſtionis non competit omni miſtioni, ergo non eſt bona . Maior patet ex conditionibus requiſitis ad bonam diffinitionem. Minor probatur, quia quælibet generatio miſti eſt miſtio, ſed non quælibet generatio miſti eſt ex miſcibilibus alteratis , cùm plurima miſta immediatè ſiant genita ex alijs miſtis , vt patet in genitis ex ſemine, & ex putri materia, ergo &c.

Reſpondetur negando minorem, loquendo de miſtionibus diffinitis ab Ariſtotele. Ad cuius probationem , concedimus multa miſta gigni ex alijs miſtis immediatè , ſed negamus talia miſta , ex quibus alia generantur , non habere rationem miſcibilium in ordine ad illa genita, cùm ſint actiua, & paſſiua, diuiſibilia in minutas partes, & facilè terminabilia, vt patet in liquoribus, & ſeminibus; vndè ex his conuincitur diffinitionem miſtionis conuenire omnibus miſtionibus, ſiuè ex miſcibilibus ſimplicibus, ſiuè ex alijs miſtis, cum etiam iſta in ordine ad alia genita, habeant veram rationem miſcibilium alteratorum.

Obijcitur tertiò contra ſecundam concluſionem probando non omnia elementa eſſe neceſſaria ad miſtionem, nàm Doctor Subtilis in 2. d. 15. q. vn. ſub D. inquit: *Dico , quod non oportet quatuor elementa concurrere ad compoſitionem miſti* , ergo malè concluſimus nos neceſſitatem omnium elementorum ad veram miſtionem.

Reſpondetur negando conſequentiam, loquendo de miſtione perfecta , non verò de imperfecta , de qua egimus in ſecunda parte eiuſdem concluſionis. Neque Scotus eſt contra nos, ſiquidem dicendo, non eſſe neceſſarium concurſum quatuor elementorum ad generationem miſti, explicari debet de miſtione, & generatione imperfecta, non verò de perfecta , quia de iſta apertè dicit, omnia debere vniri virtualiter in forma miſti geniti, non verò ſecundum ſubſtantiam, *ita quod aliqua forma producatur ex illis, quæ contineat vnitiuè qualitates illorum in virtute, & non ſubſtantias in actu*. Et quoniam tota ratio , defectu cuius excludi debeat concurſus omnium elementorum ad generationem perfectam miſti, videtur deſumi ex igne , ſubdit modum concurrendi ad miſtionem perfectam, etiam cum huiuſmodi elemento dicens, *in miſto animato eſt calor, & alius, quàm in igne, licet ſint in aliquo ſimiles ? calor enim ignis alterat ad ignem, & ille alius alterat ad carnem*. Ecce quomodo Scotus ad generationem perfectam miſti admittit concurſum virtualem om-

Digitized by Google

omnium elementorum, & hoc eſt, quod etiam nos aliàs concluſimus, nimirum, quod omnia elementa manent virtualiter in miſto, cùm in ipſo experiamur omnes qualitates, ſimiles qualitatibus elementorum; nàm miſtum perfectum eſt calidum, & ſiccum cum igne, humidum, & calidum cum aere, humidum, & frigidum cum aqua, & frigidum,& ſiccum cum terra.

Objicitur quarto contra tertiam concluſionem, quia Ariſtoteles lib. 3. de Generatione Animalium cap. 11. in principio ſingulis elementis, excepto igne, ſua viuentia peculiaria attribuit, ſed quodlibet viuens eſt miſtum,ergo vnum elementum,ſicut ſufficit ad generationem miſti, ſic ſatis erit ad miſtionem.

Reſpondetur, negando conſequentiam, neque auctoritas Ariſtotelis vrget, quia non loquitur ibi de generatione, quæ ſit miſtio,ſed de illa, quæ ſit productio ex alio, tanquam ex materia, & ideò ſingulis elementis attribuit ſingula viuentia ob conuenientiam, quam habent cum illis potius, quam cum alijs, vt non dicatur, quodlibet poſſe produci ex quolibet, verùm ex conuenienti dumtaxat, veluti ex ſua materia.

Vtrum Miſtio diſtinguatur eſſentialiter à generatione, & cæteris mutationibus?

QVÆSTIO VII.

Circa hanc quæſtionem litigant Doctores, quandoquidem loquentes de Miſtione formaliter conſiderata, aliqui dicunt, miſtionem attentam in ordine ad generationem corporum ſimplicium, nempè elementorum, diſtingui ab ea eſſentialiter, & ſpecificè, ſicut diſtinguuntur ſpecie corpus ſimplex, & corpus miſtum: attentam verò in comparatione ad generationem corporum miſtorum ex alijs miſtis, aiunt, illam diſtingui tantum accidentaliter, ſicut à cæteris mutationibus accidentalibus. Ita Ruuius hic cap. 10. qu. 2. num. 23. & 24. quem ſequitur ex noſtris Maſtrius hic Diſp. 6. qu. 1. num. 5.

Alij verò conſiderantes, miſtionem eſſe quandam generationem, & contineri eſſentialiter ſub generatione in communi tamquam ſpecies ſub ſuo genere; cenſent non diſtingui eſſentialiter ab ea, ſed ſolùm veluti ſpecies à genere, hoc eſt formaliter inadæquatè. Sic Conimbricenſes ibidem quæſt. 2. art. 2. & aſſerunt ſe collegiſſe hanc diſtinctionem ab Ariſtotele lib. 4. Meteorologicorum cap. de Putredine. Huic opinioni videtur fauere etiam Doctor Subtilis in ſecundo diſt. 15. q. vn. Ad primum in oppoſitum,&c.ſub F. vbi expendens diffinitionem Miſtionis traditam ab Ariſtotele,inquit: *Sed quod dicitur quod eſt vnio, debet ſic intelligi, quod omnis miſtio eſt quædam generatio, & per conſequens corruptio alterius*. Ex quo infertur, quod ſi omnis miſtio eſt quædam generatio, generationem in communi prædicari de miſtione, veluti ſuperius de inferiori, & ita vt genus de ſpecie.

Alij etiam diſtinguunt miſtionem, ſumptam pro mutatione, in formalem, & materialem, inquiuntque, ſi miſtio ſumatur formaliter, nimirùm pro forma acquiſita per talem mutationem, diſtinguitur eſſentialiter ab alteratione, & corruptione miſcibilium, ac cæteris connotatis, quæ ſupponuntur in diffinitione miſtionis, ſicut terminus ad quem differt eſſentialiter à terminis à quibus: Si verò miſtio attendatur materialiter, tunc inuoluit omnia ſupradicta intrinsecè, & eſſentialiter. Ita videtur ſuſtinere noſter Merinero hic Diſputat. 7. quæſt. 3. numero 12.

Quid verò nos dicturi ſimus, in tanta varietate ſententiarum, & iuxtà mentem Scoti, quem adamuſſim ſequi, pro viribus profitemur, quibuſdam præmiſſis, pro maiori declaratione, & ſolidiori fundamento, illud aperiemus in concluſionibus infra ponendis.

Primo igitur notandum eſt, ſeù potiùs memoriæ recolendum,quod ſuperius obſeruauimus, nimirum ad miſtionem ſubſtantialem tria de neceſſitate præreqniri, nimirum coniunctio localis miſcibilium, & eorum diuiſio in minutiſſimas partes: deindè illorum alteratio, & corruptio per actioné, & paſſionem,ac reactioem, & repaſſionem partium eorundem inſeinuicem; ac demùm productio formæ ſubſtantialis miſti,& inductio illius in eorundem materijs vnitis per

ſua indiuiſibilia, poſt corruptionem ſuarum formarum ſubſtantialium. Dico priora ſunt intrinſeca miſtioni materialiter ſumptæ, & extrinſeca, ſiue connotata miſtioni formaliter acceptæ: tertium verò eſt eſſentiale, ſeù de intrinſeca ratione miſtionis pro formali, ſeù, in ratione generationis conſideratæ; materia enim, & forma, ſicut ſunt de intrinſeca ratione compoſiti, tùm ſimplicis, tùm miſti, ita debent eſſe intrinſecæ generationi formaliter attentæ: diſpoſitiones autem ad generationem requiſitæ, licet non ſint de illius eſſentia, quia ſunt accidentales, ſunt tamen neceſſariæ ad productionem formæ ſubſtantialis inducendæ, cùm naturaliter ſine ipſis induci nequeat in materia, quapropter dicuntur neceſſariò connotata ad generationem. Ex his elici poteſt diffinitio miſtionis, tàm per eſſentialia, quam per connotata ſic dicendo: Miſtio eſt miſcibilium alteratorum vnio: ideſt Miſtio eſt quædam generatio, ſiuè productio formæ ſubſtantialis miſti, ex miſcibilibus localiter congregatis, diuiſis in minutiſſimas partes, & per mutuam actionem, & paſſionem alteratis, ac corruptis, inductæ in materijs vnitis, & continuatis per ſua indiuiſibilia, & ad vnam numero materiam redactis. In qua diffinitione tanguntur eſsentialia, & accidentalia, ſeù connotata, neceſsariò tamen requiſita, ad miſtionem ſic conſideratam, vt ſuperiùs expreſſimus in hoc eodem notabili. Deinde poterit elici alia diffinitio materialiter ſumptæ dicendo: Miſtio eſt congregatio localis, ſiue vnitio corporum miſcibilium, per actualem diuiſionem in minutiſſimas partes, & per mutuam actionem, & paſſionem earumdem partium in ſeipſas alteratorum, & corruptorum, diſpoſita ad productionem formæ ſubſtantialem miſti. In qua diffinitione ponitur congregatio localis, ſiuè vnitio loco generis, cum ſit communis ad miſtionem propriam, & impropriam, de quibus ſupra diximus: cætera verò ponuntur loco differentiæ, nàm per ly corporum miſcibilium differt ab vnitione, ſeù miſtione accidentium in eodem ſubiecto, cum accidentia non ſint corpora: per ly diuiſionem in minutiſſimas partes, ponitur differentia miſtionis propriæ ab impropria, in qua miſcibilia non diuiduntur, ſed manent integra: per ly autem mutuam actionem, & paſſionem, &c. tangitur alia differentia huius miſtionis propriæ ab impropria, in qua miſcibilia non agunt in ſeinuicem, aut patiuntur ad alterationem, & corruptionem, ſed immutata perſeuerant in miſto ſecundum ſubſtantiam, & accidentia: & demùm per ly diſpoſita ad productionem formæ ſubſtantialis miſti, &c. tangitur vltima differentia miſtionis ab impropria, quæ non eſt diſpoſitiua ad productionem alicuius miſti à miſcibilibus diſtincti. Ex quibus infertur etiam differentia eſſentialis, inter miſtionem materialem, & formalem, quia illa, quæ ſunt genus, & differentiæ, & per conſequens intrinſeca miſtioni materiali, ſunt extrinſeca, & connotata miſtioni formali, & econuerſò, quæ ſunt de eſſentia miſtionis formalis, ſunt extrinſeca, & connotata in miſtione materiali, ſiquidem termini motus, & mutationis, licet connotentur in illis, tamen ſunt extrinſeci, ac realiter diſtincti, vt aliàs oſtendimus.

Secundo Notandum, ſeu potiùs memoriæ iterùm recolendum, quod ſæpius tranſcripſimus ex Doctore ſubtili in 1. diſt. 5. quæſt. 2. E, nempe Generationem in creatis, duo importare ad inuicem ſeparabilia, ſcilicet productionem, & mutationem. Generatio productio habet pro termino compoſitum ex materia, & forma, vt docet Ariſtoteles ſeptimo Metaph. t. 26. & accidit ſibi, quod fiat cum mutatione alicuius partis compoſiti. Generatio verò mutatio habet pro termino formam, & compoſitum, ſed præſupponit tranſitum priuatione ad formam per actum mutabilis, ideſt materiæ, quæ tranſmutatur ab agente generante de vna ad aliam formam. Et hæc eſt duplex ſcilicet ſimplex, & miſta. Generatio ſimplex eſt mutatio, per quam fit tranſitus de termino ſimplici à quo ad terminum ad quem ſimplicem, & hæc comprehendit ſub ſe generationes quatuor corporum ſimplicium, ideſt Elementorum. Generatio autem miſta eſt mutatio, per quam fit tranſitus à termino à quo miſto, ad terminum ad quem pariter miſtum, & hæc vocatur miſtio, per

quam' ſit tranſitus à miſcibilibus ad inuicem alteratis, & corruptis, vt à terminis à quibus, ad formam ſubſtantialem miſti, in qua continentur virtualiter formæ ſubſtantiales miſcibilium, vt ad terminum ad quem. Et hæc pariter eſt duplex, nempe productio miſti ex miſcibilibus ſimplicibus, & productio miſti ex miſcibilibus miſtis. Prior eſt productio miſti ex Elementis. Poſterior vero eſt productio miſti ex liquoribus, vel ſeminibus, quæ ſunt corpora miſta. Ex his omnibus infertur primo quod ſi miſtio comparetur ad generationem in communi, ſiuè in ratione productionis, ſiuè in ratione mutationis conſideratam, cùm ſit quædam generatio includens generationem in communi, veluti ſpecies ſuum genus, non diſtinguitur ab ea formaliter, verum duntaxat ex natura rei ad inſtar graduum metaphyſicorum. Secundo infertur, quod ſi comparetur miſtio, vt generatio mutatio ad generationem mutationem ſimplicem, diſtinguitur ab ea eſſentialiter ſpecificè, cùm ſint duæ ſpecies contentæ ſub generatione mutatione, quæ eſt genus ad illas. Tertio demum infertur, quod ſi miſtio ex miſcibilibus ſimplicibus, & miſtio ex miſcibilibus miſtis comparentur ad ſeinuicem, non diſtinguuntur eſſentialiter, verum duntaxat accidentaliter, cum ſint mutationes ad eundem terminum ad quem, nempe ad miſtum, & differant ſolum per terminos à quibus, qui ſunt eiſdem extrinſeci, & connotatiuè tantum requiſiti.

Ex his ſit prima Concluſio. Miſtio, vt eſt quædam generatio mutatio, eſt idem formaliter cum generatione in communi, & ſolùm diſtincta ex natura rei. Colligitur ex Scoto in 2. diſt. 15. quæſt. vnica ſub F. & in primo diſt. 2. quæſt. 7. §. Sed hic reſtat, &c. ſub duplici H. L. Probatur prima pars, quia illa, quæ ſe includunt quiditatiuè, includens eſt idem formaliter incluſo, ſed miſtio, vt eſt quædam generatio mutatio includit quiditatiuè generationem mutationem in communi, ergo eſt eadem formaliter illi. Maior eſt Scoti in primo diſt. 2. quæſt. 7. loco citato, vbi habentur hæc formalia verba. *Voco autem identitatem formalem, vbi illud, quod dicitur ſic idem includit illud, cui ſic eſt idem in ſua ratione formali*, ergo quæ ſe habent, vt includens, & incluſum quiditatiuè, includens eſt idem formaliter incluſo. Minor patet ex præcedenti Notat. nàm miſtio eſt quædam generatio mutatio contenta ſub generatione mutatione communi, tamquam quoddam inferius ſub ſuo ſuperiori, atqui inferius includit quiditatiuè ſuperius, ergo miſtio, vt eſt generatio mutatio includit quiditatiuè generationem mutationem in communi. Secunda pars probatur, quia illa diſtinguuntur ex natura rei; de quibus verificantur contradictoria ex natura rei; contradictio enim eſt ratio venandi diſtinctionem inter aliqua, vt oſtendit Scotus in ſecundo diſtinct. 1. quæſt. 4. §. Contra iſtam opinionem arguo, &c. ſed de generatione mutatione in communi, & miſtione, vt eſt quædam generatio mutatio verificantur duo contradictoria nullo conſiderante intellectu, hæc eſt ex natura rei, nempè includens, & non includens, incluſum, & non incluſum: valet enim dicere: valetque prædicari de ſeinuicem, generatio mutatio eſt incluſa in miſtione, & non eſt includens illam, ſupple actualiter, & miſtio eſt includens actualiter generationem mutationem, & non eſt actualiter incluſa ab ea, ergo generatio mutatio diſtinguitur ex natura rei à miſtione, vt eſt quædam generatio mutatio.

Secunda Concluſio. Miſtio, vt eſt quædam generatio miſti diſtinguitur eſſentialiter ſpecificè à generatione mutatione corporis ſimplicis. Eſt communis inter Doctores citatos pro prima opinione. Probatur, tùm quia ſpecies diſparatæ diſtinguuntur eſſentialiter ſpecificè, vt eſt notum ex terminis, ſed generatio miſti, & generatio corporis ſimplicis ſunt duæ ſpecies diſparatæ, cum contineantur ſub eodem genere, vt patet ex Notat. præcedenti Secundo ergo &c. tùm quia mutationes terminantes cum terminos ad quos, diſtinctos ſpecie, diſtinguntur ſpecificè eſſentialiter, ſed generatio miſti, & generatio ſimplicis corporis ſunt huiuſmodi, quia corpus ſimplex, vt eſt elementum, & corpus miſtum ſunt duo corpora naturalia,

Digitized by Google

ſpecie diſtincta, vt probauimus in lib. 3. de Cœlo, & Mundo Diſp. vnica quæſt. 2. & in primo lib. Meteorologidorum Diſputat. Proemiali quæſt. 3: ergo miſtio, eſt generatio mutatio diſtinguitur eſſentialiter ſpecificè à generatione mutatione ſimplici.

Tertia Concluſio. Generatio miſti ex miſcibilibus ſimplicibus, & generatio miſti ex miſcibilibus miſtis diſtinguuntur tantum accidentaliter. Eſt Ruuij, & Maſtrij locis citatis. Probatur, quia diſtinctio, quæ ſumitur ex connotatis, & terminis à quibus eſt accidentalis, ſumendo accidens pro extraneo, ſiquidem omnia ſunt extrinſeca mutationi, quæ habet ſuum eſſe intrinſecum à termino à quem, vt oſtendimus in quinto Phyſicorum Diſputat. 2. quæſt. 1. ſed diſtinctio, quæ cadit inter huiuſmodi generationes miſti, ſumitur tantùm ex connotatis, & à terminis à quibus, nempè à miſcibilibus ſimplicibus, & miſtis, conueniunt nàmque in eodem termino ad quem, quia miſtum genitum ex ſimplicibus, & miſtum genitum ex miſtis ſunt eiuſdem rationis ſpecificæ, ſicut genita ex ſemine, & ex putri, ſunt eiuſdem ſpeciei; vt oſtendimus in ſecundo de Anima Diſputat. 3. quæſt. 6. Sect. 3. ex Scoto in 1. diſtinct. 2. quæſt. 7. ſub S. ergo huiuſmodi generationes miſti ex ſimplicibus, & miſtis miſcibilibus diſtinguuntur tantum accidentaliter. Maior, & Minor clareſcunt ex dictis in primo Notat.

Quarta Concluſio, Miſtio formaliter ſumpta diſtinguitur eſſentialiter ab alteratione, & corruptione miſcibilium, ac cæteris connotatis, quæ requiruntur ad generationem miſti: materialiter verò accepta inuoluit omnia talia eſſentialiter. Eſt Merineri citati in vltima ſententia. Probatur, quia miſtio formaliter ſumpta inuoluit tantùm productionem miſti: materialiter verò attenta comprehendit omnia, quæ ſunt prærequiſita, vt diſpoſitiones neceſſariæ, ad generationem miſti, ergo ſicut ſola productio miſti, ſeu eius formæ ſubſtantialis ſpecificat intrinſecè miſtionem formaliter ſumptam, ita omnia talia prærequiſita debent per intrinſeca ſpecificare miſtionem materialiter acceptam. Conſequentia tenet per locum à diffinitione, vnius, & alterius.

Objicitur primo contra primam concluſionem. Nàm quæcumque ſunt eadem formaliter nullo pacto poſſunt formaliter diſtingui, aliter contradictoria poſſent verificari de eodem, ſimul, & ſemel, ſed miſtio ſumpta pro generatione poteſt diſtingui formaliter à generatione mutatione, ſiquidem genus dicit aliam formalitatem à ſuis ſpeciebus, cum poſſit concipi ſine illis, generatio mutatio autem eſt genus, & miſtio eſt altera ex eius ſpeciebus, ergo miſtio non eſt eadem formaliter cum generatione mutatione.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicimus argumentum concludere ſolùm, quod generatio mutatio, ſicut poteſt concipi ſine miſtione, ita poteſt diſtingui formaliter ab ea, tamen non ſequitur poſſe diſtingui miſtionem à generatione formaliter, cùm nec ſine illa concipi poſſit.

Vel dicendum breuiter, maiorem eſſe veram de identitate formali mutua, non tamen de non mutua, cuiuſmodi eſt illa inter includentem, & incluſum, quia bene ſtat, vt includens ſit idem formaliter incluſo, & incluſum ſit diſtinctum formaliter ab includente abſque contradictione.

Objicitur ſecundo contra ſecundam concluſionem, quia quæcumque diſtinguuntur per ſola connotata, non diſtinguuntur eſſentialiter, & ſpecificè, ſed generatio miſtio, & generato corporis ſimplicis, ſunt huiuſmodi, ergo non diſtinguuntur eſſentialiter ſpecificè. Maior patet, quia connotata ſunt extrinſeca, quæ nequeunt facere diſtinctionem intrinſecam, qualis eſt eſſentialis, & ſpecifica. Minor probatur, quia generatio miſti, ideò eſt talis, quia fit ex miſcibilibus alteratis, & corruptis: & generatio ſimplex, ideò dicitur talis, quia fit ex termino à quo ſimplici, ſed huiuſmodi termini à quibus ſunt extrinſeci, & connotati tantum talibus generationibus, vt eſt manifeſtum, ergo tales generationes diſtinguuntur tantum per connotata extrinſeca.

Re-

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicimus, diſtingui quidem tales generationes, etiam per connotata, ſed extrinſecè; cæterum diſtinguuntur intrinſecè per terminos ad quos, à quibus ſpecificantur intrinſecè, quia vna eſt productiua miſti, & alia eſt productiua corporis ſimplicis, modo corpus naturale miſtum, & corpus naturale ſimplex diſtinguuntur ſpecie, cum ſint duæ ſpecies diſparatæ, contentæ ſub corpore naturali in communi, vt aliàs oſtendimus.

Dices, huiuſmodi corpora diſtingui ſolùm per ordinem ad motum ſimplicem, & miſtum ex Ariſtotele in primo libro de Cœlo, & Mundo textu 7. ſed talis diſtinctio eſt extrinſeca, cum motus ſit accidens mobilis ex eodem Ariſtotele in tertio Phyſicorum textu 9. 16. & 17. ergo licet huiuſmodi generationes diſtinguantur etiam per tales terminos ad quos, tamen non ſequitur quod diſtinguantur per intrinſeca, ſed ſolum extrinſecè, & accidentaliter, vt videntur differre talia corpora.

Reſpondetur negando maiorem, ſiquidem talia corpora, præter diffinitionem quam de illis tradidit Ariſtoteles eo loci in ordine ad motum, diffiniuntur etiam per proprias, & intrinſecas differentias, à quibus conſtituuntur in eſſe per generationem propriæ formæ ſubſtantialis; modò forma ſubſtantialis miſti, & corporis ſimplicis diſtinguuntur ſpecie, quia hæc eſt hæc, & illa eſt illa, igitur talia corpora differunt per intrinſeca, & ſic eſſentialiter ſpecificè, ac per conſequens etiam generationes ad illa terminatæ debent ſic differre.

Obijcitur tertio contra tertiam concluſionem, quia diſtinctio, quæ datur per eſſentialia debet eſſe eſſentialis, & non accidentalis, ſed diſtinctio inter generationem miſti ex miſcibilibus ſimplicibus, & generationem miſti ex miſcibilibus miſtis eſt per eſſentialia, ergo talis diſtinctio debet eſſe eſſentialis, & non accidentalis. Maior patet, quia relatio ſumit ſuam denominationem ab extremis, ergo qualia ſe habent extrema, talis debet eſſe relatio, diſtinctio autem eſt relatio, igitur, & Minor probatur, quia miſcibilia ſunt eſſentialia miſtis, cum ſint illorum materia, ergo ſi miſcibilia miſta, & ſimplicia diſtinguuntur eſſentialiter ad inuicem, etiam illorum generationes debent eſſentialiter diſtingui iner ſe ipſas.

Reſpondetur negando minorem. Ad minoris eiuſdem probationem, negatur maior, & cùm dicitur, cùm ſint illorum materia; diſtinguendum eſt de materia, vel accepta pro altera parte compoſiti, & ſic negamus illa eſſe materiam miſtorum, quæ generantur, ſiquidem non ingrediuntur nec manent in mixtis genitis ſecundum ſubſtantiam, ſicut materia, quæ eſt altera pars compoſiti in ipſo, verùm dumtaxat ſecundum virtutem: vel materia ſumpta pro rebus materialibus alteratis, & corruptis, & hæc, licet ſint eſſentialiter connotata miſtionibus, & miſtis, tamen non ſunt de illorum eſſentia; quinimò extrinſeca, & propterea nequeunt facere diſtinctionem eſſentialem, ſed ſolum accidentalem, & extrinſecam.

Obijcitur quarto contra quartam concluſionem, nàm miſtio formaliter ſumpta nequit eſſe ſine miſtibilibus alteratis, cùm ſit miſcibilium alteratorum vnio, ſicut nec miſtio materialiter accepta, ergo ſi ob hunc nexum hæc diſtingui non poteſt eſſentialiter à miſcibilibus alteratis, nec illa poterit eſſentialiter ab illis diſtingui. Conſequentia tenet per locum à ſimilibus.

Reſpondetur negando antecedens: quinimò de facto cùm generatur miſtum, in priori naturæ intelliguntur miſcibilia corrupta, alioquin termini motus eſſent compoſſibiles in eodem, quod repugnat doctrinæ Ariſtotelis in quinto Phyſicorum textu 26. ac alibi. Et cùm probatur, quod miſtio eſt miſcibilium alteratorum vnio, reſponder Doctor Subtilis in ſecundo diſtinct. 15. quæſt. vn. ſub F. ly alteratorum eſſe participium præteritum, vt faciat ſenſum, quod miſtio ſit vnio, hoc eſt quædam generatio eorum, quæ fuerunt alterata: Et cùm miſtio ſit generatio, hæc que præſupponat corruptionem ex eodem Ariſtotele hic textu 17. ſequitur; quod ſi generatur miſtum ex miſcibilibus alteratis, oportere prius miſcibilia eſſe corrupta: Ex quo paret euidenter falſitas illius antecedentis, nimirum quod miſtio formaliter ſumpta, ſit ita miſcibilibus alteratis, vt nequeat eſſe ſine illis, ſicut miſtio ma-

Digitized by Google

terialiter accepta, cum eiſdem connexa, atque vnita, & hæc de præſenti quæſtione dicta ſint ſatis. Cui tamen debebemus connectere illam famoſam controuerſiam de permanentia formali, vel virtuali tantùm, miſcibilium, & potiſſimum elementorum in miſto, cùm ferè omnes illam hic pertractent: verùm quoniam de ea luculenter egimus nos in ſecundo de Anima Diſputat. 5. quæſt. 7. illi ſuperſedendum hic exiſtimauimus, ne videamur, quæ ibi diximus, iterum repetere, & lectorem noſtrum bis tædio afficere velle, quæ ab inceptis debent eſſe penitùs aliena, vnde finem imponendo huic primo Libro calamum, & intellectum conuertimus ad ſecundum librum.

ARISTOTELIS
DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.
LIBER SECVNDVS.

VIſis in præcedenti primo Libro Generationis, & Corruptionis Cauſis, Naturis, & eorum Affectionibus in communi, in hoc ſecundo libro, quem (Deo dante) aggredimur nunc, quaſi a communibus ad particularia deſcendamus, de illis eiſdem denuò agendum nobis erit. Et ſequendo ordinem Ariſtotelicum, priùs videbimus, quonam pacto generatio, & corruptio conueniant ſimplicibus corporibus, id eſt Elementis, & poſteà Miſtis. Diuiditur autem hic liber in quatuor ſummas. In quarum prima inueſtigat Ariſtoteles principia, & numerum Elementorum. In ſecunda Elementorum Generationem pertractat. In tertia de Miſtorum peragit Generatione. In quarta tandem Generationis, & Corruptionis cauſas examinat, & inquirit.

De Principijs, ac Numero Elementorum.

SVMMA I.

HÆc Summa partitur in tria capita. In quorum primo ponit intentionem Libri, & pertractat de principio materiali elementorum, tàm de mente aliorum, quam propria. In ſecundo demonſtrat, quæ, & quot qualitates tangibiles ſint illorum principia, ac differentiæ. In tertio oſtendit quot ſint primarum qualitatum coniugationes, & quotus ſit numerus Elementorum.

Quo ad primum caput in T. 1. ſtatuit ordinem ſeruandum in hoc ſecundo libro, dicens, cùm in primo libro actum ſit de Miſtione, Tactu, Actione, & Paſſione, quibus ſubſunt res, quæ ſecundum naturam tranſmutantur: & inſuper de generatione, & corruptione, ac alteratione, eorumque cauſis, & affectionibus, nunc conſiderandum eſt de generatione, & corruptione, cauſis, ac affectionibus, quæ verſari poſſunt, nedum circa corpora ſimplicia, cuiuſmodi ſunt Elementa, verùm etiam circa illas ſubſtantias, quæ ex illis coaleſcunt, vt ſunt corpora miſta. Et quamuis de his omnibus egerit aliàs, nempe in libris de Cœlo, & Mundo ſub ea ratione, qua exiſtunt partes Vniuerſi, nihilominus de eiſdem tractare de nouo non erit abs re, cùm ſub alijs rationibus hic conſideranda veniant. Cæterum quoniam cuiuſque generationis, & corruptionis principium, ſeu fundamentum ſit ipſa materia proptereà prius videndum eſt, quænam ſit Elementorum, ac miſtorum materia, cùm ſecundum opiniones Antiquorum, tùm de mente ſua propria.

In T. II. recenſet opiniones Antiquorum circa ſubiectam materiam Elementorum; nàm qui ponebant tantùm eſſe vnum elementum, dicebant etiam eſſe vnam materiam ſubiectam, nempe vel aerem, aut ignem, vel horum medium, nimirùm vaporem, & rationem reddebant ſuæ poſitionis, quia materia elementi debebat eſſe corpus, & ab eodem elemento ſeparabile. Alij vero, quia ponebant plura elementa, quam vnum, dicebant pariter plures eſſe

eſſe

Digitized by Google

eſſe materias. Elementa autem ab illis poſita, vel erant duo, vt ignis, & terra: Alij addebant tertium, nempe aerem. Alij etiam quartum adiungebant, ideſt aquam, vt fecit Empedocles, qui poſuit quatuor elementa, ſcilicet ignem, aerem, aquam, & terram, quia non fiebant ex alijs, ſed omnia ex ipſis, ex eorum namque congregatione oriebantur generationes, & ex ipſorum ſegregatione, ac alteratione corruptiones accidebant in rebus.

In T. III. incipit examinare horum opiniones, dicens, in eo enim, quod poſuerint quatuor elementa, & illa eſſe omnium rerum principia, vel ſecundum congregationem, vel ſegregationem, aut aliam tranſmutationem, habeatur pro confeſſo, cùm ferè omnes in his conueniant: at illi, qui præter hæc faciebant vnam materiam corpoream, & ab eis ſeparabilem, non benè fecerunt: & rationem reddit ſuæ cenſuræ, quia ſi talis materia erit corporea, erit quoque ſenſibiles, cùm omne corpus ſit ſenſibile, igitur impoſſibile erit, quod exiſtat ſine qualitatibus contrarijs, ſiquidem omne corpus eſt ſenſibile per huiuſmodi qualitates, ac proinde, vel erit graue, aut leue, vel calidum, vel frigidum, ergo nequeunt dicere, talem materiam corpoream eſſe ſeparabilem ab elementis, & non de illorum natura. Probans conſequentiam inquit, quæ participant accidentia elementorum debent quoque participare eorundem naturam; nàm accidentia inſinuant naturam, igitur cum talis materia corporea eſſet, vel grauis, vel leuis, aut calida, vel frigida, quæ ſunt accidentia elementorum; deberet pariter eſſe de illorum natura, & non ſeparabilis ab eis: Et inſuper cùm dixerint talem materiam eſſe principium infinitum, cogebantur etiam fateri, infinitum eſſe ex elementis finitis, quod eſt abſurdum maximum.

In T. IV. ponit opinionem Platonis in Timæo circa materiam elementorum, aſſerendo illam nullam habere determinationem, in qua poſitione errauit quadrupliciter. Primò, quia non dixit manifeſtè, ſi illa materia, quam vocabat, omne recipiens, erat ſeparata ab Elementis, vel eis coniuncta. Secundò, quia licet poſuerit tale omne recipiens, tamen non vtitur illo in ſuis diſputationibus, cum poſteà aſſerat, illud eſſe ſubiectum prius ipſis vocatis elementis, ſicut aurum eſt prius operibus ex ipſo fabrefactis, quod nec hoc poteſt eſſe benè dictum, quandoquidem licet ſit verum, quod in alteratione ſubiectum ſit prius, & præcedere debeat, nihilominus in generatione, & corruptione, de quibus in præſentiarum loquitur, falſum eſt, quod præcedat in tempore generatum, vel corruptum; quia tunc daretur materia ſine omni forma, quod naturaliter eſt impoſſibile, & ſic dicendo, Tertiò errauit, quia materia nequit præcedere tempore formam genitam, cùm generatio, & corruptio fiant in eodem inſtanti temporis, vt ſupra oſtendimus.

In T. V. ſubdit quartum errorem Platonis, cùm dicat hanc materiam eſſe ſuperficiem, ſeù planum, quia tunc faceret reſolutionem elementorum, quæ ſunt corpora ſubſtantialia, in ſuperficiebus, quæ ſunt accidentia. Probat conſequentiam, quia elementa habent reſolui vltimatè in materia prima, vt dixit in præcedenti libro, & alibi.

In T. VI. exploſis aliorum opinionibus, ponit propriam circa materiam elementorum, dicens. Nos autem dicimus eſſe aliquam materiam corporum ſenſibilium, ſed hanc non ſeparabilem ab eis, vt dicebat prima opinio, verum ſemper coniunctam cum contrarietate, & forma aliqua, nempè ſubſtantiali, & ex hac materia generantur corpora ſimplicia, quæ vocantur elementa, ſicut exactiùs demonſtrauit in primo Phyſicorum, & in tertio, & quarto de Cœlo, & Mundo. Quod autem materia debeat eſſe coniuncta alicui formæ ſubſtantiali, & qualitatibus contrarijs ſucceſſiuè, probat, quia calidum non tranſmutatur in frigidum, neque frigidum in calidum: ſimiliter nec forma ſubſtantialis aquæ tranſmutatur in formam ſubſtantialem aeris, aut econuerſò, ergo debet aliquod tranſmutabile de vna forma in aliam, & de vna contrarietate in aliam, omnibus illis, tamquam commune quippiam ſubijci, tale autem eſt materia prima.

Ex his infert tria dari principia materialia, primum eſt corpus ſenſibile in

potentia, nimirum materia prima: Secundum, contrarietates, idest caliditas, & frigiditas, quibus diſponitur materia ad receptionem formarum ſubſtantialium, & hæc duo ſunt principia materialia corporum ſimplicium, nempe elementorum. Tertium autem, in ordine ad corpora miſta, ſunt ipſa elementa, ex quibus miſta generantur, nimirum ignis, aer, aqua, & terra.

Infert ſecundo quod elementa non ſunt intranſmutabilia, vt putauit Empedocles, verum tranſmutabilia in ſeinuicem, alioquin fruſtra eſſet alteratio in eiſdem, cum hæc diſponat ad generationem, & corruptionem, & per conſequens ad tranſmutationem de vna in aliam formam elementi ſubſtantialem.

Quoad ſecundum Caput in quo determinat de ſecundo principio materiali, idest de qualitatibus contrarijs, in T. 7. dicit, quod non omnes qualitates contrariæ ſunt principia elementorum, ſed tantum tangibiles, ideo neque albedo, neque nigredo, neque dulcedo, nequè amaritudo, neque ſimilium contrarietatum, aliqua facit elementum, verum duntaxat illæ, quæ ſecundum tactum contrariæ exiſtunt, & reddit rationem, quia elementa ſunt corpora ſenſibilia ſolùm ſecundum ſenſum tactus, & non per alios ſenſus; igitur, & qualitates contrariæ, penes quas elementa conſtituuntur in ratione corporum ſenſibilium: debent eſſe tantum contrariæ tangibiles. Neque valet dicere, illa corpora, cum ſint prima ſenſibilia, debere conſtitui per priores qualitates contrarias, quales ſunt viſibiles, quia licet qualitates viſibiles ſint priores tangibiles ordine dignitatis, non tamen ſunt priores ratione actionis, & paſſionis, quia ſic tantum debent qualitates contrariæ conuenire elementis; cum hic conſiderentur duntaxat, vt actiua, & paſſiua, ordinata ad generationem, & corruptionem mutuam, modò qualitates actiuæ, & paſſiuæ, non ſunt omnes contrariæ, verum tangibiles duntaxat.

In T. VIII. quia non omnes qualitates tangibiles poſſunt ſubire differentiarum elementarium, propterea enumerat omnes qualitates tangibiles, vt ex illis ſeligere valeat, quæ ſunt, vel non ſunt ad propoſitum. Contrarietates igitur ſecundum tactum ſunt calidum, & frigidum, ſiccum & humidum, graue, & leue; durum, & molle; lubricum, & aridum; aſperum, & lene; craſſum, & tenue. Ex his excludit graue, & leue, cùm non ſint actiua, & paſſiua, vt diſponunt ad generationem, & corruptionem elementorum, licet poſſint facere alterationem in aliquo ſubiecto; modo qualitates elementorum debent eſſe actiuæ, & paſſiuæ, vt poſſint illa diſponere ad generationem, & corruptionem in ſeinuicem: includit autem inter cæteras contrarietates, calidum, & frigidum, ſiccum, & humidum, illa quia ſunt actiua, & iſta quoniam paſſiua, & inter omnes ſunt primæ contrarietates: Quod autem ſint actiua, & paſſiua oſtendit ex earum diffinitionibus: nàm calidum eſt, quod congregat ea, quæ ſunt eiuſdem generis, idest ſimilaria, & ſeparat ea, quæ ſunt alterius generis, vt patet in auro igni applicato, in quo per illius actionem colliguntur partes auri adinuicem, & terreſtres, vel plumbeæ ſeparantur ab eis: Frigidum verò eſt, quod congregat ea, quæ ſunt eiuſdem, vel etiam diuerſi generis ſimul, vt experientia manifeſtat in aqua congelata; in qua, non tantum partes aquæ, verum etiam ligna, & paleæ, quæ in ipſa reperiuntur, ad inuicem colliguntur, modo congregare, & ſeparare eſt agere, ergo calidum, & frigidum ſunt actiua.

Probat ſecundam partem de humido, & ſicco, quod ſint contraria paſſiua: Humidum enim, quod eſt interminabile proprio termino, & facile terminabile alieno, vt patet in aere, & aqua, quæ ſi dimittantur ſibi facilè labuntur, & facilè figurantur ſi intra aliquod vas contingat includi. Siccum autem ex oppoſito eſt, quod facilè terminatur proprio termino, & difficilè alieno, vt patet in lapide, & ferro, quæ habent proprios terminos, & figuras; & difficulter reducuntur ad alienos, ſed terminari proprio, vel alieno termino, faciliter, vel difficulter eſt quodammodo pati, igitur humidum, & ſiccum ſunt contraria paſſiua.

In

In T. X. Ponit hanc concluſionem,quod ad prædictas quatuor qualitates primas tangibiles, reliquæ, præter grauitatem,& leuitatem, reduci poſſunt. Probatque illam diſcurrendo per ſingulas: nàm tenue, & craſſum,lubricum, & aridum, durum,& molle reducuntur ad humidum,& ſiccũ,ergo &c. Antecedens oſtendit inductiue, nàm tenue eſt repletiuum ad inſtar humidi,quippequod eſt ſubtilium partium & paruarum ſe adinuicem penetrantium eſt repletiuum, vt patet de aqua, quæ ſecundum ſe totam infunditur in farinam, ſed tenue eſt huiuſmodi, ergo tenue eſt ſpecies reducibilis ad humidum. Craſſum autem,cum econuerſò ſe habeat, erit reducibile ad ſiccum.

In T. XI. probat, lubricum ad humidum eſſe reducibile; nàm lubricum eſt humidum aliquid paſſum, hoc eſt, commiſtum cum terreo ſubtili,ex quo oritur, quod ſit tenax, atque vnituoſum, vt oleum, ac proinde ex tali humiditate prouenit ei, quod ſit lubricum, ergo lubricum eſt quædam ſpecies humidi,ſub quo continetur, vt inferius ſub ſuperiori.

In T. XII. oſtendit,quod aridum,contrarium lubrico, debeat reduci ad ſiccum; nàm aridum dicitur id, quod eſt perfectè ſiccum ob omnimodam carentiam propriæ humiditatis, vt patet de lignis, & oſſibus, ergo aridum habet reduci ad ſiccum, vt ad id, quod caret omni humiditate, contraria ſiccitati.

In T. XIII. probat, molle eſſe reducibile ad humidum, & durum ad ſiccum, ex effectibus vtriuſque Molle enim dicitur illud, quod cedit in ſeipſum, & non obſiſtit, vt patet in paſta, quæ cedit in ſeipſam tangenti, & non diſrumpitur in ſuperficie, atqui non poſſet ſic cedere, niſi paſta eſſet humida, ergo molle eſt reducibile ad humidum. Dicitur notanter, & non obſiſtir ad differentiam aquæ,quæ eſt quidem humida, ſed non mollis, quia non cedit tangenti in ſeipſam, ſed circumobſiſtit manui tangenti cum fractione ſuæ ſuperficiei; ex inferr, quod omne molle eſt benè humidum, ſed non omne humidum eſt molle.Probat ſecundam partem de duro:nàm durum dicitur id,quod eſt congelatum, & tangenti reſiſtit, nec illi cedit, ſed talis effectus eſt etiam effectus ſicci, ergo durum ad ſiccum reduci debet.

In T. XIV. Aduertit, tàm humidum quàm ſiccum multipliciter dici: nàm humidum primo modo dicitur illud, quod habet humiditatem à ſe, & in omnibus partibus, vti propriam,quale eſt aqua.Secundo modo dicitur illud, quod habet humiditatem in omnibus partibus ſuperficiei; ſed non propriam verùm alienam, & hoc vocatur humidum irrigatum, vt lapis, vel terra, quibus ſuperinfunditur humiditas aquę.Tertio modo vocatur humidum, quod habet humiditatem in aliqua parte ſuperficiei, & non penetrat infra partes corporis, & tale appellatur vdum, vt lapis madefactus tantùm in ſuperficie extrinſeca. Similiter per oppoſitum etiam ſiccum tripliciter dicirur nimirum,quod habet ſiccitatem propriam à ſe, deinde, quod habet ſiccitatem ab alio in toto,& dicitur congelatum,& quod habet ſiccitatem ab alio, verum duntaxat in ſuperficie,& hoc ſiccum opponitur vdo, ſicut ſiccum congelatum opponitur humido irrigato, & ſiccum ſimpliciter humido ſimpliciter. Ex his infert,quod ſicut humidum irrigatum, & vdum reducuntur ad humidum ſimpliciter; ſic ad ſiccum ſimpliciter debent reduci ſiccum ſecundo,& tertio modo ſumptum,veluti imperfecta ad perfecta.

In T.XV.Facit duo,primo enim ponit differentiam inter humidum, & congelatum, quatenus reperiuntur etiam in miſtis:ſecundò oſtendit, has quatuor qualitates, ad quas cæteræ reducuntur, eſſe primas qualitates. Probat primum quia humidum eſt,quod habet propriam humiditatem in profundo, ergo miſtum humidum,cui competit humiditas ſecundum omnes partes,debet reduci ad humidum ſimpliciter. Similiter congelatum ſimpliciter eſt,quod caret omni humiditate, ergo & miſtum carens omni humiditate,habet reduci ad congelatum, ſiuè ſimpliciter ſiccum. Probat ſecundum quia illæ qualitates ſunt primæ,ad quas cæteræ reducuntur, & ipſæ ad nullas reduci poſſunt,ſed caliditas, & frigiditas, humiditas, Et ſiccitas ſunt huiuſmodi, ergo ſunt primæ, ſuntque primæ qualitates contrariæ. Maior patet,quia illud eſt primum quod cæteris eſt prius,& ipſo nihil eſt prius.Minorē probat,quia ſi reducerētur ad alias priores,vel ad alias priores ſe, vel viciſſim interſeſe,ſed neutrũ eſt dicendũ,ergo &c.Non ad alias priores, quia iã probatũ eſt,quod omnes qualitates,tũ actiuæ,tũ paſſiuæ cõtinētur ſub illis quatuor.Nec ad ſeinuicem,

uicè, quia ſiccũ nequit reduci ad calidũ, niſi dicatur, quod omne ſiccum ſit calidum, ſed hoc eſt falſum, quia terra eſt ſicca & tamen non eſt calida, ſed frigida: neque ſiccum poteſt reduci ad frigidum, cum experiamur, ignem eſſe ſiccum, & tamen non eſt frigidus, ſed calidus. Neque humidum reduci poteſt ad calidum, quia aqua eſt humida, & tamen non eſt calida, ſed frigida: neque tamen humidum poteſt reduci ad frigidum, cum non omnia humida ſint frigida, quia aer eſt humidus, & tamen non eſt frigidus, ſecundum propriam naturam, ſed calidus, ergo nec quatuor qualitates ad ſeinuicem reduci poſſunt, ac proindè ſequitur, illas eſſe primas, & primas contrarias.

Quoad tertium cap. in quo nititur conſtituere numerum quaternarium, ex quatuor primis qualitatibus contrarijs, enumerat ſex coniugationes, ſeù combinationes, quæ ex illis quatuor qualitatibus oriri poſſunt in T. XVI. nempe calidi, & ſicci, calidi, & humidi, & frigidi, & humidi; ac demum frigidi, & ſicci, ex quibus enumerat etiam quatuor corpora ſimplicia, quæ elementa appellantur, nimirum, Ignem, Aerem, Aquam, & Terram: ignis enim eſt calidus, & ſiccus: aer humidus, & calidus: aqua frigida, & humida, & terra ſicca, & frigida, ergo ex his qualitatibus quatuor contrarijs, & ſex coniugationibus vnitis, rationaliter videntur conſtituta prædicta quatuor elementa. Conſequentiam probat, quia vnum quod elementum debet conſtitui duabus qualitatibus, vt per vnam poſſit conuenire cum alio elemento, & per alteram differre ab eodem, ſed quatuor qualitates tantùm quatuor modis prædictis poſſunt combinari ad conſtitutionem vnius elementi, ergo ex illis quatuor qualitatibus rationaliter videntur eſſe conſtituta illa quatuor elementa. Minorem probat, quia duæ qualitates contrariæ nequeunt conuenire ad conſtitutionem vnius elementi, quia contraria in ſummo nequeunt conſiſtere ſimul, ſed excluſis combinationibus qualitatum contrariarum, reſtant duntaxat aliæ quatuor congiugationes, ergo ex eis conſtitui poterunt tantum quatuor elementa, nec plura, nec pauciora.

In T. XVII. Ex opinionibus Antiquorum incipit probare conuenientiam harum qualitatum contrariarum cum elementis, & ex eis non excedi numerum quaternarium elementorum: nàm Antiqui diuerſimodè locuti ſunt de numero elementorum, ſiquidem aliqui poſuerunt vnum, aliqui duo, aliqui tria, & aliqui quatuor, omnes tamen poſuerunt illa cum contrarietate, ergo qualitates contrariæ debent conuenire elementis. Minorem probat inductiuè, nàm qui poſuerunt tantum vnum, dicebant poſtea illud generare omnia per raritatem, & denſitatem, quæ ſunt contrariæ qualitates, & conſequenter per caliditatem, quæ eſt cauſa raritatis, & per frigiditatem, qua cauſatur denſitas, & ſic ponebant contraria in vno elemento.

In T. XVIII. Probat minorem auctoritate illorum, qui ponebant duo elementa, vt Parmenides, qui poſuit ignem, & terram, quibus aſſignat contrarietatem calidi, & frigidi, ignis eſt enim calidus, & terra frigida: aerem, & aquam non dixit elementa intermedia, ſed miſturam quandam ex duobus prædictis elementis.

In T. XIX. Comprobat eandem auctoritate Platonis in lib. de Diuiſionibus, vbi poſuit tria elementa, ſcilicet aquam, & terram, & ignem, ſed cum contrarietate in tertio, quandoquidem dicebat aquam, & terram eſſe contrarias igni ratione frigiditatis, ſiquidem terra, & aqua ſunt frigidæ, & ignis calidus: ſimiliter ignis, & terra contrariantur aquæ ratione ſiccitatis; illi enim ſunt ſiccitate præditi, aqua verò humiditate contraria, igitur & Plato faciebat elementa contraria, quamuis tantum tria.

In eodem t. 19. concludit illam minorem auctoritate Empedoclis, qui ponebat elementa quatuor ſcilicet ignem, aerem, aquam, & terram, licet ſub vna oppoſitione duorum tantum, quandoquidem ignem, ob ſuam ſummam actiuitatem in cætera tria, ponebat ex vna parte, & alia ex altera parte contrarietatis, ergo ex auctoritate Antiquorum, ponentium elementa, remanet comprobatum, illa non excedere quatuor, & omnia eſſe contrarietate affecta.

In T. XX. Videtur ponere, ſecundum aliquos, hæc quatuor, quæ nos vocamus elementa, non eſſe talia ſecundum veritatem, ſed ſolùm apparenter; ſiquidem omnia reuera ſunt admiſta; aqua enim eſt miſta vaporibus, terra inſuper exhalationibus calidis, & ſiccis, & vaporibus humidis, & fri-

Digitized by Google

frigidis; aer etiam eſt commiſtus terreſtribus, & aqueis vaporibus, ac exhalationibus; ignis denique, qui apud nos eſt, eſt miſtum quoddam ex aere, & rebus inflammabilibus, igitur non ſunt elementa ſimplicia, ſed miſturæ elementis ſimiles.

Aduertendum tamen cum D. Thoma, Scoto, & ferè omnibus, hæc non dixiſſe Ariſtotelem de mente propria, verùm Empedoclis, qui putauit illa tria elementa igni oppoſita, non eſſe vera elementa ſimplicia, ſed miſta, vt adnotarunt Conimbricenſes, & Ruuius hic, & non ſine fundamento, cum Ariſtoteles in quarto lib. de Cœlo, & Mundo t. 36. & 37. & in hoc ſecundo lib. t. 16. illa pro veris corporibus ſimplicibus recognoſcat, licet hic, t. 28. & in 3. de Animalibus cap. 11. videatur dubitare de igne ſolum, & non de cæteris.

In T. XXI. dicit, Igni conuenire caliditatem in ſummo, ſicut glaciei frigiditatem, & probationem ſubinfert; nam glacies eſt congelatio humidi, & frigidi, & ignis erit exarſio calidi, & ſicci, ergo ſicut congelatio dicit frigiditatem in ſuperabundantia, ſiuè in ſummo, ſic exarſio dicit caliditatem in ſuperabundantia, ſiuè in ſummo.

In T. XXII. diuidit illa quatuor elementa in duas combinationes, nempè in ſuperiora, & inferiora. Superiora ſunt ignis, & aer, quibus aſſignat vnum locum, nempe terminum ſub concauo lunæ, ad quem ambo feruntur, vt potè corpora leuiora, ſed ignis, cum ſit leuiſſimus, locatur ſuper aere. Inferiora verò ſunt terra, & aqua, quibus aſſignat locum ad medium, nempe centrum, ad quod, vt corpora grauia ſuaptè natura feruntur, ſed terram, quia grauiſſimam, locat ſub aqua.

In eodem t. comparat quatuor elementa adinuicem dicens, terram, & ignem, eſſe elementa ſincera, quia cum ſint extrema, de nullo participant: aquam verò, & aerem facit illas elementa non ſincera; ſiquidem aqua participat de frigiditate terræ, & aer de caliditate ignis, & propterea vocat illas, miſta potiùs elementa, quàm ſimplicia, ſeù ſincera.

Deindè dicit, ignem, & terram, eſſe elementa contraria cæteris duobus ſecundùm ambas qualitates, quas poſſident. Ignis, cum ſit calidus, & ſiccus contrariatur aquæ, quæ eſt frigida, & humida. Terra verò, cum frigida ſit, & ſicca contrariatur totaliter aeri, qui eſt calidus, & humidus.

In T. XXIII. Quod licet quodlibet elementum conſtet ex duabus qualitatibus, non tamen habet illas æqualiter; ſiquidem vnam habet in ſummo, & alteram in remiſſo. Terra enim eſt magis ſicca, quàm frigida: Aqua magis frigida, quàm humida: Aer magis humidus, quàm calidus, & Ignis magis calidus quam ſiccus; hoc eſt dictu: terra eſt ſicca in ſummo, & frigida in remiſſo: aqua frigida in ſummo, & humida in remiſſo: aer humidus in ſummo, & calidus in remiſſo; & ignis deniquè eſt calidus in ſummo, & ſiccus in remiſſo.

Ex his inferendum eſt, quod elementum quodlibet, cùm habeat duplicem qualitatem, vnam poſſidet tanquam ſibi propriam, qua ſuperat aliud eandem habens in remiſſo: ignis namquè ſua caliditate ſuperat aerem: aeris verò humiditas excedit humiditatem aquæ; hæc autem ſua frigiditate ſuperat terram: & iſta ſua ſiccitate excedit ignem.

De Qualitatibus Elementorum

DISPVTATIO PRIMA.

IN præſenti Diſputatione, ſequendo ordinem Ariſtotelis in hac prima Summa, agendum nobis eſſet primum de Principijs materialibus elementorum, ac de ipſis elementis ſecundum ſuum eſſe quiditatiuum conſideratis, & poſteà de illorum principijs formalibus, nempè de qualitatibus, ad eorundem eſſe accidentale diſpoſitis. Verùm quia de illis ſufficienter egimus in Lib. 3. & 4. de Cœlo, & Mundo per duas integras Diſputationes, ac plures Quæſtiones, propterea illis ſuperſedendo, pertractabimus nunc de eorundem proprietatibus, & Affectionibus; nedum in ordine ad ſuum eſſe accidentale prærequiſitis, ſed etiam ad ipſorum mutuam tranſmutationem præordinatis, de quibus poſtea in ſequenti erit ſpecialiter ſermo.

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum quatuor qualitates elementorum ſint entitates poſitiuæ, & omnium primæ?

QVÆSTIO I.

Circa primam partem huius quæſtionis extat duplex oppoſita ſententia, prima quarum eſt Cardani lib. de Subtilitate ſecundo, aſſerentis, e quatuor qualitatibus elementorum, quæ communiter enumerantur caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, caliditatem, & humiditatem præſeferre entitates poſitiuas, frigiditatem verò, & ſiccitatem eſſe ſolùm priuationes, hanc humiditatis, & illam caliditatis. Hanc ſententiam, loquendo de frigiditate tutati ſunt nonnulli ex Antiquis, quorum meminit Plutarchus in opuſc. de primo frigido: quoad ſiccitatem, ſequuti ſunt ex Recentioribus Aquilonius lib. 5. Optic. Defin. 5. Arriaga de Gener. Diſp. 4. Sect. 2. qui licet concedat, humiditatem eſſe entitatem poſitiuam, non tamen facit illam diſtinctam à corporibus humidis, ſeù fluidis, quinimò ſuſtinet, humorem nihil aliud eſſe, quàm corpus humidum, ſiuè fluidum, & ſiccitatem eſſe corpus ſiccum priuatum humore.

Secunda ſententia, communiter tradita in Peripateticorum Schola, docet illas omnes quatuor qualitates eſſe veras entitates poſitiuas, diſtinctas realiter à ſuis ſubiectis, quibus inſunt. Ita Ariſtoteles in hoc 2. lib. de Gener. & Corruptione à t. 8. vſque ad 23. & lib. 4. Meteorolog. cap. 1. & 2. ac alibi pluribus in locis, quem ſequuti ſunt omnes eius Interpretes, & præſertim Scotus in 2. d. 15. q. vn. ſub H. & in 4. d. 49. q. 13. & q. 16. & 17. vbi ſupponit illas qualitates eſſe actiuas, & paſſiuas, ac proindè diſponere corpora naturalia ad corruptionem, & lib. 4. Meteorolog. q. 8. & nos ibidem cum ipſo per multas quæſtiones.

Circa ſecundam partem verò videtur adeſſe etiam diſſidium; aliqui nàmque ponunt in elementis quaſdam qualitates virtuales, à quibus dependent iſtæ quatuor formales. Ita nonnulli apud Marſilium hic q. 5. quos ſecutus eſt Antonius Roccus hic quæſt. 2.

Alij verò negant hanc primitatem omnibus hiſce quatuor qualitatibus formalibus, quamuis communiter cenſeantur æquales in primitate, volunt enim humiditatem, & ſiccitatem prouenire ex caliditate, ac proindè hanc ſolam cum ſua frigiditate contraria faciunt primas inter qualitates formales. Ita Andreas Cæſalpinus lib. 4. Peripateticarum quæſtionum quæſt. 1. & alij.

Alij denique, ſequentes doctrinam Ariſtotelis hic t. 8. & 16. & lib. 4. Meteorolog. cap. 1. & 2. ſtatuunt primitatem in his quatuor qualitatibus itaut nec fiant ex alijs, nec ex ſeipſis, ſed immediatè pendeant à formis elementorum. Ita Conimbricenſes hic q. 2. art. 2. Ruuius q. 1. & alij, quos recenſet, & ſequitur Maſtrius de Generat. & Corrupt. Diſp. 1. q. 3. num. 26. Merinero Diſp. 1. qu. 1. & 2. & Rubeus Diſp. 5. q. 1. Suppon. 2. vbi citat Tatarectum 2. de Generat. pag. 76. ſecundo ſciendum. Colligitur ex Scoto in 2. d. 16. q. vn. & in 4. d. 12. q. 3.

Quid verò dicendum ſit nobis in bipartita quæſtione huiuſcemodi, aliquibus de more adnotatis, noſtram, & Scoti aperiemus ſententiam in concluſionibus infra ponendis.

Primo Notandum ex Formalizantibus, ens reale, quod habet eſſe extra animam, ſiuè extra operationem intellectus, eſſe triplex, nempe poſitiuum, priuatiuum, & negatiuum. Ens reale poſitiuum eſt illud, cuius forma habet poſitionem in rerum natura, & ens hoc modo ſumptum eſt duplex ſcilicet tranſcendens, & limitatum. Tranſcendens eſt, quod exit limites, & vagatur per omnia entia, ſiuè finita, ſiue infinita, & hoc eſt commune vniuocum ad Deum, & creaturas, ac obiectum intellectus noſtri ex natura potentiæ conſiderati, ſecundum inclinationem, non verò ſecundum attingentiam. Limitatum eſt ens finitum coarctatum ad limites entium abſolutorum, & reſpectiuorum, & hoc partitur immediatè in decem limites, qui vocantur decem Predicamenta, nimirum in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, Relationem, Actionem, Paſſionem, Situm, Habitum, Vbi, & quando. Qualitas autem diuiditur in quatuor modos, vel ſpecies, quarum prima vocatur Habitus, & diſpoſitio. Secunda Naturalis potentia, vel impotentia. Tertia paſſio, & paſſibilis qualitas, & quarta forma, & figura, & ſub omnibus iſtis compre-

hen-

Digitized by Google

hénduntur omnes qualitates, ſiuè ſpirituales, ſiue corporales, ſiue ſenſibiles, ſiuè inſenſibiles. Qualitates autem ſenſibiles, dicuntur illæ, quæ percipiuntur à quinque ſenſibus exterioribus, & diſtribuuntur in quinque ſeries, nimirum in viſibiles, audibiles, guſtabiles, olfactibiles, & tangibiles. Hæ verò diſtribuuntur in ſeptem contrarietates, nempè in caliditatem, & frigiditatem: in humiditatem, & ſiccitatem: grauitatem, & leuitatem: duritiem, & mollitiem: lubricitatem, & ariditatem: aſperitatem, & lenitatem: & in craſſitiem, & tenuitatem: & hæ omnes vocantur tangibiles, ſeu tactibiles, quia ſenſu tactus percipiuntur illum immutando. Ens verò reale priuatiuum eſt illud, quod dicit negationem formæ in ſubiecto apto ad illam recipiendam, & hoc eſt triplex in genere, in ſpecie, & extra genus. Ens priuatiuum in genere, eſt quod negationem formæ importat in ſubiecto, apto ad illam habendam ſecundum genus, vt cum dicimus, Angelus incorporeus eſt; ly incorporeus ponit priuationem corporeitatis in Angelo ſecundum genus, cùm habeat aptitudinem ad illam ſecundum genus ſubſtantiæ. Ens priuatiuum in ſpecie, quod importat negationem formæ ab aliquo ſubiecto, quam natum eſt habere ſecundum propriam naturam ſpecificam, & ſic materia prima dicitur priuata omni forma habenda, quia habet negationem omnium illarum, quas tamen habere nata eſt ſecundum propriam naturam ſpecificam. Ens priuatiuum poſteà extra genus eſt illud, quod habens negationem alicuius formæ, eſt in potentia tamen ad illam habendam ratione alicuius tranſcendentis, vt cum dicimus homines non ſunt infiniti, negatur ab eis infinitas, quam tamen nati ſunt habere ratione entis, quod eſt tranſcendens, & capax infinitatis. Ens reale denique negatiuum eſt quod inuoluit negationem totius entis, exiſtentis actualiter extra animam, vt cum dicimus, chymera eſt non ens: ly non negat ab ea omnem entitatem poſitiuam, & priuatiuam, & relinquit illam in puro nihilo extra animam. Ex his omnibus infertur, quod humiditas, & ſiccitas: caliditas, & frigiditas, cùm contineantur ſub tertia ſpecie qualitatis, quæ, ſecundum ſe totam, eſt ens reale poſitiuum, etiam omnes illæ qualitates ſint æqualiter entitates poſitiuæ. Secundo infertur, quod frigiditas, & ſiccitas, cùm non præſeferant vllam negationẽ in ſubiectis, quæ afficiunt, nec extra genus, nec in genere, nec in ſpecie, quinimò veram poſitionem actionis, & paſſionis in ordine ad ſua contraria, non ſint entia priuatiua, aut negatiua, ſed ſolùm formæ accidentales poſitiuæ.

Secundo. Notandum, latam eſſe differentiam inter oppoſita contraria, priuatiua, & contradictoria. Nàm oppoſita contraria ſunt duo extrema, quæ ſub eodem genere poſita, maximè à ſeinuicem diſtant, & mutuò ſe expellunt ab eodem ſuſceptibili, cui viciſſim inſunt, niſi alterum illorum in ſit à natura, vt album, & nigrum, calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum. Oppoſita verò priuatiua eſt repugnantia duorum extremorum, quæ habent fieri circa idem ſubiectum, ordine irregreſſibili, & tempore determinato à natura, vt viſus, & cæcitas circa oculum, auditus & ſurditas circa aurem. Oppoſita autem contradictoria eſt repugnantia duorum extremorum ſecundum affirmationem, & negationem de eodem, ſimul, & ſemel, ac reſpectu eiuſdem non verificabilium: vt album non album, nigrum non nigrum Ex his deducitur differentia inter hæc oppoſita nàm contraria, cùm ita ſe habere debeant, vt inſeinuicem agere, & pati valeãt, exigunt ambo extrema poſitiua; quandoquidem agere eſt ponere actionem in agente, & pati ponere paſſionem in patiente. Oppoſita verò priuatiua, & contradictoria exigunt alterum extremum negatiuum, vel cum aptitudine, vel ſine ea in ſubiectis, quæ afficiũt. Cùm igitur caliditas, & frigiditas; humiditas, & ſiccitas ſint formæ contrariæ, & non priuatiuæ, in ſeinuicem pugnantes formaliter, & ſe expellentes ab eiſdem ſubiectis; quæ afficiunt, neceſſariò inferendum eſt, omnes eſſe entitates poſitiuas, & non vnam poſitiuã, & altera priuatiua, aut negatiua.

Tertio. Notandum id, quod communiter obſeruant Expoſitores Ariſtotelis, nempè dùm quærimus de prioritate harum quatuor qualitatum, non intelligimus illas comparare cum qualitatibus in vniuerſum, quia certum eſt dari qualitates ſpirituales, quæ ſint priores origine, & cauſalitate: neque cum omnibus qualitatibus corporalibus, quia lux, & lumen, quæ conſequuntur corpora cæleſtia, ſunt qualitates prio-

res dignitate, & etiam generatione: neque cum omnibus qualitatibus ſenſibilibus, quia qualitates viſibiles, & audibiles, cùm enaſcantur à ſenſibus prioribus cæteris, cæteras etiam qualitates aliorum ſenſuum præcedere debent; verùm comparamus illas cùm omnibus qualitatibus, quæ ſenſu tactus percipiuntur, & quærimus cum eodem Philoſopho, an omnes quatuor qualitates, nempe caliditas, & frigiditas, humiditas, & ſiccitas, ſicut prius enumerantur inter cæteras qualitates tangibiles, ſint etiam illis priores origine, & cauſalitate, itaut ipſæ à prioribus, ſiuè virtualiter, ſiue formaliter, non dependeant, ſed cæteræ ab eiſdem, in cauſalitate paſſiua, originem traducant, & in ſuo eſſe verè pendere dicantur.

Ex his igitur, vt ambobus quæſitis ſatisfaciamus, ſit prima concluſio. Omnes quatuor qualitates tangibiles, nempè caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, ſunt entitates poſitiuæ, & non priuatiuæ. Eſt Ariſtotelis expreſſa ſententia, pluribus in locis, verum præcipuè in hoc ſecundo lib. de Generat. & Corrupt. & lib. 4. Meteorologicorum cap. 1. & 2. Sum. 1. & Sum. 2. per totam: colligiturque ex Scoto pluribus in locis, ſed præſertim in 2. d. 15. q. vnica ſub H. & in 4. d. 49. q. 13. & q. 16. vbi ſupponit omnes illas qualitates eſſe actiuas, & paſſiuas, diſponereque ad generationem, & corruptionem formarum ſubſtantialium. Contra Cardanum, & alios citatos in prima ſententia. Probatur prima pars quæcumque continentur ſub aliqua ſerie entis poſitiui, ſunt entia poſitiua, ſed tales qualitates omnes quatuor ſunt huiuſmodi, ergo omnes ſunt entitates poſitiuæ. Maior patet, nam entia priuatiua conſtituunt proprias ſeries diſtinctas à ſeriebus ſuorum habituum, vt docet Scotus in primo d. 28. q. 1 ſub B. & Quolib. 18. §. *Ex iſto ſequuntur quadam corollaria* ſub Y. vbi inquit, *Malitia eo modo differunt, quo bonitates, quæ deberent ineſſe, ſi ſpecie ſpecie, ſi numero numero: priuationes enim diſtinguuntur, ſicut habitus nati eſſent diſtingui, putà ſurditas & cæcitas ſuo modo differunt ſpecie priuatiua, ſicut auditus, & viſus ſpecie poſitiua, & hæc cæcitas, & illa numero, ſicut hic viſus, & ille differunt numero poſitiuè*. Ergo ſicut quæcumque continentur ſub aliqua ſerie entium priuatiuorum ſunt entia priuatiua, ſic illa, quæ continentur ſub aliqua ſerie entis poſitiui, debent eſſe entia poſitiua. Minor probatur, quia qualitas conſtituit vnam ſeriem entis finiti, & limitati, & tales qualitates quatuor continentur ſub tertia ſpecie eiuſdem ſpeciei, cum vnaquæque earum inferat paſſionem in ſenſu tactus, vt eſt notum per experientiam cuicumque tangenti, calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, ergo huiuſmodi qualitates ſunt entitates poſitiuæ. Secundo probatur, quia frigidum reagit in calidum, & ſiccum in humidum, & abinuicem corrumpuntur, vel ſaltem alterantur, & non niſi per frigiditatem, & ſiccitatem, ergo frigiditas, & ſiccitas ſunt entitates poſitiuæ. Conſequentia patet, quia actio, & paſſio ſunt entitates poſitiuæ, ergo nequeunt poni in agente, & paſſo, niſi per formas poſitiuas; priuationes enim non ponunt aliquid, ſed remouent, ſed ponuntur in agente, & paſſo per formam frigiditatis, & ſiccitatis, ergo frigiditas, & ſiccitas ſunt formæ poſitiuæ. Tertio probatur, quia extrema contraria ſunt ambo poſitiua ad differentiam extremorum priuatiuorum, & contradictoriorum, ſed caliditas, & frigiditas, humiditas, & ſiccitas ſunt extrema contraria, ex Ariſtotele hic t. 8. & 15. tùm quia ſeinuicem expellunt ab eodem ſuſceptibili, vt experientia comprobari poteſt quotidie in igne per caliditatem expellente frigiditatem ab aqua, & per ſiccitatem exſiccante humiditatem ab habitibus laneis, vel lineis. Ergo ſicut humiditas, & caliditas ſunt extrema poſitiua, ita ſiccitas, & frigiditas debent eſſe poſitiua, cum ſint qualitates contrariæ. Secunda pars probatur, tum quia priuationes per ſe non cadunt ſub ſenſu, verum percipiuntur duntaxat per abſentiam poſitiuorum, quæ ſenſibus percipiuntur per ſe, ſed frigiditas, & ſiccitas cadunt per ſe ſub ſenſu tactus ex Ariſtotele in lib. 2. de Anima t. 107. & 117. & patet experientia, ergo frigiditas, & ſiccitas non ſunt priuationes: tùm etiam, quia qualitates tantum ſuſcipiunt magis, & minus per ſe ex Ariſtotele in Prædicam. cap. de qualitate, & quali, ſed priuationes non ſuſcipiunt magis, & minus per ſe, verum duntaxat ratione poſitiui, quod priuant; atqui frig'ditas, & ſiccitas, & ſuſcipiunt magis, & minus, & per ſe vt manifeſtum eſt in congelatione, & arriditate, in quibus nulla apparet caliditas, & humiditas, ergo

ſunt

ſunt veræ qualitates, & non priuationes qualitatum. Neque quicquam huic officere poteſt dictum Ariſtotelis ſecundo lib. de Cœlo t.18. primo de Generat.& Corrupt.t. 18. & lib.12. Metaph. t. 22. quo calidum vocauit formam, & frigidum illius priuationem; quandoquidem accipit ibidem priuationem, non pro negatione formæ in ſubiecto apto nato illam recipere, de qua locuti ſunt aduerſarij noſtri, verum pro imperfectione alterius contrarij, licet ambo ſint poſitiua, quia loquendo de hac priuatione pluribus in locis conſueuit alterum contrariorum appellare formam, & alterum priuationem, pro eo, quod aliqualiter deficiat ab illus perfectione, vt patet in tertio. Phyſicorum t.5. vbi inquit. *Vnumquodque autem dupliciter ineſt omnibus, vt hoc aliud enim eſt forma ipſius, aliud verò priuatio: & ſecundum quale, hoc enim eſt album, illud autem nigrum*, quæ ſunt contraria, de genere qualis, & 4.Metaph. t. 26. inquit *neque contraria ſimul eidem ineſſe poſſe contingit: contrariorum enim alterum non minus priuatio eſt*. Et lib. 10. Metaph. t. 16. ſubdit: *omnis namque contrarietas habet alterius contrariorum priuationem: verum non omnia ſimiliter: inæqualitas enim, æqualitatis; diſſimilitudo verò ſimilitudinis, vitium autem virtutis*. En quonam pacto vocat alterum contrariorum ſub nomine priuationis; non vt priuatio dicit negationem totalem formæ in ſubiecto apto nato, ſed ſolùm vt importat aliqualem defectionem à perfectione eminentiori formæ, quæ tamen non officit, quin forma imperfectior ſit entitas poſitiua, ſicut etiam perfectior, & eminentior.

Secunda Concluſio. Humiditas, & ſiccitas, non ſolum ſunt entitates poſitiuæ, vt hactenus probatum eſt, verumetiam realiter diſtinctæ à corporibus, humidis, & ſiccis. Eſt Doctoris Subtilis in 4.d 49.q. 16.§. Alius eſt intellectus &c. verſ. Ad aliud de pane, & vino &c.contra Arriagam citatum in prima ſentētia &c. Probatur primo ex Ariſtotele 7. Metaph. t.4. & 5. vbi habet, quod *ſubſtantia, & ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium aliorum, quæ prædicantur primum eſt*, hoc eſt omnium accidentium, quæ de ipſa prædicantur, ſed corpus humidum, ſeù fluidum eſt ſubſtantia, & humiditas eſt accidens, cùm ſit qualitas, ergo corpus humidum eſt humiditate prius ratione cognitione, tempore, & natura, ac proindè diſtinguuntur realiter. Conſequentia patet, quia quæ ſic ſe præcedunt poſſunt à ſeinuicem ſeparari, vt patet etiam de facto in Euchariſtia, in qua humiditas vini manet ſeparata à ſubſtantia vini poſt conſecrationem, ſed quæ ſeparantur diſtinguuntur realiter, ergo corpus fluidum, & humiditas diſtinguuntur realiter. Secundo probatur ex Scoto loco citato, quia ſi pani ſuperinſundatur vinum, cum totus panis non ſit pori, ſed habeat etiam partes ſolidas, licet vinum recipiatur in poris ſecundum ſe totum, non tamen recipitur in partibus ſolidis, alioquin naturaliter daretur penetratio corporum, & nihilominus partes ſolidæ panis ſunt humidæ, non humiditate vini circunſtantis, cùm nequeat ſeparari ab ipſo vino, & ſit ſolum contigua partibus panis ſolidis, ergo humiditate ſibi communicata, & in eiſdem ſubiectiuè recepta, ac proinde datur humiditas diſtincta à corpore fluido realiter ſeparabilis. Tertio confirmatur exemplo Ariſtotelis ſecundo de Anima t.113. de humiditate aquæ, vel aeris circumſtante digito, certum eſt enim, digitum eſſe humidum, non humiditate aquæ, vel aeris, à quibus ſeparari nequit, cum accidens non migret de ſubiecto in ſubiectum, ergo humiditate propria in ſe recepta, ſicque datur humiditas diſtincta realiter à corpore fluido, quod negauit Arriaga. Quarto confirmatur ex Ariſtotele in hoc 2. lib. de Gener.t.14. vbi habet: *Quoniam enim vdo opponitur ſiccum, & vdum quidem eſt, quod habet alienam humiditatem ſuperficie tenus: irrigatum autem, quod in profundo*, ergo ſecundum Philoſophum etiam hoc in loco datur humiditas diſtincta realiter à corpore fluido, nempè recepta in ſicco, cui opponitur, & per conſequens datur humiditas, & etiam ſiccitas, quæ ſunt qualitates poſitiuæ, & realiter diſtinctæ à proprijs ſubiectis ſcilicet à corporibus fluidis, & ſiccis.

Tertia Concluſio. Quatuor qualitates tangibiles, nimirum Caliditas, Frigiditas, Humiditas, & Siccitas, ſunt omnium qualitatum tangibilium æqualiter primæ; ità ut à prioribus, ſiuè virtualibus, ſiuè formalibus, ſiuè à ſeinuicem nullatenus pendeant. Eſt Ariſtotelis hic à t.8. vſque ad 15. incluſiuè, & aliorum, quos retulimus pro vltima

ſen-

Digitized by Google

ſententia: Contra alios relatos in prima & ſecunda ſententia huius ſecundæ partis quæſtionis. Probatur concluſio quoad primam partem, quia illud eſt omninò primum, quo nihil eſt prius, ſiuè formaliter, ſiuè virtualiter, & ad quod cætera eiuſdem generis poſteriora reducuntur, ſed quatuor qualitates tangibiles ſunt huiuſmodi, ergo tales qualitates in ſerie tangibilium qualitatum ſunt omnium primę, ſiuè primitate formali, ſiuè virtuali. Maior eſt nota ex terminis. Minoris prima pars probatur de qualitatibus virtualibus ex Scoto in 2.d.16.q. vn. D.& in 4.d.12.q.3.ſub.E. Quia nulla eſt neceſſitas ponendi in elementis qualitates virtuales, à quibus pendere poſſint qualitates formales, ergo formales erunt omnium primæ. Conſequentia tenet, quia non ſunt multiplicanda entia abſque neceſſitate ex Ariſtotele in primo. Phyſicorum t. 56. ergo ſi nulla eſt neceſſitas ponendi in Elementis qualitates virtuales, priores formalibus iſtæ erunt omnium primæ. Antecedens probatur, quia ſi eſſet aliqua neceſſitas illas adſtruendi in elementis, maximè foret, quia à formis ſubſtantialibus elementorum, non poſſent immediatè emanare illæ qualitates, quæ vocantur formales, verum formæ elementares egerent illis, veluti inſtrumentis agendi, ſed hoc eſt omninò falſum, quia ſubſtantia eſt immediatè productiua accidentis, vt docet Ariſtoteles 7. Metaph. t. 32. alioquin daretur proceſſus in infinitum in productionibus accidentium, ergo ſicut illæ qualitates virtuales immediatè poſſent prouenire à formis ſubſtantialibus, ita & qualitates formales, poterunt ſic immediatè prouenire abſque virtualibus, ac proindè nulla erit neceſſitas ponendi illas virtuales. Secunda pars minoris ſuadetur eodem modo, ſiquidem nulla eſſet neceſſitas ponendi alias qualitates formales priores, cùm iſtæ poſſent immediatè produci à formis ſubſtantialibus, ſicut illæ, ergo cur deberent multiplicari qualitates priores, cum iſtæ immediatè ſufficerent ad tranſmutationem elementorum in ſeinuicem? nulla poteſt adduci ratio huius neceſſitatis, & prioritatis, igitur primitas eſt ſtatuenda in his quatuor duntaxat. Secundo probatur concluſio quoad ſecundam partem principalem, quod illę quatuor qualitates ſint priores cæteris qualitatibus tangibilibus; nàm illud eſt prius ad quod habet reduci poſterius ſed cæteræ, qualitates tangibiles habent reduci ad illas quatuor qualitates tangibiles, vt oſtendimus in expoſitione textus à t. 9. vſque ad 14. incluſiuè, ergo illæ quatuor qualitates tangibiles, ſunt primæ, & cæteris tangibilibus priores. Tertio probatur concluſio quoad Tertiam partem, quia ſi daretur prioritas inter ſeſe, maximè eſſet, quod duæ actiuæ, nempè caliditas, & frigiditas, præcederent duas alias paſſiuas, nimirum humiditatem, & ſiccitatem, ſed hoc admitti non poteſt, ergo nec inter ſe ſe poteſt dari talis prioritas, vt vna præcedat aliam. Sequela maioris conceditur ab Aduerſarijs. Minor probatur ab Ariſtotele in t. 15. quia ſiccitas ſi poſſet reduci ad caliditatem, vt ad priorem, ſequeretur omne ſiccum fore calidum, quia omne poſterius habet reduci ad ſimpliciter prius, vt ſuperius oſtendit in t. 14. de omni humido, & omni ſicco, quod habeant reduci ad primum humidum, & primum ſiccum, ſed conſequens eſt falſum, quia terra eſt ſicca, & non eſt calida: Neque ſiccitas poſſet reduci ad frigiditatem, quia tunc omne ſiccum foret frigidum, quod tamen eſſet falſum, quia ignis eſt ſiccus, & tamen non eſt frigidus: Neque humiditas poſſet reduci ad caliditatem, quia aqua eſt humida, & non eſt calida: neque humiditas ad frigiditatem, quia aer eſt humidus, & tamen non eſt frigidus, ergo de primo ad vltimum, cum quatuor qualitates nequeant reduci, nec ad alias virtuales, neque formales priores ſeipſis, neque interſe ſe vna ad aliam, concludendum eſt, illas eſſe ſimpliciter primas in ſerie qualitatum tangibilium.

Obijcitur primo contra primam concluſionem probando non omnes quatuor qualitates formales eſſe entitates poſitiuas, ſed frigiditatem, & ſiccitatem eſſe priuatiuas, quia per ſolam abſentiam agentis calidi, nempè ſolis, aer, & quæ in ipſo ſunt, frigeſcunt: & per receſſum agentis humidi exſiccantur veſtes, & ligna, ergo ſignum eſt frigiditatem, & ſiccitatem conſiſtere in priuatione ſola caloris, & humoris.

Reſpondetur ex Doctore Subtili in 2. d. 17. quæſt. 2. ſub B. negando antecere-

tecedens, ſiquidem loquendo in ſimili de frigiditate aeris in media regione, dicit ad illam concurrere duplicem cauſam, alteram poſitiuam, quæ eſt frigiditas nubium in eiſdem locis, alteram verò priuatiuam, quæ eſt carentia caloris, generati per reflexionem radiorum ſolis à terra, & carentia caloris cauſati à ſole directè: ex quo infertur, quod effectus frigoris non prouenit ex ſola priuatione caloris, ſed etiam ex entitate, ſeù forma poſitiua frigiditatis, & per conſequens, frigiditatem non conſiſtere in priuatione caloris formaliter, verum duntaxat concomitanter. Eodem modo dicendum eſt de ſiccitate, quod formaliter ſita exiſtat in poſitiuo, & ſolùm concomitanter in priuatione, eo pacto nimirum, quo Ariſtoteles conſueuerit vocare alterum contrariorum priuationem, licet ambo ſint entia poſitiua, vt ſuperius diximus in probatione concluſionis.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam concluſionem ex Arriaga, nam nullum adeſt fundamentum ponendi humiditatem, & ſiccitatem, diſtinctam à corporibus, humidis, & ſiccis, ergo gratis ponimus illas ſic diſtinctas. Antecedens probatur, quia intantum ponendæ ſunt diſtinctæ à corporibus calidis, & frigidis, caliditas, & frigiditas, inquantum ſunt operatiuæ, & percipiuntur earumdem effectus, etiam in diſtantia ſuorum ſubiectorum, ergo ex oppoſito, cùm non poſſimus experiri operationes, & effectus humiditatis, & ſiccitatis in diſtantia, ſed ſolùm per coniunctionem corporum humidorum, & ſiccorum, ergo dicendum eſt, huiuſmodi qualitates, licet poſitiuas, non eſſe ab eiſdem corporibus realiter diſtinctas.

Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; ad probationem dicimus, quod licet non appareant, ità manifeſtè, operationes humiditatis, & ſiccitatis, ſicut actiones caliditatis, & frigiditatis, non propterea ab illis negandæ ſunt propriæ operationes, tùm actiuæ, tùm paſſiuæ, cùm ſint contrariæ, quarum munus eſt, vt inſeinuicem agant, & patiantur, alioquin non poſſet fieri miſtio intermiſcibilia, contraria, cum hæc de neceſſitate exigat actiones, & reactiones partium, ad hoc, vt poſſint alterari, & corrumpi, & ex eis generari miſta. Quod autem aliqualiter percipiantur ſenſu tactus diſtinctæ à ſuis corporibus, quamuis non ita manifeſtè, ſicut caliditas, & frigiditas, ſatis oſtendimus ex Ariſtotele, & Scoto in probatione concluſionis ſecundæ. Nec iuuant exempla, quæ ab Arriaga ſolent adduci in comprobarienem ſuæ opinionis (ni dixerimus tutius ſui erroris) quandoquidem procedunt ex falſo fundamento, quod huiuſmodi qualitates non ſint actiuæ, & quod exſiccatio non ſit, niſi extractio humoris à corpore, & humectatio, per oppoſitum, extractio ſiccitatis ab eodem, quod quàm ſit falſum euidenter oſtenditur in igne, quod non exſiccat, extrahendo humiditatem, ſed illam expellendo per inductionem ſiccitatis ſuæ, & in aere, humectat lanam per introductionem humiditatis per ſe, & expulſionem ſiccitatis ſolùm per accidens.

Obijcitur tertio contra tertiam concluſionem nàm ſi non admitterentur qualitates virtuales in elementis, quæ forent poſtea cauſæ quatuor qualitatum formalium, non poſſet aſſignari ratio, vel cauſa, per quam qualitates formales in eis ſemel amiſſæ, poſſent iterum recuperari, ſed hoc eſſet maximum abſurdum in philoſophia, quæ tenetur reddere cauſas effectuum, & accidentium rerum naturalium, ergo vt vitemùs iſtud inconueniens, admittere debemus qualitates virtuales, quæ ſint cauſæ qualitatum formalium. Sequela maioris probatur, quia poſito caſu, quod ſemel amittatur frigiditas in aqua, vel terra per actionem contrariam ignis illam expellentis; à quo agente illam poterunt recuperare? Non ab aere ambiente, quia cum talis ſit calidus, & humidus, non poſſet, medijs illis inſtrumentis, agere ad generationem frigiditatis, vel contrariæ, vel diſparatæ: Non ab igne, qui fuit cauſa amiſſionis eiuſdem: non à proprijs formis ſubſtantialibus, quia hæ nequeunt agere ſine aliquo inſtrumento, quod eſſe non poſſet à ſufficienti diuiſione qualitatum formalium, niſi frigiditas virtualis, reſidens in formis aquæ, & terræ, ergo de neceſſitate poni debent huiuſmodi qualitates virtuales, vt va-

leamus reddere cauſas recuperationis frigiditatis in terram; & aquam quam ſemel amiſerint. Eodem pacto poſſet argui de cæteris qualitatibus aliorum Elementorum.

Reſpondetur ex Doctrina Scoti in 2. d. 16. quæſt. vn. & in 4. d. 12. quæſt. 3. negando ſequelam maioris. Ad cuius probationem dicimus frigiditatem illam ſemel amiſſam per actionem contrarij in terra, & aqua, iterum recauſari in eiſdem à proprijs formis ſubſtantialibus vtriuſque elementi. Et cùm ſubiungitur, quod non poſſent habere talem actionem ſine aliquo instrumento accidentali, dicimus hoc eſſe falſum, quia, vt aliàs oſtendimus in ſecundo. Phyſicorum Diſp. 5. quæſt. 4. ſubſtantia eſt immediatè, & per ſe productiua accidentium, ſeù emanationum accidentalium, in quibus conſeruatur forma ſubſtantialis eiuſdem: quandoquidem inquit Ariſtoteles in ſeptimo Metaph. t. 32. ad generationem ſubſtantiæ, neceſſe eſt præexiſtere actu aliam ſubſtantiam, ad fieri autem quanti, vel qualis, non eſt opus quantum, vel quale aliud præexiſtere, ſed tantum potentia in ipſa ſubſtantia: igitur talis frigiditas poterit de nouo acquiri per formas ſubſtantiales, abſque hoc, quod debeat præcedere in illis alia frigiditas virtualis, quæ ſit illius cauſa instrumentalis.

Obijcitur quarto quia admittuntur qualitates virtuales, quæ ſunt cauſæ qualitatum formalium in quibuſdam miſtis, vt patet in pipere, vino, & ſimilibus, ergo & in elementis admittendæ erunt, cùm elementa ſint in miſtis virtualiter, hoc eſt ſecundum qualitates, ſimiles qualitatibus elementorum vt explicat Scotus in 2. d. 15. quæſt. vn. §. Ad ſecundum argumentum ſub F. Conſequentia patet, quia quicquid habetur in miſtis pendet ab elementis, ex quibus coaleſcunt.

Reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, & paritatem, ſiquidem piper, & vinum, cum producunt calorem, quem virtualiter continent, non agunt immanenter in ſeipſis ſed tranſeunter in ſtomacho, quare non poteſt admitti pro cauſa ſui caloris forma ſubſtantialis eorumdem miſtorum, vt volunt nonnulli, ſed opus eſt qualitate virtuali, quæ ſit talis caloris cauſa: cæterùm quia elementa, erga ſuas qualitates formales, agunt immanenter, propterea ad illas eliciendas, non egent alijs qualitatibus virtualibus, à quibus formales procurent ſuum eſſe formale, cùm hæ poſſint immediatè emanari à proprijs formis ſubſtantialibus, vt ſupradictum eſt.

Obijcitur quinto contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis nam illud nequit dici primum, quod ab alio eiuſdem generis pendet in ſuo fieri, ſed ſiccitas, in ſuo fieri pendet à caliditate, vt patet in rebus, quæ ad ignem applicantur, cùm non euaderit ſicca, & apta inflammari, niſi prius calefiant ab igne, ergo ſiccitas in ſuo eſſe pendet à calore.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram, ſi pendeat per ſe in fieri ab alio, non tamen ſi per accidens, vt contingit in ſicciate, quæ non introducitur ab agente ſicco per ſe, niſi per calorem diſponantur inflammabilia, ad recipiendam ſiccitatem, quæ inflammationem præcedere deberet, ſiquidem actus actiuorum non ſunt niſi in patiente bene diſpoſito ex 2. de Anima t. 24.

Vtrum quatuor qualitates primæ, nempè Caliditas, Frigiditas, Humiditas, & Siccitas, diffinitæ ab Ariſtotele in textu octauo, & nono, ſint formæ ſubſtantiales Elementorum?

QVÆSTIO II.

Qvatuor Elementa eſſe conſtituta in ſuo eſſe ſubſtantiali per Grauitatem, & Leuitatem, quæ ſecundum Ariſtotelem in præcitatis locis, ſunt qualitates ſecundæ de genere tangibilium, docuerunt Aueroiſtæ, & poſt eos Rubion in 2. d. 14. quæſt. 3. Acchillinus de Elementis lib. 3. dub. 2. Valleſius lib. 1. Controuerſ. cap. 3. & Arriaga de Gener. Diſp. 4. ſect. 5. multo magis hoc fateri debuerunt de his quatuor qualitatibus, cùm ſint intimiores elementis, quam ſint grauitas, & leuitas: Verùm quod illi non

non dixerunt, alijs, tùm Græcis, tùm Latinis fuit, veluti commune proloquium, quod Elementa ſint conſtituta in eſſe ſubſtantiali per quatuor qualitates actiuas, tamquam per ſuas formas ſubſtantiales. Ita Alexander Aphrod. lib. de ſenſu, & ſenſibili cap. de Vapore com. 30. Philopponus hic ad t. 6. Thæmiſtius quinto Phyſic. ad t. 9. & alij Greci, quos ex latinis ſequuti ſunt Flaminius Nobilior primo de Gener. c. 3. & Cremoninus in ſuo libello de hac re inſcripto, & lib. Meteorolog. q. 1.

Oppoſitam ſententiam, veluti communem, tenuerunt ſemper latini, aſſerentes. Elementa eſſe conſtituta in eſſe ſubſtantiali per proprias formas ſubſtantiales, diſtinctas realiter ab his quatuor qualitatibus actiuis, & per has ſolùm accidentaliter habere eſſe. Ita ex Recentioribus, præter Antiquos, ſuſtinent Fauentinus lib. 11. Metaph. Diſp. prima Roccus hic quæſt. 1. Raguſæus Diſp. Peripat. 15. Contarenus Iunior tom. 2. Quæſt. Peripat. de Formis elementorum, quos refert, ac ſequitur Maſtrius hic Diſp. 1. quæſt. 2. num. 8. vbi num. 9. art. 1. pro hac ſententia citat Doctorem Subtilem in 2 d. 2. quæſt. 6. N, & O. d. 15. quæſt. vn. & in 4. d. 12. quæſt. 3. ac alibi. Et eamdem, pluribus citatis, ſequuti ſumus, & nos lib. 4. de Cœlo, & Mundo Diſp. vn. quæſt. 1. loquentes de Qualitatibus Motiuis Elementorum, à qua parùm, aut nihil diſtat præſens difficultas de Qualitatibus Elementorum actiuis. Vndè pro declaratione, ac maiori fundamento eorum, quæ concludere debemus in præſentiarum.

Primo Notandum eſt, vt colligitur ex Doctore Subtili in 4. d. 12. q. 3. quod licet ſubſtantia nequeat poni in eſſe ab accidentibus actione productiua, quia nullum imperfectius poteſt dare eſſe perfectiori, non eſt tamen denegandus, ad productionem ſubſtantiæ, concurſus diſpoſitiuus accidentium, ſiquidem, vt docet Ariſtoteles 2. de Anima t. 24. actus actiuorum non ſunt niſi in patiente benè diſpoſito: ex quo inferendum eſt, quod ſubſtantia nonniſi ab alia ſubſtantia poteſt habere eſſe productiuè; inquit enim Ariſtoteles ſeptimo Metaph. t. 32. *Proprium ſubſtantiæ ex his accipere eſt, quod neceſſe eſt præexiſtere ſemper aliam ſubſtantiam actu exiſtentem, quæ facit, vt puta animal ſi animal ſit: quale verò, aut quantum, non eſt neceſſe*, ſupple præexiſtere aliud quantum, vel quale actu, *niſi potentia ſolum*, cùm accidentia poſſint immediatè produci à ſubſtantia: Cùm igitur elementa ſint ſubſtantiæ actuales compoſitæ ex materia, & forma, dicendum eſt eorum formas, à quibus conſtituuntur in eſſe ſubſtantiali, debere eſſe ſubſtantias actuales, & non qualitates primas actiuas, quæ, ſecundum etiam Ariſtotelem in Prædicam. cap. de qualitate, & quali, ſunt accidentia, à ſubſtantia realiter diſtincta, vt docet pariter etiam in eodem lib. 7. Metaph. t. 4. & ſequentibus.

Secundo Notandum eſt ex eodem ibidem ſub R, & X, quod ſubſtantia, & accidentia, cùm aliquo pacto ſe iuuent in fieri, vt prædictum eſt, etiam in facto eſſe, & conſeruari, debent ſibi mutuas vires rependere, in tantum, quod ſi accidentia exiſtentiam ſubſtantiæ, in qua maneant, ſibi neceſſariò vendicant, ita ſubſtantia ſibi aliquos gradus accidentium, quorum miniſterio vtatur, aduocat, ac determinat, vt ſine ipſis naturaliter exiſtere, & ſe à corruptione tueri non poſſit. Sic itaque naturæ Auctor talibus munerauit donis ſubſtantias, & accidentia, vt nobilitatem illarum, in horum miniſterio rependat, & ad operandum mutuis ſe beneficijs foueant, & adiuuent: alioquin ſi à ſeinuicem ſeiungi contingat, & ſubſtantias corruptionis defectus, & accidentia deſitionis interitum ſe incurrere certò ſciant. Vndè infert Doctor Subtilis ſub X. §. Ad tertium quod ponendo caliditatem ignis, & frigus aquæ in quantitatibus ſeparatis, ſi frigiditas ſimpliciter vinceret ſecundum intenſionem in ſpecie ſua, concedo, quod quilibet gradus, etiam vltimus illius caloris poſſet corrumpi ab illo frigore, ſed non ſequitur, quod ſimiliter poſſit vltimus gradus illius caloris corrumpi, quando calor eſt igne, & ratio eſt hæc, quia quantitas, quæ ſubijcitur calori ſeparato non determinat ſibi neceſſario gradum aliquem caloris, non magis infimum, quam ſummum, quia omnes gradus ſunt eiuſdem rationis in ſe, & comparando ipſi ſubiecto: ſed non ſic quando calor eſt igne, ſupremum enim gradum

Digitized by Google

non ſibi neceſſariò determinat, ſed infimum, & ideò licet ille gradus infimus non poſſit reſiſtere; tamen ſubſtantia ignis, quæ eſt maioris virtutis, poteſt reſiſtere contrario corrumpenti; plus enim poteſt ſubſtantia ignis ad conſeruandum illum effectum, quàm frigus ad corrumpendum: conſeruabitur ergo ille gradus quandiù, ignis eſt in ſuo eſſe manens, & ideo niſi ſit aliquid corrumpens ignem in ſe, non corrumpetur ille gradus. Ex quibus inferendum ad rem noſtram, quod licet caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas non ſint formæ conſtitutiuæ quatuor Elementorum in ſuo eſſe ſubſtantiali, ſunt nihilominus conſeruatrices aliquo pacto formarum ſubſtantialium eorundem, ſiquidem quandiù ſunt in eis in gradibus, quos ſibi determinant, reſiſtunt contrarijs corrumpentibus, ac proinde mutuò ſe fouentes conſeruantur etiam formæ ſubſtantiales.

Tertio Notandum eſt ex eodem ibidem d. 11. quæſt. 3. ſub Y. latam eſſe differentiam inter formam ſubſtantialem, & formam accidentalem. Forma enim ſubſtantialis eſt, quæ dat eſſe ſimpliciter rei, cui aduenit. Forma verò accidentalis eſt, quæ adueniens rei, habenti eſſe ſimpliciter, dat illi eſſe ſecundum quid vt autem poſſimus diſcernere inter vtramque, quæ ſit ſubſtantialis, & quæ accidentalis, inquit Doctor, quod Philoſophi diſtinxerunt inter formam ſubſtantialem, & accidentalem à poſteriori per iſta media, vt potè per habere contrarium, & non habere; recipere magis, & minus, & non recipere, quia ſubſtantia à toto genere, nec habet contrarium, nec recipit magis, & minus; accidens verò, & habet contrarium, & recipit magis, & minus. Ex quibus inferendum eſt, quod caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas in elementis etiam cùm ſint contrariæ, & ſuſcipiant magis, & minus, ſiquidem caliditas in igne eſt intenſa, in aere remiſſa: frigiditas in aqua eſt intenſa, in terra remiſſa: Humiditas in aere eſt intenſa, in aqua remiſſa: & ſiccitas in terra eſt intenſa, in igne verò remiſſa, nequeant eſſe formæ ſubſtantiales, verùm duntaxat accidentales, & quod Elementis non poſſint dare eſſe ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, & accidentale.

Quarto Notandum, vt colligitur ex Ariſtotele hic in t. 6. & ex eodem Doctore Subtili ibidem principia rerum eſſe duplicia, nempè eſſentialia, & accidentalia, ſeù ſimpliciter, & ſecundum quid. Priora ſunt, quæ conſtituunt res eſſentialiter, cuiuſmodi ſunt materia, & forma. Poſteriora verò ſunt omnia ea, quæ prærequiruntur ad conſtitutionem rei conſtituendæ, quàmuis ſint accidentia diſpoſitiua ad generationem formæ dantis eſſe ſimpliciter, & de his loquitur Ariſtoteles in hoc ſecundo lib. de Generatione t. 6. dùm inquit. *Quapropter primum quidem potentia corpus ſenſibile principium eſt: ſecundum autem contrarietates, dico autem, vt caliditas, & frigiditas*, & Scotus in primo d. 7. quæſt. vn. ſub L. vbi ait: *Potentia denominatiuè ſumpta aliquando ſumitur pro ſuo fundamento præcisè: aliquando autem pro ipſo cum omnibus alijs, quæ concurrunt, ad hoc vt poſſit elicere actum; cuiuſmodi ſunt in creaturis approximatio paſſi, & impedimenti remotio, de quibus loquitur Ariſtoteles 9. Metaph. cap. 4.* Ex quibus ad propoſitum deducere poſſumus, quod ſi loquamur de principijs conſtitutiuis Elementorum in eſſe ſubſtantiali ſecundum eſſe ſimpliciter, debemus dicere, eſſe præciſe materiam, & formam ſubſtantialem, cum iſtæ duntaxat ſint de illorum eſſentia: ſunt enim corpora naturalia, quæ conſtant ex materia, & forma. Si verò ſit ſermo de principijs eorundem conſtitutiuis, nedum ſimpliciter, verum etiam ſecundum quid, cogimur fateri, quod quatuor qualitates primæ contrariæ ſint etiam eorundem principia conſtituiua, tùm quia *ſic illas* appellat Philoſophus: tùm etiam, quia ſaltem diſpoſitiuè concurrunt ad illorum eſſe ſubſtantiale.

Ex his ſit prima Concluſio. Quatuor Elementa non ſunt conſtituta in eſſe ſubſtantiali per caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſicci-

cita-

citatem, tamquàm per ſuas formas ſubſtantiales; verùm per eas tantùm, in eſſe accidentali. Eſt Ariſtotelis, & omnium ſuorum Interpretum latinorum, exceptis paucis, quos citauimus in prima ſententia. Probatur primo auctoritate, deindè rationibus. Prima igitur auctoritas Ariſtotelis eſt in 1. Phyſicorũ t. 27. & 30. vbi inquit: *Si igitur, quod verè eſt nulli accidit, ſed illi aliquid, quod verè eſt magis ſignificat quod eſt, qui quod non eſt*, cum igitur quatuor qualitates ſint alijs corporibus accidentia ſeparabilia, vt experientia comprobatur, ſequitur, quod quatuor elementis non ſint ſubſtantiæ, ſeu formæ ſubſtantiales. Secunda auctoritas deſumitur ex hoc 2. libr. de Generatione t. 54. vbi reprehendens Antiquos, quod non agnouerint vera conſtitutiua quatuor elementorum, ait: *Amplius autem, & potentias attribuunt corporibus, ideſt elementis, propter quas, & generant valde inſtrumentaliter, auferentes eam, quæ ſecundum formam, cauſam*. Tertia auctoritas habetur in lib. de ſenſu, & ſenſibilibus cap. 3. de ſapore, vbi inquit: *Sed proprium ignis calidum eſt, terra verò ſiccum, ſicut dictum eſt in ijs; quæ igitur ignis, & quæ terra nihil natum eſt agere, vel pati, nec aliud quicquam: quæ autem ineſt contrarietas in eis, hæc omnia agunt, & patiuntur*. Si igitur ignis, & terra haberent pro formis eſſentialibus calorem, & ſiccitatem, agerent, & paterentur quà ignis, & terra, & non quà calidus, & ſicca, quod tamen oppoſitum aſſerit, vt ergo, caliditatem igni, & ſiccitatem terræ non eſſe formas ſubſtantiales, ſed tantum accidentales. Secundo probatur ratione, quia proprium ſubſtantiæ eſt conſtitui in ſuo eſſe ſubſtantiali ab alia ſubſtantiali forma ex Ariſtotele ſeptimo Metaph. t. 32. ſed quatuor primæ qualitates, nempè caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, non ſunt ſubſtantiæ, quinimò accidentia de Prædicamento, & tertia ſpecie Qualitatis, ergo nequeunt eſſe formæ ſubſtantiales conſtitutiuæ elementorum, quæ ſunt ſubſtantiæ. Tertio probatur, quia formæ ſubſtantiales, & accidentales interſe diſtinguuntur, quia illæ non habent contrarium, & non recipiunt magis, & minus, ſicut iſtæ ex Ariſtotele, & conſenſu omnium Philoſophorum cap. de ſubſtant. & Qualit. ſed caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas ſunt contrariæ, & recipiunt magis, & minus, cùm habeant eſſe intenſum, & remiſſum in diuerſis Elementis, vt oſtendimus in tertio. Non ergo nequeunt eſſe eorum formæ ſubſtantiales, ſed ſolùm accidentales. Quarto probatur, quia ſubſtantia à toto genere non eſt perſe ſenſibilis ex Ariſtotele ſecundo de Anima t. 63. & 65. ſed tales qualitates ſunt per ſe ſenſibiles ſenſu tactus, vt hic demonſtrauit Ariſtoteles à t. 8. vſque ad t. 15. ergo huiuſmodi qualitates nequeunt eſſe ſubſtantiæ, nec ſubſtantiales formæ, ac proindè nec conſtitutiuæ Elementorum in ſuo eſſe ſubſtantiali, ſed tantum accidentali.

Secunda Concluſio. Caliditas ignis, frigiditas aquæ humiditas aeris, & ſiccitas terræ, quàmuis non ſint formæ ſubſtantiales, ſed tantum accidentales, ſunt nihilominus formæ conſeruatiuæ eorundem corporum. Colligitur ex Scoto in 4. d. 12. quæſt. 3. ſub R, & X. Probatur, quia licet non ſit tanta dependentia ſubſtantiæ ab accidente, quanta eſt accidentis à ſubſtantia, quia dicit Ariſtoteles ſeptimo Metaph. t. 4. *attamen ſubſtantia, & ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium primum eſt ens*, nihilominus ſubdit ibidem *aliorum enim, quæ prædicantur, nullum eſt ſeparabile à ſubſtantia*, hoc eſt, accidentium, quæ prædicantur de ſubſtantia, eſt talis colligantia, vt ſine illa exiſtere nequeant, ergo ſicut conſeruatio accidentium pendet à conſeruatione ſubſtantiæ, ita conſeruatio ſubſtantiæ pendere debet à conſeruatione, potiſſimum illorum accidentium, quæ ſibi ſecundum aliquos gradus determinat, ſed ſic eſt, quod vnumquodque elementum determinat infimum gradum qualitatis ſibi conuenientis, ſine quo eſſe non poteſt, ergo à tali gradu recognoſcit propriam conſeruationem. Conſequentia tenet, quia quemadmodum forma ſubſtantialis nequit corrumpi, niſi corrumpantur omnes gradus illius qualitatis, in quibus conſeruabatur, ita nequit conſeruari à corruptione contrarij, niſi conſeruentur gradus, quos pro ſuo eſſe

Digitized by Google

ſibi determinauerat, ergo ſicut ſubſtantia eſt conſeruatiua accidentium nè pereant per actionem contrarij, ſic accidentia ſub tutela ſubſtantiæ, illam tuentur ab agente corrumpente, nè tàm citò deficiat: ac proindè licet caliditas ignis, frigiditas aquæ, humiditas aeris, & ſiccitas terræ non ſint eorundem elementorum formæ conſtitutiuæ in eſſe ſubſtantiali, poterunt tamen dici formæ conſeruatiuæ in tali eſſe.

Tertia Concluſio. Si principia elementorum ſumantur eſſentialiter, ſeù ſimpliciter, ſunt tantum duo, nempè materia prima, & forma ſubſtantialis: ſi verò attendantur accidentaliter, ſiuè ſecundum quid, vltrà materiam, & formam ſubſtantialem, exiguntur etiam contrarietates quatuor primarum qualitatum. Eſt Ariſtotelis hic t. 6. ex Scoti in primo d. 7. q. vn. ſub L. Prima pars probatur, quia omne corpus naturale eſſentialiter conſtat ex materia, & forma ſubſtantiali, vt patet per ſuam diffinitionem, ſed quodlibet elementum eſt corpus naturale; ſiquidem corpus naturale diuiditur in corpus ſimplex, & miſtum, veluti genus in ſuas ſpecies, præterquamquod eſt propoſitio expreſſa Ariſtotelis in 3. de Cœlo t. 36. & alibi. Ergo quodlibet elementum eſt contentum duobus principijs ſimpliciter tantum, nempè materia, & forma ſubſtantiali. Secunda pars probatur ex Ariſtotele hic t. 6. vbi inquit: *Quapropter primum quidem potentià corpus ſenſibile*, ideſt materia prima, *principium eſt: ſecundum autem contrarietates, dico autem vt caliditas, & frigiditas*, ſed materia prima nequit eſſe ſine forma ſubſtantiali ex eodem in primo de Gener. t. 17. & formam ſubſtantialem conſequuntur contrarietates, & magnitudo materiam ex eodem ibidem t. 32. ergo principia elementorum ſecundum quid, vltra materiam, & formam ſubſtantialem, inuoluunt etiam quatuor qualitates primas, nempe caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem. Secundo probatur, quæcumque neceſſario concurrunt ad ponendum effectum in eſſe, ſicut intelliguntur ſub nomine potentiæ propinquæ, poſſunt vocari principia, ſaltem ſecundum quid ſed contrarietates concurrunt neceſſariò ad ponenda elementa in eſſe ſubſtantiali, cum ſint diſpoſitiones ad generationem formæ ſubſtantialis cuiuſlibet elementi, ergo contrarietates poſſunt vocari elementorum principia ſecundum quid. Maior eſt Ariſtotelis 9. Metaph. t. 10. vbi ait: *Quoniam verò quod poteſt aliquid poteſt, & aliquando, & aliquo modo, & quæcumque alia neceſſe eſt adeſſe in definitione*, ergo quæcumque neceſſario concurrunt ad ponendum, ſeu definiendum effectum vocantur potentiæ propinquæ, & principia illius, ſaltem ſecundum quid. Minor eſt eiuſdem ibidem, & t. 24. ac alibi pluries vbi deſcribit generationem, & corruptionem naturalem. Concludendum eſt igitur, ad conſtitutionem ſimpliciter Elementorum duo tantùm eſſe principia; plura verò ad illorum conſtitutionem ſecundum quid, ſeù accidentalem.

Obijcitur primo contra primam concluſionem auctoritas Ariſtotelis pluribus in locis, in quibus videtur aſſerere, quod quatuor qualitates primæ ſint formæ ſubſtantiales Elementorum. Nàm in hoc ſecundo lib. t. 24. inquit: Elementa eſſe inuicem contraria, quia eorum differentiæ ſunt contrariæ, ſed tales differentiæ, quibus ſpecificè differunt, ſunt caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, vt iàm prædixerat in primo lib. de Generat t. 18. Deindè ibidem t. 49 inquit elementa eſſe ſubſtantialiter contraria, ſed non ſunt contraria niſi per differentias contrarias, cuiuſmodi ſunt quatuor qualitates, ergo tales ſunt differentiæ ſubſtantiales. Amplius in 2. de Anima t. 28. dicit, quod humidis, & ſiccis, calidis, & frigidis aluntur omnia viuentia, ſed non aluntur, niſi ſubſtantijs, ergo tales differentiæ ſunt ſubſtantiales. Vlterius in tertio de Anima t. 10. ſubdit: *ſenſitiuo igitur calidum, & frigidum indicat, & quorum ratio quædam ipſa caro*, ſed caro eſt ſubſtantia, ergo, & calidum, & frigidum debent eſſe ſubſtantiæ. Ex quibus inferendum eſt, quod cùm huiuſmodi qualitates ſint differentiæ, & formæ ſubſtantiales, & illas eſſe principia elementorum, elementa conſtitui per eas in eſſe ſubſtantiali, & non tantum accidentali.

Reſpondetur negando hanc vltimam cõſequentiam. Neque auctoritates adductæ, ſi rectè perpendantur, probant intentum ab Aduerſarijs. Vnde ad primam dicimus, elementa eſſe contraria denominatiuè, quia in eis ſubiectantur qualitates contrariæ, nempe caliditas, & frigiditas, humiditas, & ſiccitas, quæ ſunt contrariæ, non verò eſſentialiter,

quia ſubſtantiæ non ſunt adinuicem contrariæ. Neque iuuat, illas qualitates vocari ab Ariſtotele differentias, & principia conſtitutiua, & diuiſiua Elementorum, quia intelligẽdus eſt Philoſophus de differẽtijs, & principijs elementorum ſecundum quid, & accidentalibus, non verò de eſſentialibus, & ſimpliciter, quia hæc ſolùm præſeferunt ſubſtantiam, cætera verò accidentia. Ad ſecundam vbi elementa vocantur eſſentialiter contraria, dicendum eſt, verum eſſe denominatiuè, non quiditatiuè, itaut ly eſſentialiter cadat inter qualitates elementares, quæ diſtinguntur ſpecificè, non verò inter formas ſubſtantiales elementorum, cum hæ recipiant contrarietatem eſſentialiter, ſed ſolum denominatiuè. Ad tertiam & quartam dicimus, calida, & frigida, humida, & ſicca connotatiuè quidem eſſe materiam nutritionis, cum talia ſint ſubſtantiæ, non verò formaliter, quia ſic neque caliditas, & frigiditas, neque humiditas, & ſiccitas conuertuntur in ſubſtantiam aliti, quàmuis ſint accidentia diſpoſitiua ad conuerſionem earum ſubſtantiarum, quibus aluntur viuentia, & generatur caro in eiſdem. Eodem pacto reſpondendum eſt ad omnes, & conſimiles auctoritates Ariſtotelis, quæ in contrarium adduci poſſent, cùm apud ipſum ſit penitùs inuiſum, quod ſubſtantiæ conſtituantur in eſſe per accidentia, & quod qualitates ſenſibiles, poſſint eſſe ſubſtantiales formæ, quibus coaleſcant corpora naturalia, ſiuè ſimplicia, ſiuè mixta, vt clariùs videbimus in ſequentibus.

Obijcitur ſecundo rationibus, quia forma non cognoſcitur, niſi per actiones à poſteriori, ſed in elementis nulla datur actio, quæ indicet alias formas, diſtinctas à quatuor qualitatibus, ergo ſolùmodo illæ qualitates erunt formæ conſtituentes elementa in ſuo eſſe ſubſtantiali. Maior colligitur ab Ariſtotele in primo lib. Phyſicorum t. 69. in ſimili de materia prima, quæ ſolùm dignoſcitur per analogiam ad formam, & forma per ordinem ad actiones ea ipſa prouenientes. Minor eſt manifeſta; quia calefactio, & frigefactio, humectatio, & exſiccatio ſunt actiones illarum qualitatum, ac proinde non indicant alias formas, quæ ſint in elementis.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicimus, non ſolùm ex actionibus earundem qualitatum deprehendi formas ſubſtantiales Elementorum, cùm qualitas naturaliter nequeat exire in actum ſecundum, niſi ſuſtentetur à ſuo ſubiecto, quod eſt forma ſubſtantialis, verùm etiam ex proprijs actionibus immediatis, à formis ſubſtantialibus procedentibus, vt patet in ignitione, quæ eſt actio ignis, qua ignis eſt, non qua calidus eſt: ſimiliter in actionibus aquæ, terræ, & aeris, quibus ſe reducunt ad priſtinos ſtatus ſuarum qualitatum: non enim terra reducitur ad priſtinam ſiccitatem, nec aqua ad priſtinam frigiditatem, nec aer ad priſtinam humiditatem per ſeipſas, vel per aliquas qualitates virtuales, vt ſuperiùs oſtendimus, ſed ſolùm per proprias ſubſtantiales, igitur ex actionibus elementorum deprehendimus, non tantum formas accidentales, ſed etiam ſubſtantiales, quibus Elementa conſtituuntur in ſuo eſſe ſubſtantiali.

Obijcitur tertio contra ſecundam concluſionem nàm ſi datur mutua conſeruatio inter gradus qualitatis, & ſuam ſubſtantiam, ſequitur, quod elementa nunquam tranſmutentur adinuicem, ſed hoc eſt falſum, ergo non minus erit falſum, quod ſubſtantia, & eius gradus qualitatis neceſſariæ, mutuò conſeruentur adinuicem. Sequela maioris patet quia ſicut ſubſtantia elementi conſeruat gradum qualitatis, nè corrumpi poſſit, ita gradus qualitatis tuetur ſubſtantiam ab incurſione contrarij, vt ab ipſo deſtrui nequeat. Minor probatur, tùm quia elementa adinuicem tranſmutantur, vt videbimus in ſequenti ſumma à t. 24. & indè: tùm etiam, quia ſicut ſubſtantia vnius elementi neceſſariò requirit illum gradum qualitatis conſequentis, ita ille gradus repugnat contrario agenti, ergo ſicut dicitur, ipſum manſurum, quandiù manebit ſubſtantia, ita ſequitur, quod non maneat propter contrarium actiuum.

Reſpondetur ex Doctore Subtili in 4. d. 12. quæſt. 3. ſub R. negando minorem. Ad primam probationem dicimus veram eſſe reſpectu graduum, quos ſibi non determinauerit ſubſtantia elementi, tanquam neceſſarios ad ſui conſeruationem, falſum in ordine ad illos gradus neceſſarios, quia ſic ſe tuentur mutuò, ad vtriuſque conſeruationem, vt non ſequi poſſit tranſmuta-

Digitized by Google

mutatio vnius elementi in alterum ſibi contrarium. Ad ſecundam probationem inquit Doctor, ſi aliquod agens eſt ita potens ad deſtruendum illum gradum, ſicut ſubſtantia ad conſeruandum, argumentum haberet euidentiam; ſed dico, ſubſtantiam habere maiorem virtutem ad reſiſtendum contrario corruptiuo illius gradus, quam illud contrarium habeat virtutem actiuam ad corrumpendum & ratio eſt, quia comparando actiuum ad actiuum ſimpliciter perfectius ſecundum entitatem, eſt ſimpliciter perfectius ſecundum virtutem ſubſtantia autem habet virtutem actiuam reſpectu qualitatis conſequentis eam, & qualitas contraria habet virtutem actiuam ad corrumpendum ipſam; ſimpliciter autem ſubſtantia eſt perfectior qualitate contraria in entitate, ergo & virtus ſubſtantiæ ſimpliciter eſt maior in reſiſtendo, quam virtus qualitatis contrariæ in corrumpendo, alioquin non reſiſteret contrario corrumpenti ſuam qualitatem, nec illa qualitas poſſet reſiſtere, quia de ſe eſt quid imperfectius, quàm contrarium corrumpens, maximè ſi ponatur illud contrarium eſſe ſimpliciter intenſius in ſua ſpecie, quam illud in ſua. Contra, quod eſt poſterius generatione eſt prius corruptione, ſed iſta qualitas, ſecundum gradum neceſſarium ſubſtantiæ, eſt poſterior generatione ſubſtantia, ergo erit prior in corruptione, ac proindè priùs naturaliter corrumpetur, quàm ſubſtantia, vndè non relinquitur, vt poſſint ſe mutuò fouere, & conſeruare.

Reſpondetur ex eodem Doctore Subtili ibidem ſub S. maiorem eſſe veram in his, quæ ſunt ordinata in generatione, & corruptione, pertinente ad idem genus, cuiuſmodi ſunt formæ ordinatæ, ſecundum ponentes plures formas, quia ſic forma vniuerſalior, ſicut prius aduenit materiæ, ita poſterius deſcendit; non eſſe tamen veram de ſubiecto, & propria qualitate, conſequente ſecundum illum gradum, ſecundum quem eſt neceſſarium ſubſtantiæ; immò iſta qualitas, & poſterius inducitur, & poſterius corrumpitur, cùm deficiat ſolùm ad defectionem ſubiecti, in quo habet eſſe, & ſuſtentatur, ac conſeruatur.

Obijcitur quarto contra tertiam concluſionem quia illa eſt forma ſubſtantialis alicuius rei, per quam poteſt ſibi ſimile producere, ſed elementa per quatuor qualitates primas poſſunt producere ſibi ſimilia; ignis enim per calorem producere poteſt alium ignem; aer per humiditatem alium aerem humidum, & ſic de reliquis, ergo calor, humiditas, & frigiditas, ac ſiccitas ſunt qualitates ſubſtantiales, conſtitutiuæ elementorum in ſuo eſſe ſubſtantiali.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram de ratione producendi ſibi ſimile primaria, non autem ſecundaria, & diſpoſitiua: modò qualitates elementorum ſunt rationes producendi ſibi ſimilia diſpoſitiue tantum: ignis enim non generat alium ignem per calorem, nec aer alium aerem per humorem, nec aqua aliam aquam per frigiditatem, nec terra aliam per ſiccitatem primariò, verum tantum diſpoſitiuè; ſiquidem primaria ratio productiua eſt forma ſubſtantialis per quam conſtituitur quodlibet elementum in tali virtute productiua.

Vtrum Qualitates primæ tangibiles fuerint rectè diffinitæ, vel ſolùm deſcriptæ ab Ariſtotele in textu octauo, & nono.

QVÆSTIO III.

Quod caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, ſiuè in abſtracto, ſiuè in concreto, non fuerint rectè diffinitæ, ſed ſolum deſcriptę ex Antiquorum ſententia, ſuſtinét, ac probant Conimbricenſes hic cap. 3. qu. 3. ar. 1. 2. quos poſteà ſequutus fuit Antonius Roccus ibidem q. 4. & alij ex Recentioribus, quorum fundamenta examinabimus in fine ſoluendo obiectiones in contrarium.

Cæterùm, quod aſſignationes earum qualitatum, tùm actiuarum, tùm paſſiuarum, tamquam veræ diffinitiones, ſint rectè traditæ ab Ariſtotele de mente propria in citatis locis, docent communiter peripatetici, quos refert, ac ſequitur Maſtrius *Diſp.* 1. de primis Qualit. q. 2. ar. 2. à num. 18. cui, & nos ſubſcribimus, quibuſdam de more adnotatis.

Primò igitur notandum eſt, ex Ariſtotele in 1. Poſteriorum diffinitionem, quæ eſt medium demonſtrandi aliquam rem, dupliciter tradi poſſe, nempè à priori, & poſteriori, ſiuè per cauſas, & per effectus. Prior datur per genus, & differẽtiã, ſiuè formaliter, ſiuè çquiualẽter, & hæc eſt mediũ demõſtrãdi à priori ſcientiam de aliquo ſubiecto, vt cum dicitur

homo

homo eſt riſibilis, quia eſt animal rationale; ſiquidem animal, quod eſt genus, & rationale, quod eſt differentia demonſtrant hominem eſſe riſibilem, tamquam effectus per ſuas cauſas. Poſterior datur per paſſiones, vel per effectus ſubiecti ad habendam notitiam cauſæ de ſuo ſubiecto, vt cum dicitur homo eſt animal rationale, quia eſt animal riſibile, quandoquidem animal riſibile, quod eſt effectus animalis rationalis, ingerit notitiam à poſteriori, quod homo ſit animal rationale. Ex quibus infertur, quod cùm notitia hominis à priori, & à poſteriori habeatur per demonſtrationem à priori, & à poſteriori, & vtraque habeatur per diffinitionem, tamquam per medium demonſtrandi, & cauſandi ſcientiam de aliquo, dicendum eſt vtramque diffinitionem, ſiue à priori, ſiuè à poſteriori, ſeù per cauſas, & per effectus, eſſe rectè traditam ab Ariſtotele in libris Poſteriorum.

Secundò. Notandum eſt, ex eodem hic t. 8. & 9. caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem expenſas in concreto, poſſe deffiniri in abſtracto, ſic applicando verba Ariſtotelis, nimirum, caliditas eſt qualitas ſenſibilis, cuius virtute congregantur ea, quæ ſunt eiuſdem generis, ſeù eiuſdem rationis, & ea quæ ſunt alterius generis, vel rationis ſegregantur, vt cum aurum, commiſtum ſtamno, vel plumbo, per calorem congregatur in vnum, & ſegregatur ab aliorum maſſa ſtamni, vel plumbi, dicitur effici per virtutem caliditatis, vt ſecernitur à ſua contraria, nempè à frigiditate. Frigiditas, ex oppoſito, eſt qualitas ſenſibilis, cuius virtute congregantur, nedum ea, quæ ſunt eiuſdem generis, verùm etiam illa, quæ ſunt alterius rationis, vt patet in aquæ congelatione, quia virtute frigoris, ſimul adenſantur, non ſolùm partes ſimilares aquæ, ſed etiam paleæ, ligna, & lapides, quæ in eadem aqua exiſterant, cùm eius partibus vniuntur, & fiunt vna maſſa, ad differentiam caliditatis, quæ prius congregata, ſi fuerint alterius generis, adinuicem ſoluuntur, petendo vnumquoque proprium locum. Humiditas eſt qualitas ſenſibilis, virtute cuius humida difficilè figurantur proprio termino, & faciliter alieno, vt manifeſte apparet in aqua, vino, & ſimilibus corporibus fluidis, quæ ſi non detineantur aliquo in vaſi, facilè labuntur quouſque terminentur ab aliquo corpore figurato. Siccitas denique eſt qualitas ſenſibilis ex oppoſito, cuius virtute, corpora ſicca facile figurantur proprio termino, difficulter alieno, vt experimur in lapidibus, ferro, terra, & ſimilibus, in quibus experimur aliquam figuram, quam difficulter amouemus ab illis, alteram aptare tentando, propter duritiem, ex ſiccitate prouenientem, qua alienæ figuræ reſiſtunt. Ex quibus facile infertur, quod cum per tales aſſignationes tales qualitates innoteſcant nobis, differentibus effectibus præditæ, & ex eis manifeſtentur diuerſæ ſecundum propriam naturam, huiuſmodi aſſignationes eſſe veras diffinitiones à poſteriori; ſiquidem diffinitio eſt oratio indicatiua rei, vel à priori, vel à poſteriori, cùm ſit medium demonſtrationis, vel propter quid, vel quia, vt tradit Ariſtoteles in primo Poſter. cap. 10. & ſecundo Poſter. cap. 17. ac 7. Metaph. pluribus in locis, vbi expenduntur partes diffinitionum diuerſarum.

Tertio. Notandum ex eodem hic t. 8. & quarto Meteorolog. cap. 1. has quatuor qualitates dupliciter attendi poſſe, vno modo abſolute, & ſecundum propriam naturam, alio modo relatiuè, & in ordine ad miſtum. Si primo modo attendantur omnes ſunt actiuæ, & paſſiuæ, quia cùm ſint contrariæ agunt, & patiuntur ad propriam conſeruationem, vel deſtructionem, diffiniunturque à priori per proprias differentias nobis ignotas formaliter, aliqualiter tamen notas per ſuas affectiones, loco differentiarum, ſicque dicimus, caliditatem eſſe virtutem conſeruatiuam vitæ, frigiditatem, eiuſdem deſtructiuam; humiditatem, corruptiuam ſubſtantiæ, & ſiccitatem, illius conſeruatiuam. Si verò ſecundo modò ſpectentur, diuiduntur in duas claſſes, nempe in actiuas, & paſſiuas: caliditas enim, & frigiditas ſunt actiuæ; humiditas verò, & ſiccitas ſunt paſſiuæ in ordine ad generationem miſti. Illæ namque agunt, cùm copulent, & tranſmutent, & illa, quæ ſunt eiuſdem, & alterius generis: Illæ verò patiuntur, cùm ſint principia paſſiua, vt aliqua corpora facile terminentur proprio, difficilè verò alieno, vt ſiccitas, vel difficulter proprio, & facilè alieno, vt humiditas,

&

& omnes iſtæ diffiniuntur per effectus ſecundarios, quos ponunt in miſtis, qui ſunt congregare, & terminare, agere, & pati; ſiquidem dum congregant, agunt, cùm verò terminantur, patiuntur quodammodo miſta, illa per actiuas, & iſta per paſſiuas qualitates. Ex his inferendum eſt, diffinitiones harum quatuor qualitatum, traditas ab Ariſtotele in t. 8. & 9. non conuenire qualitatibus prædictis, ſecundum propriam naturam, & vt omnes actiuæ, ac paſſiuæ ſunt erga ſeipſas, quia ſic innoteſcunt nobis per ſuos effectus formales, nimirum per calefacere, & frigefacere, humectare, & exſiccare; verùm duntaxat, vt aliquæ ſunt actiuæ, & aliæ paſſiuæ in ordine ad generationem miſti: quandoquidem cùm actiuæ ſecundum proportionem, dominantur paſſiuis, de illis victoriam reportando, cum generatur miſtum, & conſeruatur in ſuo eſſe naturali: ſi verò paſſiuæ, reſiſtendo, non ſolùm reluctantur, verùm, & de actiuis victoriam referunt, tunc miſtum, vel citò corrumpitur, vel paulatim tendit ad corruptionem, inducendo diſpoſitiones corruptiuas; quare non eſt mirum ſi fuerint diffinitæ per ſuos effectus ſecundarios, conuenientes potiùs miſtis, quàm qualitatibus in ſeipſis attentis, ac conſideratis.

Ex his fit vnica Concluſio. Diffinitiones quatuor primarum qualitatum, ſiue in concreto, ſiue in abſtracto datæ ab Ariſtotele in hoc 2. lib. de Generatione, & Corruptione t. 8. & 9. ſunt bonæ, & validæ. Eſt contra Conimbricenſes, & Roccum citatos in prima ſententia. Probatur, quia omnis oratio, per quam oſtenditur quid eſt ipſum rei, ſiuè à priori, ſiuè à poſteriori, ſoluuntur dubitationes, quæ mouentur circa rem diffinitam, & redditur ratio earundem ſolutionum, eſt bona, & pulchra diffinitio ex Ariſtotele in 4. lib. Phyſic. t. 31. ſed aſſignationes traditæ ab Ariſtotele de quatuor primis qualitatibus hic in t. 8. & 9. ſunt huiuſmodi, ergo tales aſſignationes ſunt bonæ, & pulchræ diffinitiones. Maior patet. Minor probatur, quia per tales diffinitiones expenduntur à poſteriori, & per effectus ſecundarios naturæ illatum quatuor qualitatum, prout ordinantur ad generationem, & corruptionem miſtorum, vt patet in 2. & 3. Not. inſuper virtute earundem ſoluemus dubitationes, quæ mouentur ab alijs circa ipſas, reddendo rationes earum ſolutionum, vt in obiectionibus, Deo dante præſtabimus, ergo poſſumus concludere, tales aſſignationes eſſe bonas, & pulchras diffinitiones. Secundo probatur, quia diffinitiones à poſteriori, & per effectus ſunt bonæ, ſed diffinitiones quatuor qualitatum ſunt huiuſmodi, ergo ſunt bonæ, & validæ. Maior probatur, quia demonſtratio à poſteriori eſt bona ex Ariſtotele in primo lib. Poſter. cap. 10. ſed medium in tali demonſtratione eſt diffinitio rei per effectus, & à poſteriori, ergo etiam diffinitio à poſteriori debet eſſe bona. Minor eſt nota ex Notat. 2. & 3. Ex his facile dignoſci poterit æquiuocatio, qua vtuntur Auctores contrariæ ſententiæ, dùm negant has aſſignationes eſſe veras diffinitiones: nam ipſi loquuntur de diffinitionibus à priori, nos verò à poſteriori: Verùm cùm illi non videantur agnoſcere diffinitiones à poſteriori pro veris diffinitionibus, propterea dixerunt has aſſignationes non poſſe vocari diffinitiones, ſed ſolùm deſcriptiones.

Obijcitur primo contra noſtram concluſionem, quia omnis bona diffinitio, ſi eſt à priori, debet dari per cauſas; ſi verò à poſteriori per veros effectus rei diffinitæ, vt tradidit Ariſtoteles in libro Poſteriorum, ſed aſſignationes quatuor primarum qualitatum, neutro horum modorum dantur ab Ariſtotele in hoc 2. lib. t. 8. & 9. ergo tales aſſignationes non ſunt diffinitiones, ſed tantum deſcriptiones per accidentalia. Minor patet, quod non ſint per cauſas: Nec etiam per ſuos veros effectus, quia verus effectus caloris eſt calefacere, frigoris frigefacere, & non congregare: ſimiliter effectus humoris eſt humectare, & ſicci exſiccare, non verò terminari facile, vel difficulter termino proprio, vel alieno, ergo cum nec per veros effectus datæ ſint, nullatenus erunt diffinitiones.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicimus veram eſſe de qualitatibus primis, attentis, ſecundum earum propriam naturam; falſam autem ſi ſpectentur in ordinem ad generationem miſti, eiuſque alterationem, & corruptionem, quia ſic, cùm ſint principia agendi, & patiendi, debuerunt etiam diffiniri per congregare, quod eſt agere, & terminari, quod eſt pati, ac proinde per effectus ſecundarios ſecundum naturam, & primarios, vt ordinantur

ad miſti generationem,& corruptionem.

Obijcitur ſecundo contra diffinitionem caliditatis, nam illa diffinitio non eſt bona, quæ non euacuat naturam diffiniti, & competit alijs ab eo, ſed diffinitio caliditatis eſt huiuſmodi, ergo non eſt bona diffinitio. Maior patet ex conditionibus, requiſitis ad bonam diffinitionem, poſitis ab Ariſtotele 4. Phyſic. t. 31. & 7. Metaph. t. 43. & ſequentibus. Minor probatur quo ad primam partem, quia calor videtur congregare non ſolum ea, quæ ſunt eiuſdem, ſed etiam alterius generis, vt patet in cera, pice, ſtamno, plumbo, quæ ſi ſimul liqueſiant, ita vniuntur,vt non poſſint amplius ſeparari:ſimiliter in coagulatione lactis per calorem ſimul copulantur pili, fila lanea, & ſimilia, ergo calori non congruit ſegregare diſſimilia, vt dicitur in diffinitione, verum omnia congregat ſicut frigus. Probatur eadem minor quoad ſecundam partem, quia congregare ea, quæ ſunt eiuſdem generis, eſt potiùs effectus humidi,quàm caloris, nam aurum, niſi priùs liqueſcat, nequit congregari ſeparatum à lapidibus, ſtamno, & plumbo cum quibus erat coniunctum, ſed liqueſcere eſt potius ſegregare partes,quam congregare, & hoc eſt prius effectus humidi, quàm caloris, ergo potius humori, quam calori attribuenda eſt congregatio ſimilium, quam ſegregatio eorum à diſſimilibus.

Reſpondetur negando minorem. Ad minorem,& eius probationes, omiſſis aliorum reſponſionibus, quæ videri poſſunt apud Maſtrium, dicendum virtute caloris congregari quidem ad inuicem ceram, picem, ſtamnum, & alia, quæ liqueſcunt prius, antequam vniantur,ſed negamus talia eſſe diſſimilia,& etherogenea,quandoquidem cùm aſſimilentur in fluxibilitate,& liquabilitate, quàmuis ſint diuerſarum naturarum, tamen vi caloris habent congregari, ac ſi forent penitùs ſimilia, & homogenea. Ad illud de lacte dicendum, lac non congregari ſolùm vi caloris, ſed etiam ratione craſſitiei, & viſcoſitatis, quæ, cùm propter lentorem, & craſſitiem detineat ſecum pilos, & fila, tàm lanea, quàm linea, impedit, ne virtute caloris poſſit fieri ſeparatio; quare ſi in tali actione fiat ſolùm congregatio, & non ſeparatio, hoc non eueniet ex defectu caloris per ſe, ſed ſolùm peraccidens, ratione craſſitiei,& viſcoſitatis, quæ coniunguntur lacti. Ad ſecundam probationem,maiorem eſſe veram per accidens, quandoquidem, vt inquit Ariſtoteles 3. lib. de Cœlo, t. 74. ſicut congregare conuenit per ſe igni, & ſegregare per accidens, ſic calori conueniet per ſe congregare, & ſegregare, humido verò tantum per accidens: non enim calor poterit congregare homogenea,& ſeparare etherogenea, niſi prius fiat per humiditatem diſſolutio; ſiquidem vnum ſequitur ad aliud.

Obijcitur tertio contra diffinitionem frigiditatis, nàm frigore multa ſegregantur, ſiue ſint eiuſdem generis,ſiue alterius, ergo congregare duntaxat homogenea, & etherogenea non conuenit frigori, vt dicitur in eius diffinitione. Antecedens probatur,quia hyemis tempore, in quo vigent frigora intenſa vaſa plena aqua, ſi perfectè claudantur, diſrumpuntur, ſaxa franguntur; membra diſſoluuntur; lacrymæ ab oculis exprimuntur, & alia permulta, quæ congregata conſiſtere deberent, vi frigoris ſeparantur, vt experientia comprobari poteſt, ergo frigus, non ſolùm eſt cauſa congregationis in ijs, quæ ſunt promiſcui generis, ſed etiam ſegregationis.

Reſpondetur antecedens, & eius probationem habere veritatem per accidens, & non per ſe: Nàm vaſa clauſa perfectiſſime, ob condenſationem aquæ,nè detur vacuum naturaliter,frigore ſcinduntur,vt aer ingredi poſſit: Saxa pariter glutino connexa,dùm nequeunt ad ſeinuicem, præ nimio frigore, attrahi,ſcinduntur,& elongantur. Membra pariter diſſoluuntur, quoniam calor, & ſpiritus naturales,frigore coacti,reſtringuntur ad interiores partes, & membra exteriora ſic viribus deſtituta ad ima tendunt, ac labaſcunt; lacrymæ verò ab oculis erumpere conantur ob compreſsionem humorum craſsiorum, vi frigoris factam. Ex quibus manifeſtè deducitur, munus frigoris per ſe tendere ad congregationem ſimilium, & diſsimilium, quamuis peraccidens interdum conſequantur inter congregata, etiam ſegregationes,& diſſolutiones,ſicut euenire ſolet nonnumquam calori, vt etiam ſimilia congregata diſſoluat, & diſsimilia ſeparata congregationi, & vnioni adigat peraccidens,& non perſe.

Obijcitur quarto contra diffinitiones humi-

miditatis, & ſiccitatis, ſiquidem ignis non eſt humidus,& tamen facilè alieno termino, & difficulter proprio terminatur: ſimiliter terra eſt ſicca,& nihilominus, ſi penitus deſtruatur humido, reducitur in puluerem, ac alieno termino facile, & proprio difficile terminari poteſt, ſed hæc omnia ſunt contra diffinitiones humidi, & Sicci, ergo tales diffinitiones non ſunt bonæ,verùm defectibiles,& vitioſæ.

Reſpondetur negando conſequentiam. Nec probationes in contrarium multum vrgent, vt cogamur à veritate concluſionis diſcedere. Vndè ad primam de igne,concedimus quidem illum non eſſe humidum, ſed ſiccum; nec propterea, quia facile conquieſcit alieno termino, & difficulter proprio debet dici humidus, vel humidum non rectè diffiniri,quandoquidem tales affectiones non habet ignis ab intrinſeco, & per ſe, ſed ab extrinſeco, & quaſi coactè, ratione cōtinētis vbi introducitur, vnde id,quod ſic terminatur alieno termino, quamuis facile cohibeatur, non propterea ſapit naturam humidi, cùm non habeat, vndè ſic queat facilè terminari ex ſua natura, ſed per accidens ratione fornacis, vel alterius continentis. Neque per hoc, quod facilè terminetur alieno termino debet excludi à natura ſicci, cùm huiuſmodi terminabilitas non inſit igni ex ſui natura, quinimò ſequendo propriam naturam ſemper tendit ad ſuperiores partes continentis, illas circulando, vt aditum ſibi aperiat ad exitum, quem ſi habere interdicitur, potiùs extinguitur, quàm ſic terminatus permanere cogatur. Ad ſecundam de terra, dicimus quidem ſi in puluerem reducatur fore terminabilem facilè alieno termino; neque exindè amiſſuram ſiccitatis naturam; quia illam facilem terminabilitatem habebit peraccidens ratione corpuſculorum pulueris, ad quæ reduci contigerit, quæ ſi in vnum cumulum redigantur, facilè accommodantur alieno termino, cùm ſibi acquiranr conditionem fluxibilem: cæterùm ſi poſſent à ſe inuicem ſeparari, & propriam habere conſiſtentiam non alieno, ſed proprio termino eſſent terminabilia iuxtà exigentiam ſiccitatis.

Obijcitur quinto nàm contrariarum cauſarum contrarij debent eſſe effectus, ergo cum actio terminandi ſit propria humiditatis, non poterit eſſe propria ſiccitatis, quæ eſt ſibi contraria.

Reſpondetur,humiditatem,& ſiccitatem conuenire in ratione terminandi genericè, differre verò per rationem terminandi proprio,vel alieno termino facilè, vel difficilè, vt patet in ſuis diffinitionibus, quæ cùm dentur per ſuos effectus, & iſti ſint oppoſiti diſparatè, ſequitur, diuerſarùm cauſarum non eſſe eundem effectum in ſpecie, verùm in genere duntaxat,diuerſos verò in ſpecie, per quos conſtituuntur diuerſæ diffinitiones in ſpecie, ac proindè diuerſæ qualitates ſpecie per illas à poſteriori demonſtrantur.

Vtrum quatuor qualitates tangibiles inſint quatuor elementis, & in quo gradu?

QVÆSTIO IV.

Singulis Elementis duas ex quatuor qualitatibus primis tangibilibus ineſſe, & conuenire, iam adnotauimus, & aliqualiter probauimus in Meteorologicis lib. 1. Diſp. 1. qu. 4. vnam in ſummo, & alteram in remiſſo,& potiſsimum de aere: verùm quia, & in hoc, vt & in cæteris non paruum diſſidium reperitur inter Doctores, propterea earundem difficultatem recenſentes, illam de omnibus elementis denuò exagitare tentabimus, præmittendo aliorum opiniones, quarum.

Prima eſt Auguſtiſsimi Sueſſani 2. lib. de Gener. com. 23. Achillini lib. 3. de Elementis, Mercenarij hic, Peramati lib. de Elem. cap. 8. aſſerentium, ſingulum elementum potiri duabus qualitatibus, ex primis tangibilibus, iiſdem que in ſummo gradu,quibus fauere videtur etiam Galenus lib. 1. de Natura,& lib. 1. de Elem. cap. 6.

Secunda verò huic oppoſita tribuit vnicuique elemento duas qualitates quidem, ſed vnam in ſummo, & alteram citra ſummum, in excellenti tamen gradu, hoc eſt ſupra quartum.Ita Recentiores communiter, ſequuti Auerroem, Alexandrum, Auicennam, Philopponum, Albertum Magnum,& alterum Albertum de Saxonia, ac Ammonium,& alios.

Tertia autem,quaſi media inter alias, ſuſtinet, Elementis extremis conuenire benè duas qualitates in ſummo, medijs verò

vnam

vnam in ſummo, & alteram in excellenti gradu: Sic Zabarella lib. 2. de primis qualit. cap. 1. Auerſa, & Alij quos refert Maſtrius hic q. 6.

Quarta denique eſt D. Thomæ in hoc 2. lib. lect. 3. tribuentis Elemento ignis duas qualitates in ſummo, nempe caliditatem, & ſiccitatem: aeri verò caliditatem, & humiditatem infra ſummum, aquæ autem, & terræ vnam in ſummo, & alteram infra ſummum.

Quid autem ſit nobis dicendum, in tanta varietate opinionum, haud facile non eſſet diuinari, niſi reſpectum haberemus ad ea, quæ ſcripſimus in proxime citatis locis lib. 1. Meteorolog. Diſp. 1. q. 4. & lib. 3. de Cœlo, & Mundo Diſp. vn. q. 2. & 3. ſiquidem ibidem ſequendo doctrinam Scoti in 1. Meteorolog. q. 4. & in 2. Sent. d. 17. q. 2. B. & in 4. d. 47. q. 2. vbi agit de elemento ignis, ſuſtinuimus dari quatuor Elementa, & vnumquodque habere duas qualitates, ex quatuor primis tangibilibus, vnam in ſummo, & alteram in remiſſo, à qua ſententia etiam in præſenti, non debemus diſcedere, ne videamur minus nobis conſtare, aut à Magiſtro velle deflectere. Pro cuius tamen maiori dillucidatione, ac fundamento.

Primo Notandum eſt, vt aliàs collegimus ex Scoto in 1. d. 17. q. 3. Vu. §. Contra iſtam opinionem, &c. & in 2. d. 15. q. vn. & in 4. d. 44. q. 3. F. in qualitatibus dari latitudinem gradualem, quæ communiter ſolet expendi per eſſe intenſum, & eſſe remiſſum. Eſſe intenſum clauditur octo gradibus, habito reſpectu ad actionem agentis naturalis, & ad capicitatem ſubiecti, in quo recipitur, & hoc eſſe vocatur à Doctoribus ſummum ad quod pertingere poteſt actio agentis naturalis, vt ſummus calor, vel ſummum frigus, quod eſſe conſideratum in vltimo gradu, quamuis conſiſtat in indiuiſibili, quia non poteſt amplius augeri ab agente naturali, alioquin non eſſet ſummum, tamen infra latitudinem graduum habet ſuos limites vſque ad medietatem, ita quod ab octauo gradu vſque ad quartum dici poſſit magis, vel minus intenſum. Eſſe verò remiſſum extenditur à quarto gradu vſque ad infimum, in quo contineatur ratio formalis qualitatis, & in tali latitudine pariter datur magis, vel minus in remiſſione. Ex his facilè deprehendi poteſt titulus quæſtionis: An nimirum in quouis Elemento ſit admittenda vna qualitas tantum ſecundum eſſe intenſum in ſummo, vel infra ſummum; aut plures ſecundum eſſe intenſum; vel plures, vna in ſummo, & altera in remiſſo iuxtà latitudinem intenſionis, & remiſſionis.

Secundo Notandum ex Ariſtotele hic t. 16. & 23. Elementa dupliciter attendi poſſe, & quatenus ſunt partes Vniuerſi, ſpectantes ad eius perfectionem & ornatum; & prout ſunt adinuicem tranſmutabilia. Quouis modo ſpectentur exigunt duas ex quatuor primis qualitatibus tangibilibus, diſpoſitas in quatuor coniugationibus, nimirum in caliditate cum ſiccitate: in caliditate cum humiditate, in humiditate cum frigiditate, & in frigiditate cum ſiccitate, & harum coniugationum quælibet diſponit ad generationem vnius Elementi, nàm caliditas, & ſiccitas diſponunt ad generationem ignis, qui eſt calidus, & ſiccus, caliditas, & humiditas ad generationem aeris, qui eſt calidus, & humidus: humiditas, & frigiditas ad generationem aquæ, quæ eſt frigida, & humida, & frigiditas, ac ſiccitas ad generationem terræ, quæ eſt frigida, & ſicca. Harum autem qualitatum diſpoſitio eſt de neceſſitate requiſita ad elementa vtroque modo conſiderata. Nàm ſi attendantur, vt ſunt partes Vniuerſi cùm taliter ordinantur, vt vnum locetur in alio, indigent vna qualitate communi, per quam locans, & locatum conſeruari valeant; ignis nanque, quia locat aerem communicat ſibi caliditatem, aer autem quia locat aquam communicat ſibi humiditatem: & aqua quoniam locat terram, communicat ei frigiditatem. Si verò attendantur, quatenus ſunt adinuicem tranſmutabilia, quia omnis tranſmutatio fit ratione contrarij, egent altera qualitate contraria quandoquidem ignis, vt tranſmutetur in aerem & aquam, quia ſunt elementa humida, eget ſiccitate contraria: aer ſi habet tranſmutari in aquam, retenta humiditate communi ipſi aquæ, eget caliditate, vt pugnet, & vincatur à frigiditate aquæ contraria, aqua verò ſi habet tranſmutari in terram, retenta frigiditate ſibi communi, eget humiditate, vt pugnare poſſit, & vinci à ſiccitate contraria, terra denique ſi debet tranſmutari in ignem, retenta ſiccitate ambobus communi, eget frigiditate, vt pugnet, & vincatur à caliditate ſibi infenſa, & contraria. Ex quibus infertur primo neceſſitas duarum qualitatum compoſ-

poſſibilium in quolibet elemento, quouis modo ſpectetur, ſiuè vt pars Vniuerſi, ſiuè vt tranſmutabile in alterum. Secundo quod qualitas vnius elementi communicabilis alteri, in eo, quod communicat ſit in ſummo: in eo verò cui communicatur, ſit infra ſummum, vel in remiſſo. Tertio quod ignis ſit calidus in ſummo, & aer in remiſſo: aer humidus in ſummo, & aqua in remiſſo: aqua frigida in ſummo, & terra in remiſſo; & demũ terra ſicca in sũmo, & ignis in remiſſo.

Ex his ſit prima concluſio. Quatuor Elementa, ſiue ſpectentur, vt ſunt partes integrales Vniuerſi; ſiuè vt ſunt tranſmutabilia in ſeinuicem, & in generationem miſti, egent pro vnoquoque duabus ex quatuor qualitatibus primis tangibilibus. Eſt Ariſtotelis hic t. 16. & t. 23. Probatur, quia ignis eſt calidus, & ſiccus: aer calidus, & humidus: aqua humida, & frigida: terra frigida, & ſicca, ergo quodlibet Elementum, quouis ſpectetur modo, eget neceſſario duabus qualitatibus ſibi proprijs. Antecedens patet ex auctoritate Ariſtotelis in locis nuperrimè citatis, ex experientia, & probatur quo ad ſingulas partes in ſequentibus concluſionibus. Conſequentia probatur quia quilibet effectus formalis eget ſua cauſa formali, ſed caliditas eſt cauſa formalis calidi, frigiditas frigidi, humiditas humidi, & ſiccitas ſicci, ergo vbicumque fuerint tales effectus formales, inibi debent eſſe cauſæ, ſiquidem, cauſæ, & effectus, ſimul ſunt, & non ſunt ex Ariſtotele ſecundo Phyſicorum t. 37. quod potiſsimùm verificatur de cauſa formali; & eius effectu, ac proindè conſequitur, quod ſi ignis eſt calidus, & ſiccus in eodem ſit caliditas, & ſiccitas: ſi aer eſt calidus, & humidus, in ipſo ſit humiditas, & caliditas: ſi aqua ſit humida, & frigida, in illa ſit humiditas, & frigiditas: ac demùm ſi terra ſit frigida, & ſicca, in ea pariter ſit frigiditas, & ſiccitas.

Secunda Concluſio. Ignis habet caliditatem in ſummo, & ſiccitatem in remiſſo. Colligitur ex Ariſtotele hic in t. 23. contra Doctores relatos in prima ſententia. Probatur prima pars, quia nullum corpus ſublunare eſt ita actuoſum in calefaciendo ſicut ignis, vt experientia quotidiè comprobari poteſt: tùm etiam, quia reliqua tria elementa caleſiunt ab externo agente, vel ab igne, vel à Sole, quibus amotis, redeunt ad priſtinum ſtatum, ergo ſignum eſt, quod non habent ſummum calorem, ſed aliquid frigoris ſibi admiſtum in ſui conditione experiunt: tùm etiam quia ſummus calor eſt omnium quatuor primarum qualitatum perfectiſſima qualitas ex Ariſtotele lib. 4. Meteorolog. cap. 1. ergo debetur perfectiſſimo ſubiecto, quale eſt elementum ignis, vt oſtendimus lib. 3. de Cœlo, & Mundo Diſp. vn. qu. 4. ex Ariſtotele loco citato; & 2. Metaph. t. 4. vbi vocat ignem calidiſſimum, ergo ex his concludendum eſt, igni deberi caliditatem in ſummo. Secunda pars probatur, quia experientia comprobatur ignem extingui ab aqua ſibi infenſa ratione humiditatis, & frigiditatis; ſed non extinguitur ex cauſa frigiditatis, cum caleſiat ab igne, ergo ratione humiditatis exuperantis eius ſiccitatem, ac proinde ſiccitas ignis non eſt ſumma, ſed remiſſa. Secundo probatur, quia ſiccitas ſibi competit ratione vicinitatis motus circularis Cœli, ſicut caliditas communicatur aeri ratione vicinitatis *ignis*, & non ex propria forma, ergo ſicut caliditas cõpetit aeri in gradu remiſſo, ita ſiccitas ob eandẽ cauſam debet in eſſe remiſſo conuenire igni.

Tertia Concluſio. Aeri conuenit humiditas in ſummo, caliditas verò in remiſſo. Eſt eiuſdem Ariſtotelis hic t. 16. & 23. Probatur prima pars, tùm quia, id quod conuenit alicui ex propria natura, conuenit in ſummo: agens namque naturale non impeditum, agit toto conatu, & vt ſibi poſſibile eſt, quod idem eſt, ac in ſummo, ſed humiditas conuenit aeri ex propria natura, humidum enim eſt facilè terminabile termino alieno, & difficulter proprio, ſic enim eſt aer, qui faciliter includitur in aliquo vaſi, & difficulter retinetur, quin vndique fluat: tùm etiam, quia humiditas competere debet in ſummo alicui ex Elementis, ſed non competit igni, & terræ, cùm ſint elementa ſicca, & per conſequens contraria, nec aquæ, quia non eſt ita fluida, ſicut aer, qui vbique ſe inſinuat, non item aqua, ergo ſupereſt, vt à ſufficienti inductione, competat aeri in ſummo humiditas. Secunda pars probatur, tùm quia caliditas competit aeri ratione ignis locantis, & ex conſequenti ab extrinſeco, & non ex propria natura: tùm etiam, quia aer aliquando eſt frigidus, vt patet tempore hyemis, quinimò aer in media regione eſt perpetuò frigidus, vt aliàs oſtendimus, ergo ſignum eſt, quod non habeat caliditatem ita in-

intenſam in ſummo, alioquin non poſſet interdum deſtitui, multò minus perpetuò, ſed eſſet ſemper calidus, vt ignis, ergo reſtat vt ſolùm habeat caliditatem in remiſſo.

Quarta Concluſio. Frigiditas competit aquæ in ſummo, & humiditas in remiſſo. Eſt eiuſdem Ariſtotelis ibidem. Probatur, quia aqua ſecundum ſe totam contrariatur igni ratione qualitatum, quas poſſidet, ergo ſicut ex cauſa frigiditatis contrariatur calori ignis, qui eſt ſummus, & frigiditas eius debet eſſe ſumma; & ſicut ratione humiditatis contrariatur ſiccitati ignis, quæ ineſt ei in gradu remiſſo, ſic etiam, & humiditas debet ineſſe aquæ in gradu remiſſo. Conſequentia tenet, quia ſicut ſe habet magis ad magis, ita maximum ad maximum, & conuersò, ergo ſicut maximo calori contratiatur maximum frigus, ita remiſſæ ſiccitati, debet contrariari remiſſa humiditas. Secundo probatur, quia nulla eadem qualitas conſequi poteſt naturaliter duas formas diſparatas, alioquin idem poſſet fieri ex quolibet contra Ariſtotelem in primo Phyſicorum t. 43. ſed forma aeris, & forma aquæ ſunt duæ formæ diſparatæ, ſicut ſunt elementa aeris, & aquæ, & humiditas conſequitur naturaliter, & in ſummo formam aeris, ergo nequit conſequi naturaliter, & in ſummo formam aquæ. Minor eſt Ariſtotelis hic t. 16. & t. 23. & remanet probata ex præcedenti concluſione.

Quinta Concluſio. Siccitas in ſummo gradu conuenit terræ, frigiditas verò in remiſſo. Eſt Ariſtotelis hic t. 23. Probatur primo quia vnicuique elemento conuenit vna ex quatuor primis qualitatibus in ſummo, & vna in remiſſo, ſed igni conuenit caliditas in ſummo, & ſiccitas in remiſſo; aeri humiditas in ſummo, & caliditas in remiſſo: aquæ frigiditas in ſummo, & humiditas in remiſſo, vt hactenus probatum eſt in præcedentibus concluſionibus, ergo ſupereſt, vt ſiccitas conueniat terræ in ſummo, & frigiditas in remiſſo. Conſequentia tenet, quia vna, & eadem qualitas in ſummo nequit conuenire duabus formis diſparatis, ſed frigiditas in ſummo conuenit aquæ, ergo nequit conuenire terræ, quæ ſunt diſparata: ſimiliter ſiccitas conuenit igni in remiſso, ergo ſi aliquo pacto competit terræ, debet illi competere in ſummo. Secundo probatur ex diffinitionibus ſiccitatis, & frigiditatis, terra enim præ omnibus Elementis habet propriam circumſcriptionem, quam tenaciter ſeruat, & alienam reſpuit. Deinde Geneſis cap. 1. terra vocatur arida ob excedentem ſiccitatem, vt explicant D. Baſilius in Examer. hom. 4. & D. Ambroſ. lib. 1. Exam. cap. 4. ergo cum ſiccitas in ſummo conueniat terræ, ſupereſt, vt frigiditas ſibi competat in remiſso. Conſequentia tenet, ex qua remanent confutatæ illorum opiniones, qui dicebant, duas qualitates diſparatas poſse conuenire in ſummo alicui, vel ſingulis elementis, nàm ſicut repugnat vnam, & eandem qualitàtem poſse conſequi duas formas diſparatas, ità implicat, vnam, & eandem formam habere eſse diſpoſitiuè à duabus formis diſpatatis in ſummo, ſiquidem in ſui actione, vna impediret aliam, ac proindè neutra daret illi eſse ſummum, cuius oppoſitum ſupponendum eſt, ſi ambæ forent intenſæ, in ſummo gradu.

Obijcitur primo contra primam concluſionem, nam illæ qualitates conuenire debent elementis, à quibus ſingula elementa habent eſse ex Ariſtotele t. 6. huius 2. lib. ſed elementa ſingula habent eſse tantùm ab vna qualitate, ergo ſingulo elemento debet conuenire tantum vna qualitas. Minor probatur ex eodem Ariſtotele in eodem t. 6. vbi inquit. *Quapropter primum quidem potentia corpus ſenſibile principium eſt; ſecundum autem contrarietates: dico autem, vt caliditas, & frigiditas*, hoc eſt dictu, materia prima eſt primum principium Elementorum, ſecundum verò qualitates contrariæ, ſed in ſingulo Elemento eſt tantum vna qualitas contraria, vt in igne caliditas, in aqua frigiditas, in aere humiditas, & in terra ſiccitas, ergo ponere duas in quolibet Elemento ſuperuacaneum erit.

Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicimus contrarietates eſse quidem principium formale elementorum, non quod qualitates, à quibus originatur diſpoſitiuè vnumquodque elementum, ſint contrariæ adinuicem in eodem elemento, verùm quod vnaquæque habeat ſuam contrarietatem in alijs elementis, in quibus reſidentiam habent aliæ qualitates, contrariæ: in igne enim ſunt caliditas, & ſiccitas, ratione prioris, ignis contrariatur aquæ, & terræ, in quibus reſidet frigiditas ſibi contraria: ratione verò poſterioris contrariatur

aeri,

aeri,& aquæ in quibus adeſt humiditas contraria ſiccitati, & ſic diſcurrendum eſt de cæteris: ex quibus manifeſtè patet, quod vnumquodque elementum dicitur principiari ex contrarietatibus in ordine ad ſeinuicem comparatis,non tamen,vt dicunt ordinem ad idem ſubiectum, quia ſic ſunt qualitates diſparatæ, non autem contrariæ.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam conclusionem, quia duæ qualitates contrariæ nequeunt conſiſtere in eodem ſubiecto naturaliter,ſed ignis eſt naturaliter prædìtus humiditate,ergo illi nequit conuenire ſiccitas, quæ eſt eius contraria. Maior patet ex diffinitione contrariorum. Minor probatur, tùm quia igni conuenit diffinitio humidi, cùm difficilè termino proprio cohibeatur,& facilè alieno: tùm etiam quia ſi ſuper flammam ponatur manus, retrahitur calefacta, & humecta, non autem ſicca, ergo ſignum eſt ignem eſſe præditum humiditate, & caliditate,non verò ſiccitate.

Reſpondetur negando minorem. Ad primam probationem, dicimus diffinitionem humidi poſſe competere igni peraccidens, & ab extrinſeco, non autem per ſe, & ab intrinſeco, vt ſuperius diximus, quare non eſt inferendum eſſe natura ſua humiditate præditum. Ad ſecundam pariter reſpondendum eſt,flammam per ſe eſſe ſpiritum ignis, & ſic innotuit tantum caliditatem ſummam,vel propinquiorem ſummæ;per accidens verò ratione corporis humidi, quod inflammari contingit, vt ſunt vapores aer, & fumus, poſſe in ſe continere humiditatem, & humectare; ſiquidem Flamma, ex Ariſtotele in hoc 2. lib. t. 28. eſt fumus ardens,vel eſt ardor ſicci ſpiritus,ideſt exhalationis ex eodem lib. 1. Meteorologicorum ſum. 2. cap. 1. quare non eſt mirum, ſi manus poſita ſuper flamma, peraccidens affecta humiditate,retrahatur,non ſolum calefacta, verum etiam humectata: modo nos dicimus,ignem perſe,& in ſua puritate conſideratum,eſſe ſolum calidum, & ſiccum, ac nullatenus humidum.

Obijcitur tertio contra tertiam concluſionem, nàm aqua eſt humidior aere, ſiquidem Ariſtoteles lib. 4. Meteorologicorum Sum. 2. cap. 1. inquit: *Dicuntur autem elementorum proprijſſimè, ſiccum quidem terra, humidum autem aqua*, ergo humiditas in ſummo nequit conuenire aeri, ſed potius aquæ.

Reſpondetur negando conſequentiam: Neque enim auctoritas Ariſtotelis vrget multum, ſiquidem vocat ibidem aquam proprijſſime elementum humidum ab effectu, quia nimirum conſiſtens in materia denſiori, quàm ſit aer, fortiùs humectat, quàm aer,non autem à cauſa,quaſi humiditas aquæ eſſet præſtantior humiditate aeris, quia ſic aer eſt elementum proprijſſimè humidum, cùm ex propria natura ſibi conueniat ratio humidi,non autem aquæ, vt probatum eſt in concluſione tertia quare Auerroes ad t. 48. huius libri ſecundo de Generatione dixit aerem humidiorem eſſe aqua, ſed aquam potentiorem eſſe aere in humectando ratione denſioris, & conſiſtentioris materiæ;qua caret aer. Neque valet dicere, aerem ſuo afflatu terram exſiccare, & econtra tempore pluuiæ ipſam humectari à pluuia, quaſi humiditas aeris intendatur ab humiditate aquæ, ſed intantum dicitur exſiccare terram, in quantum ſuo calore rareficit terram humidam, adeout partes humidæ reſoluantur in vapores, & ita emanat ſiccitas in terra,cum ſit expedita à contraria humiditate; veluti qualitas ſibi ab intrinſeco conueniens: & tempore pluuiæ pro eo magis dicitur humectari ab aere, non quia eius humiditas aliquid accreſcat ab humiditate pluuiæ, verum quia remouendo ab aere ſiccitatem extrinſecam, per accidens, finit in ipſo dimanare humiditatem ſibi propriam, quæ prius ab extrinſeco videbatur impedita.

Obijcitur quarto probando aerem non eſſe calidum,ſed frigidum: tùm quia amotis impedimentis aer, de calido redit ad frigiditatem,ergo ſignum eſt,frigiditatem eſſe ſibi connaturalem. Conſequentia patet, quia id eſt naturale alicui, quod amotis impedimentis in idem redit ſuapte natura. Antecedens patet experientia, quia aer noctu æſtiuo tempore per abſceſſum ſolis reſrigeſcit:tùm quia aer in media regione eſt frigidiſſimus, vt aliàs probauimus cum Ariſtotele,& Scoto lib. 1. Meteorologicorum qu. 4. tum etiam quia oleū eſt naturæ aereæ, & tamen eſt frigidiſſimum, cum in hyeme facilè in craſſitiem vertitur: tùm denique, quia aere circa facies noſtras, flabello ventilato, refrigerium accipimus, ergò ex omnibus iſtis modis concludere debemus, aerem

Digitized by Google

eſſe frigidum, & non calidum, nec caliditate remiſſa.

Reſpondetur negando vltimam conſequentiam. Neque rationes cogunt, vt recedere debeamus à ſententia Ariſtotelis; vnde ad primam neganda eſt conſequentia, quia talis reditus in aere non eſt ex natura eius, ſed per accidens, nimirum ex reditu vaporum, & corporum frigidorum, quæ ob præſentiam Solis iam antea inardeſcebant, & ipſo abſente repetunt natiuam frigiditatem, quam poſtea communicant etiam aeri, ex eorum conſortio cum ipſo, quare nequit dici frigidus per ſe, & ex propria natura, ſed ſolum per accidens. Ad ſecundam iàm alias reſpondimus, & in hoc opere, & lib. 1. Meteorologic.. Diſp. 1. qu. 5. vbi oſtendimus quare aer in media regione, ſuapte natura calidus, dicatur, & exiſtat frigidus, immo perpetuò frigidiſſimus, nimirum per antiperiſtaſim, & quomodo. Ad tertiam reſpondet Ariſtoteles lib. 4. Meteorologic. ſumma 2. cap. 3. oleum incraſſari à calido; & à frigido, licet diuerſimodè. A frigido quidem per ſe, quatenus operando in ſpiritum in oleo exiſtentem, condenſatur, & in aquam conuertitur, quæ ſibi admiſta oleum reddit craſſius: A calido verò per accidens; quatenus calidum extrinſecum, agens in oleum, facit euaporare eius calidum internum, vnde portiones aereæ intrinſecæ olei, à calido deſtitutæ, refrigerantur; Vnde infert Cremoninus ibidem, congelari oleum à frigore, eſſe ſignum impuritatis ipſius, ſiquidem congelatio accidere nequit, niſi propter multam aquam ſibi admiſtam; ex quo infertur, oleum eſſe calidum ſuapte natura, & ſolùm frigidum per accidens, ratione aquæ ſibi admiſtæ, cui ex natura propria conuenit frigiditas. Ad quartam dicimus, ſicut aliàs reſpondimus in Meteorologicis loco citato qu. 4. ad vltimam obiectionem animalia refrigerari ex aeris ratione tantum per accidens, vel ratione corpuſculorum frigidorum, cum quibus eſt commiſtus aer, vel ratione vaporis aquei, vi caloris Solis in aerem eleuati, in eodemque diſperſi, qui, cum moueatur ad motionem aeris adhærentis animalibus, eiſdem ſuam natiuam frigiditatem impertiendo, illa per accidens refrigerat, non autem per ſe, quandoquidem cum ſit ex ſua natura calidus, potiùs calefaciet, quàm refrigerabit.

Obijcitur quinto contra quartam concluſionem probando, terram, & non aquam, eſſe maximè frigidam, nàm terra maximè diſtat à Cœlo, cui ineſt fontana caloris, & à quo exulat omnis frigiditas, ergo ſicut Cœlum, ea de cauſa, dicitur maxime calidum, ita per oppoſitum, terra dici debet maximè frigida: Deinde terra, & ignis ſunt penitùs oppoſita contraria ratione ſuarum qualitatum, ſed ignis, ratione ſummi caloris dicitur leuiſſimus, vt docet Ariſtoteles 2. lib. de Cœlo cap. 7. quia leuitas oritur ex calore, ergo terra, ratione ſummi frigoris erit grauiſſima, cum grauitas oriatur à frigore. Denique aqua in ſuo naturali ſtatu non eſt congelata, vt eſt manifeſtum apud omnes, cum ſit elementum fluidum, ergo non eſt ſummè frigida: Conſequentia tenet, quia congelatio, ex Ariſtotele hic t. 21. eſt ſuperabundantia frigiditatis, ſicut exarſio caliditatis, ergo ſumma frigiditas, non aquæ, verùm potiùs terræ conuenict.

Reſpondetur negando conſequentiam. Neque probationes admodum faceſſunt, vrgentuè: Nam ad primam neganda eſt conſequentia, quandoquidem maximus calor, vel ſummum frigus in ſublunaribus non oriuntur à maiori præſentia, vel diſtantia Cęlorum, ſed à formis ſubſtantialibus Elementorum, iuxta earundem maiorem, vel minorem perfectionem; quare cùm caliditas, inter qualitates actiuas, ſit perfectiſſima, debet ortum dicere à forma perfectiſſima, qualis eſt forma ignis: & cum frigiditas ſit qualitas actiua, ſubſequens caliditatem in perfectione, & illa debet oriri à forma perfectiori excludente omnem caliditatem contrariam, qualis eſt forma aquæ, & non terræ. Ad ſecundam negandum eſt antecedens, quinimò ignis, & aqua, & non terra, & ignis penitùs aduerſantur ſecundum ſuas qualitates; ignis enim eſt calidus, & ſiccus, & aqua eſt frigida, & humida: terra vero frigida, & ſicca, vnde terra, & ignis in aliquo conueniunt, at ignis, & aqua in ambobus diſconueniunt. Neque valet paritas de grauitate, & leuitate ſumma, ſiquidem hæ non videntur cauſari à calore, vel frigore ſummis, ſed potiùs, vt docet Ariſtoteles in 4. lib. de Cęlo, ab eminentia, & ſubſidentia locorum, quare non licet inferri, ignem dici leuiſſimum ratione ſummi caloris, & terram

dici grauiſſimam ex cauſa ſummi frigoris, quia ſicut ignis vocatur leuiſſimus, quia omnibus ſupereminet, ita terra debet appellari grauiſſima, quia omnibus ſubſidet. Ad tertiam dicimus, aquam ſi in ſua puritate cōſiſteret; fore congelatam, cùm ſit frigidiſſima, & exuberantia frigiditatis eſt cauſa congelationis, vt dicit Ariſtoteles in t. 21. citato: verum ſi aqua inueniatur, vt exiſtit apud nos immiſta, quibuſdam vaporibus frigidis, & exhalationibus terreſtribus, ac peraccidens aliquantulum calidis, nequit conglaciari, niſi per antiperiſtaſim, vt patet in grandine, quia contra eius naturalem frigiditatem, repugnant vapores terreſtreitatibus admiſti frigidis in remiſſo, & ſiccis in excellenti, ex quibus reſultat quoddam miſtum temperatum impediens congelationem: Ex quibus infertur, frigiditatem in ſummo conuenire quidem aquæ puriſſimæ, non autem aquæ vaporibus terreſtribus commiſtæ; ſiquidem cum participet de terra, habet frigiditatem potius remiſſam, quam in gradu excellentiori, alioquin non poſſet eſſe nutrimentum potabile pro animalibus.

Vel dicendum cum communi, aquam in ſuo naturali ſtatu non iri congelatam, quia congelatio non oritur duntaxat ex frigiditate, quamuis ſumma; verùm etiam ex quadam craſſitie, exhalatione terrea ſubtiliſſima aquæ admiſſa, vt docuit Ariſtoteles lib. 1. Meteorologicorum Sum. 3. cap. 2.

Objicitur ſexto contra quintam concluſionem, quia terra eſt continua, vt manifeſtum eſt, ergo non eſt ſummè ſicca, ſed habet aliquam humiditatem admiſtam, per quam eius partes fiant conſiſtentes, & continuæ. Conſequentia patet ex Ariſtotele in hoc 2. lib. textu 49. vbi inquit: *Amplius autem, & terra ſinè humido conſiſtere non poteſt. Ad hoc eſt, quod continet; ſi enim auferatur ex ipſa omninò humidum, decidet, vtique terra igitur, & aqua propter has inexiſtunt cauſas:* igitur cum terra habeat ſemper aliquid humiditatis contrariæ ſiccitati, nequit habere illam in ſummo.

Reſpondetur, conſequens eſſe verum, loquendo de terra, quæ eſt apud nos, compacta à Deo in beneficium animalium, & præſertim etiam hominum, quia hæc, vt optimè probat, & concludit Ariſtoteles in citato contextu, eget humido, vt fiat ex eius partibus gluten aliquod, ex duobus elementis conſiſtens; falſum eſt tamen, ſi attendatur terra in ſua puritate, quia ſic eſt ſummè ſicca, excludens quamcumque humiditatem, & de hac loquimur, cum dicimus ſibi conuenire ſummam ſiccitatem. Neque ex hinc ſequitur eſſe corpus friabile, quia cum habeat ſecum vnitam frigiditatem in excellenti gradu, poterunt per ipſam, cuius eſt congregare, etiam homogenea, conſiſtere illius partes, nè penitùs decidant. Neque hoc eſſet contra illatum ab Ariſtotele citato, quia non loquitur de terra, in ſe conſiderata, verum de ea, vt ſimul cum cæteris elementis, & potiſſimum cum aqua, concurrit ad conſtitutionem miſtorum, vt liquere poteſt ex ipſo contextu. Plura alia argumenta congerit Maſtrius contra has omnes concluſiones, quæ in ipſo videri poterunt cum ſuis ſolutionibus, nobis, pro noſtro inſtituto, iam allata, vtpotè potiora ſufficere debent.

Vtrum qualitates Symbolicæ Elementorum inter ſe, & à qualitatibus Miſtorum differant ſpecie infima?

QVÆSTIO V.

Circa priorem partem huius Quæſtionis, aliqui, quos abſque nomine refert Toletus hic quæſt. 7. & Conimbricenſes ibidem quæſt. 6. opinati ſunt, qualitates ſymbolicas Elementorum, cuiuſmodi ſunt calor ignis, & calor aeris: humiditas aeris, & humiditas aquæ, & ſiccitas ignis, & ſiccitas terræ, ac frigiditas aquæ, & frigiditas terræ, differre ſpecie infima: qui inſuper addiderunt, calorem ignis calori aeris, humiditatem aeris humiditati aquæ, & per conſequens frigiditatem aquæ frigiditati terræ, & ſiccitatem ignis, ſiccitati terræ, contrariari, quorum fundamenta examinabimus ſuo loco in fine.

Alij verò melius perpendentes naturam harum qualitatum elementarium, cenſuerunt illas, non modo non eſſe contrarias ad inuicem, verùm nec differre ſpecie infima inter ſe. Ita D. Thomas in quæſt. de Spiritual. creat. art. 3. ad argumentum 19. cui adhæferunt Conimbricenſes citati, & Rubius hic quæſt. 10. à quo referuntur Marſilius hic quæſt. 4. Tōletus quæſt. 7. dicens, hanc eſſe communem in ſchola Peripateti-

ca

ca ſententiam, contrariam verò eſſe ſectatoribus deſertam.

Circa poſteriorem partem autem, Doctores etiam abeunt in plures opiniones, quandoquidem nonnulli aſſerunt, qualitates ſymbolicas Elementorum diſtingui ſpecie à qualitatibus Miſtorum, cuiuſmodi ſunt Alexander, ſimplicius, & Auerroes, quorum meminit Zimara in ſua Tabula ſub Verbo Frigiditas: Alij verò ſequuntur eandem ſententiam quidem, verùm non ſic vniuerſaliter loquuntur, cum illam reſtringant ad calorem vitalem, & calorem elementarem. Ita Fernelius, Sueſſanus, Dandinus, Piccus Mirandulan. quos citat Maſtrius Diſputat. 1. quæſt. 7. num. 83. Alij autem ex appoſito, vniuerſaliter loquentes, ſuſtinent qualitates ſymbolicas, nedum Elementorum, ſed etiam quorumcumque corporum, ad inuicem comparatas eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ. Sic autumnarunt Iacobus Zabatel. lib. 2. de Qualitatibus Element. Achillinus lib. 3. Element. Dub. 10. Conimbric. Ruuius, & Toletus locis citatis, Contarenus, Marſilius, Albertus Saxon. & alij, &c. quos recenſet, ac ſequitur Maſtrius loco nuperrimè citato. Alij tandem, vtramque eſſe probabilem opinionem defendunt.

Quid verò nobis dicendum ſit cum Doctore noſtro ſubtili, non eſt adeò manifeſtum; ſiquidem, vt obſeruarunt nonnulli Scotiſtarum, aliquibus in locis videtur fauere priori ſententiæ de diuerſitate ſpecifica qualitatum ſymbolicarum Elementorum, & Miſtorum, in alijs verò poſteriori de identitate ſpecifica earundem, & in alijs neutræ, vt infra demonſtrabimus, quare vt eius genuinam mentem conijcere ex illius dictis valeamus, & noſtram aperire ſententiam, quædam de more ſunt præmittenda, & notanda.

Primo ergo notandum eſt, vt colligitur ex Ariſtotele in hoc ſecundo lib. à textu 16. vſque ad 24. & indè, qualitates elementorum eſſe in triplici diſcrimine: nàm aliæ dicuntur ſymbolæ, aliæ diſſymbolæ, & aliæ contrariæ. Symbolæ appellantur illæ, quæ ſunt eiuſdem cognationis, & nominis, vt caliditas ignis, & caliditas aeris: humiditas aeris, & humiditas aquæ: frigiditas aquæ, & frigiditas terræ: & ſiccitas ignis, & ſiccitas terræ, quæ omnes adinuicem comparatæ, & vt exiſtunt in diuerſis ſubiectis, ſolum differunt ſecundum eſſe intenſum, & remiſſum, vt diximus in præcedenti quæſtione. Diſſymbolæ verò vocantur illæ, quæ exiſtentes in eodem ſubiecto, ſunt alterius cognationis, & nominis, vt caliditas, & ſiccitas in igne: caliditas, & humiditas in aere: frigiditas, & humiditas in aqua; ac frigiditas in terra, quæ omnes ab Ariſtotele appellatur coniugationes, quia ſic vnitæ dant eſſe diſpoſitiuè illis Elementis, in quibus inexiſtunt. Contrariæ autem ſunt, quæ mutuò ſe excludunt ab eodem ſubiecto, vt caliditas, & frigiditas. Ex quibus infertur, quod quemadmodum ſymbolæ ſymbolica; diſſymbolæ diſſymbolica reddunt Elementa, ita contrariæ contrarietatem, & pugnantiam cauſant in eiſdem ſiquidem ignis, & terra ſunt contraria ratione caliditatis, & frigiditatis, ſymbolica verò ratione ſiccitatis vtriuſque: ſimiliter aer, & aqua ratione caliditatis, & frigiditatis ſunt contraria, & ratione humiditatis ſunt ſymbolica; aqua denique, & terra ſymbolizantur ex parte frigiditatis, in vtriſque exiſtentis, contrariantur autem ratione humiditatis, & ſiccitatis. Singula verò Elementa, ad ſeinuicem comparata, ſunt diſſymbola, cùm ſint affecta qualitatibus diſſymbolis. Hic eſt ſermo de qualitatibus ſymbolis, & quæritur, an ſint eiuſdem ſpeciei infimæ; vel an differant ſpecie, & ſint contrariæ.

Secundo Notandum eſt, ex aliàs obſeruatis à nobis in primo lib. Meteorologicorum Diſputat. 1. quæſt. 4. vnumquodque Elementum determinare ſibi vnam qualitatem in ſummo, poſſe dupliciter intelligi. Vno modo, quod talis qualitas ſit ſumma inter omnes qualitates eiuſdem ſpeciei tali elemento conuenientes, & ſic non eſt neceſſe, quodlibet elementum determinare ſibi aliquam qualitatem in ſummo; ſiquidem nil impedit, quin aliquod corpus miſtum habeat aliquam qualitatem ideſt caliditatem intenſiorem caliditate ignis. Alio modo, quod ſit ſumma in ordine ad aliam qualitatem ſibi inhærentem diſymbolam, vel ſymbolam inhærentem alteri elemento: Si priori modo attendatur quodlibet elementum determinat ſibi vnam qualitatem in ſummo, & alteram in remiſſo, quandoquidem vt in-

N 2 quit

quit Ariſtoteles in textu 23. ignis eſt magis calidus, quam ſiccus; terra eſt magis ſicca, quam frigida, aqua eſt magis frigida quàm humida, & aer magis humidus, quàm calidus: & ratio huiuſmodi diuerſitatis eſt, quia ſicut ignis habet à propria forma, vt ſit calidus, habet ſolum à vicinitate motus circularis Cœli, quod ſit ſiccus, ſimiliter terra habet à propria forma, quod ſit ſicca, & ab aqua locante, vt ſit frigida: & aqua ſicut habet à ſua forma vt ſit frigida, habet ſolùm ab aere locante, quod ſit humida: & aer ſicut habet à propria forma, quod ſit humidus, habet ſolùm ab igne locante, vt ſit calidus. Si autem poſteriori modo ſpectetur, cùm qualitas, quam ſibi determinat conſequentem formam propriam, emanet ab ea naturaliter, & eadem qualitas inhæreat alteri elemento ſolùm participatiuè ratione vicinitatis, & locationis, dicendum eſt, in priori elemento habere eſſe intenſum in ſummo; in poſteriori verò dumtaxat in remiſſo, quàmuis ſint ſymbolæ, & non differant, niſi ſecundum magis, & minus, quia forma dat eidem eſſe in proprio elemento, ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, in alieno verò, quaſi peraccidens, & participatiuè ratione locationis, & vicinitatis.

Tertio Notandum, vt colligitur ex Ariſtotele ſecundo de Cœlo, & Mundo textu 42. ex hoc 2. lib. textu 24. & indè, ac alibi pluribus in locis, & ex Doctore Subtili in primo diſtinct. 2. quæſt. 7. ſub S. in 2. diſtinct. 15. quæſt. vnica, & diſtinct. 18. qu. vnica, & in 4. diſtinct. 12. quæſt. 3. ferè per totam, qualitates ſymbolicas poſſe generari ſuo modo in corporibus miſtis, vel vniuocè, vel equiuocè. tum generari dicuntur equiuocè, cùm qualitas genita eſt eiuſdem rationis cum ſua generante, & ſic calor ignis generat vniuoce alium calorem in aqua, quia calor genitus, & calor generans ſunt eiuſdem rationis: tunc verò qualitas generatur æquiuoce, cum qualitas genita, & generans ſunt alterius rationis, & ſic calor genitus in aqua à Sole dicitur genitus æquiuoce, quia eſt alterius naturæ à virtute Solis illum generante. Modò cùm quæritur, an qualitates ſymbolicæ ſint eiuſdem ſpeciei, non ſolùm in elementis, ſed etiam in corporibus miſtis; inquiritur de illis, quæ non tantùm vniuocè, ſed etiam æquiuocè ſunt genitæ in corporibus, tùm ſimplicibus, tùm miſtis, vt ſit ſenſus. An omnes qualitates ſymbolicæ, ſiuè elementares, ſiuè conſequentes miſta, ſiuè vniuocè, ſiuè æquiuocè genitæ, ad inuicem comparatæ inter ſe ſint eiuſdem, vel alterius ſpeciei.

Quarto Notandum eſt ex eodem Doctore Subtili in primo diſtinct. 2. quæſt. 7. ſub S. & in 4. diſtinct. 3. quæſt. 3. ſub. D. ac alibi, ad hoc, vt aliqua poſſint cognoſci eſse diſtincta ſpecie, vel eiuſdem ſpeciei à poſteriori, ſiuè talia ſint ſubſtantiæ, ſiuè accidentia, obſeruandæ ſunt proprietates, & operationes eorundem. Si enim habeant operationes aliquas, & proprietates diuerſas, à ſeinnicem diſtinguuntur ſpecie, vt homines, & equi, quia homines ſunt riſibiles, diſcurſiui, intellectuales, volitiui, equi verò hinibiles, carentes diſcurſu, intellectu, & voluntate, propterea diſtinguuntur ſpecie. Et per oppoſitum ſi habeant eaſdem proprietates, & operationes proprias, tunc concludimus illa eſſe eiuſdem ſpeciei: nàm vt docet Ariſtoteles primo Poſterorum cap. 10. & Primo Phyſicorum cap. 1. ab effectuum, & proprietatum cognitione procedimus ad cauſatum, & principiorum cognitionem, cùm igitur ſubſtantiæ, & accidentia, quæ generantur vniuocè, & æquiuocè conueniant in eiſdem proprietatibus, & operationibus, vt mures geniti per propagationem ab alijs muribus, & ex putri materia à Sole procreati, generant alios mures, mouentur ſurſum, & deorſum progreſſiuè, habent omninò eaſdem potentias organicas, & ſimilia accidentia, ſimiliter calor, & frigus producti in corporibus miſtis ab alio calore, & frigore, vel ab *Aſtris*, hoc eſt vniuocè, & æquiuocè, incaleſcunt, vel infrigidant; alterant, ac diſponunt materiam ſenſibilem ad generationem, & corruptionem; producunt alias caliditates, & frigiditates, quæ omnia ſunt eorundem proprietates, & operationes, propterea dicendum eſt, cùm ſubſtantias, tùm accidentia ſimilia

eſſe eiuſdem ſpeciei : ac proindè qualitates ſymbolicas , ſiuè inexiſtant corporibus ſimplicibus , ſiuè miſtis diſtinctis ſpecie , omnes eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ.

Ex his ſit prima concluſio . Qualitates Symbolæ elementorum , ad inuicem comparatæ , licet ſint in diſtinctis ſpecie elementis , ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ: Diſymbolæ verò , quamuis ſint in eodem elemento, diſtinguuntur ſpecie . Eſt conformis ſecundæ ſententiæ contra primam opinionem . Probatur prima pars , quia qualitates , quæ differunt ſolùm penes eſſe intenſum , & remiſſum , ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ , ſed qualitates ſymbolæ , exiſtentes in duobus elementis , ſunt huiuſmodi , ergo ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ , ſeù infimæ . Maior probatur , quia magis , & minùs non variant ſpeciem , vt communiter tenetur , ſed eſſe intenſum Dicit magis , cum includat maiores gradus qualitatis , & eſſe remiſſum importat minus , quia continet minores gradus eiuſdem qualitatis , ergo qualitates differentes ſolum per eſſe intenſum , & remiſſum ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ . Minor patet , quia caliditas ignis , & caliditas aeris ; humiditas aeris , & aquæ ; frigiditas aquæ , & terræ ; ſiccitas terræ, & ignis , ſunt qualitates ſymbolæ , & differunt ſecundum eſſe intenſum , & remiſſum : ſiquidem ignis eſt calidiſſimus , aer tantùm calidus : aer humidiſſimus, aqua ſolum humida : aqua frigidiſſima & terra ſolùm frigida : terra demùm ſicciſſima , & ignis ſolum ſiccus , ſed eſſe calidiſſimum , humidiſſimum , frigidiſſimum , & ſicciſſimum dicunt eſſe intenſum : eſſe autem calidum , humidum , frigidum, & ſiccum important eſſe remiſſum, ergo qualitates ſymbolæ , exiſtentes in duobus elementis differunt ſolùm ſecundum intenſum , & remiſſum . Secunda Pars probatur,quia qualitates diſparatæ diſtinguuntur ſpecie, ſed qualitates diſſymbolæ ſunt diſparatæ , ergo diſtinguuntur ſpecie . Maior patet per diffinitionem diſparatorum formalium , quæ includunt repugnantiam formalem, adeò vt ratio formalis vnius non ſit ratio formalis alterius , vt docet Scotus in primo diſtinct. 11. quæſtion. 2. D. cuiuſmodi ſe habent ea , quæ diſtinguuntur ſpecie . Minor de ſe clareſcit , quia caliditas non eſt de ratione formali ſiccitatis ; nec humiditas caliditatis ; nec frigiditas humiditatis , nec ſiccitas frigiditatis , licet ſe compatiantur in ſingulo , Elementorum ; qua de cauſa ſunt quidem formaliter , non tamen ſubiectiuè diſparatæ , cùm ſint in eodem ſubiecto.

Secunda Concluſio . Qualitates Elementorum ſymbolæ , & miſtorum pariter ſymbolæ , ad inuicem comparatæ ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ . Eſt ferè communis , contra nonnullos paucos relatos à Zimara in ſuâ Tab. V. Frigiditas. Probatur quia qualitates miſtorum ſymbolæ intenduntur à qualitatibus elementorum ſymbolis , vt patet de calore manus producto ex tactu alterius manus calidæ qui intenditur à calore ignis:de frigore cauſato ex contingentia marmoris , vel ferri , quod intenditur in manu per frigiditatem naturalem aquæ , & ſic diſcurrendo per ſingulas qualitates , ſed tales non poſſent intendi adinuicem , niſi eſſent eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ : tùm quia intenſio eſt quædam comparatio , quæ non poteſt fieri , niſi in eadem ſpecie ex Ariſtotele ſeptimo Phyſicorum ſumma 4. cap. 1. tùm etiam , quia ex duobus ſpecie diſtinctis nequit fieri aliquod vnum , ſicut eſt eſſe intenſum , ergo dicendum eſt , qualitates ſymbolas elementorum , & Miſtorum ſpectare ad eandem ſpeciem infimam . Secundo probatur , quia omnes qualitates ſymbolæ conueniunt in eadem diffinitione ſpecifica,ergo & in vna ſpecie.Conſequentia tenet per locum à diffinitione ad diffinitum . Antecedens patet , quia omnis calor congregat ſimilia , & diſſimilia ſegregat;omne frigus congregat ſimilia , & diſſimilia , & ſic diſcurrendo per reliquas qualitates , vt poſſumus experiri in omnibus quatuor primis qualitatibus , ergo omnes qualitates ſymbolæ , tùm elementares , tùm conſequentes miſtorum formas , cum conueniant in eadem diffinitione ſpecifica , debent etiam contineri ſub eadem ſpecie ſpecialiſſima.

Tertia Concluſio . Probabile eſt etiam in ſententia Scoti,qualitates elemẽtares & Miſtorum ſymbolas diſtingui ſpecie.Eſt contra

Maſtrium hic Diſp. 1. q. 7. num. 84. & 86. ac Diſp. 7. q. 3. art. 1. num. 23. Defenditurque à præclaris Scotiſtis Tartareto, & Lycheto in ſuis Comment. ad textum Scoti in 2. d. 15. q. vn. Rubeo hic Diſp. 5. q. 8. §. Dico ſecundo, &c. Merinero Diſp. 7. q. 3. ſect. 2. vbi citat Fabrum in Philoſophia Naturali Theor. 60. & nonnullos ex alienis; & nos illam probauimus ex Ariſtotele, & Doctore Subtili contra D. Thomam, & alios in 2. de Anima Diſp. 3. q. 7. concl. 3. adeò vt non eſſet opus illam denuò exagitare: Nihilominus, vt clariùs oſtendere valeamus, hanc concluſionem, non eſſe ita alienam à Doctore Subtili, vt autumnauit Dominus meus Maſtrius in præcitatis locis, eandem de nouo confirmare tētabimus. Primò igitur probatur ex Scoto in 4. d. 12. q. 2. ſub D. *Quia ſecundum ordinem ſubſtantiarum, attenditur ordo qualitatum; ſubſtantijs enim nobilioribus correſpondent qualitates nobiliores, ſed formæ ſubſtantiales miſtorum ſunt nobiliores formis ſubſtantialibus Elementorum*. Ergo qualitates conſequentes formas miſtorum debent eſſe nobiliores qualitatibus conſequentibus formas elementorum. Maior probatur, *quia qualitas ſequitur compoſitum ratione formæ, ſicut quantitas ratione materiæ ex Ariſtotele ſeptimo Metaphyſicorum ſumma 2. cap.* 1. Ergo qualitatum ordo correſpondet ſecundum perfectionem ordini ſubſtantiarum ſecundum perfectionem, ergo ſecundum ordinem, & perfectionem ſubſtantiarum, attenditur ordo perfectionis, etiam ſecundum qualitates; alioquin qualitas non ſequeretur compoſitum ratione formæ ſubſtantialis, verum ratione materiæ, ſicut quantitas. Minor probatur, nàm ſicut miſtum eſt nobilius, & perfectius Elemento, & forma miſti, à qua miſtum accipit eſſe, debet eſſe nobilior forma elementi, per quam recipit eſſe, & per conſequens formam miſti debet conſequi qunlitas nobilior, & perfectior qualitate elementari, ac proinde diuerſa ſpecie ab illa. Secundo probatur ex eodem in 4. diſtinct. 3. quæſt. 3. quia aqua elementaris, & aqua artificialis differunt ſpecie, ſiquidem artificialis eſt quoddam miſtum, quod non dicitur aqua, niſi æquiuocè, ſed ſic à poſteriori indicantur differentes ſpecie per qualitates diſſimiles conſequentes formam huius, & illius aquæ, ergo huiuſmodi qualitates debent eſſe differentes ſpecie. Nec valet dicere, quod argumentum procedit de qualitatibus diſſymbolis, non verò de ſymbolis, de quibus loquitur Maſtrius; non valet inquam, quia ſubtilitas eſt qualitas conueniens aquis ſymbolicè, & licet aqua artificialis videatur eſſe ſubtilior elementari, non propterea inferendum eſt, illas aquas conuenire in eadem qualitate ſpecifica, quia ſubtilitas conueniens aquæ artificiali maior, non eſt ſubtilitas ſimplicitatis, qualis eſt, quæ conuenit aquæ elementari, ſed actiuæ virtutis, vt eſt etiam ſubtilitas vini, qua nimirum vinum dicitur ſubtilius aqua, & tamen non conueniunt in iiſdem qualitatibus ſpecie, igitur nec aqua artificialis, & aqua elementaris conueniunt in eadem qualitate ſymbola ſpecifica, ita quod debeant ſpectare ad eandem entitatem ſpecificam, & ſolùm differant numericè. Tertio probatur ex Lycheto citato quia illa diſtinguuntur ſpecie, quibus conueniunt ſolùm virtutes differentes ſpecie, & non eiuſdem ſpeciei, ſed calori miſti, & calori elementari non conueniunt virtutes eiuſdem ſpeciei, quinimò ſpecie differentes, ergo iſti calores differunt ſpecie. Maior patet, quia virtutes effectiuæ differentes ſpecie, indicant à poſteriori cauſas differentes ſpecie, vt colligitur ex Ariſtotele primo Poſteror. cap. 10. & primo Phyſicorum cap. 1. Minor probatur, quia calori miſti conuenit conuertere alimentum in ſubſtantiam aliti, quod non conuenit, imò repugnat calori ignis, vt eſt notum apud omnes, ergo calor miſti, & calor elementaris differunt ſpecie. Concludendum eſt igitur, qualitates Symbolicas Elementorum, & Miſtorum, ad inuicem comparatas, etiam de mente Scoti diſtingui ſpecie ſpecialiſſima, contra Maſtrium. Ex quibus infertur Scotum in hac materia eſſe problematicum, & ideò ſuſtinendo alterutram partem, omnes teneri ſoluere argumenta pro vtraque parte, vt ad ſeinuicem pugnare conſpicientur.

Obijcitur primo contra primam concluſionem, quia qualitates elementares ſequuntur ſua ſubiecta, vt affectiones ab eis inſeparabiles, ergo ſi elementa, vtpotè ſubiecta talium affectionum, ſpecie differunt, cur, & qualitates non debent ſpecie differre? calor ignis, & calor aeris, humiditas aeris, & humiditas aquæ, frigiditas aquæ, & frigiditas terræ: & ſiccitas terræ, & ſiccitas ignis, quæ omnes ſunt qualitates ſymbolæ, inter ſe comparatæ debent differre ſpecie.

Reſpondetur negando antecedens, quinimò vt docet Scotus in ſuis Vniuerſalibus quæſt. 36. ad primum argumentum principale, qualitates elementorum ſunt accidentia ſeparabilia ab eiſdem, ſiuè præcedant formam ſubſtantialem corrumpendam, per alterationem: ſiuè ſequantur formam generandam in tranſmutatione, vnius elementi in alterum. Et licet aliquæ poſſent dici affectiones, ſeù proprietates, quatenus in certo gradu determinatè conueniunt vni elemento, & non alteri, qua de cauſa poſſunt dici etiam accidentia inſeparabilia, reſpectu elementorum, ſicut nigrum reſpectu corui, nihilominus non conſequuntur formas ſpecie diſtinctas, tanquam affectiones propriè, verum vnam, & eandem formam, à qua ſumunt eſſe eiuſdem ſpeciei, cùm non differant, niſi penes magis, & minùs, ſiuè ſecundum eſſe intenſum, & remiſſum.

Obijcitur ſecundo quia effectus ſpecie diuerſi, arguunt ſpecie diuerſas cauſas, ſed qualitates ſymbolæ producunt effectus ſpecie diuerſos, ergo, & hi debent arguere qualitates ſymbolas ſpecie differentes. Maior patet ex Ariſtotele primo Poſteror. cap. 10. & primo Phyſicorum cap. 1. Minor probatur, tum quia humiditas aerea fouet, & nutrit ignem, vt patet in oleo, in quo prædominatur aer, humiditas verò aquea extinguit ignem, vt eſt notum per experientiam, ſed fouere, ac nutrire ignem, & illum extinguere ſunt effectus diuerſi ſpecie; qui proueniunt ab humiditate aeris, & humiditate aquæ, quæ ſunt qualitates ſymbolæ: tùm etiam, quia ſiccitas in elemento terræ cauſat denſitatem, & ſiccitas in Elemento ignis cauſat raritatem, quæ ſunt effectus diuerſi ſpecie, prouenientes à duabus qualitatibus ſymbolis, ergo qualitates ſimbolæ producunt effectus diuerſos ſpecie.

Reſpondetur, concedendo maiorem de cauſis particularibus, vniuocis, & limitatis, negando tamen illam de vniuerſalibus, æquiuocis, & illimitatis, quia ſic quemadmodum non rectè infertur, effectus producti ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo cauſæ, à quibus proueniunt, ſunt etiam eiuſdem ſpeciei, quia vt rectè docuit Doctor Subtilis in primo diſt. 2. quæſt. 7. ſub S. & in 4. diſt. 43. quæſt. 1. ſub D. ex D. Auguſtino 3. de Trinitate cap. 9. idem ſecundum ſpeciem poteſt generari vniuocè, & æquiuocè, & per conſequens à cauſis diuerſis ſpecie, vt calor genitus ab igne, & à Sole: ita è contrariò non benè infertur, effectus producti ſunt diuerſi ſpecie, ergo cauſæ producentes ſunt differentes ſpecie, quia multi effectus poſſunt variari in ſpecie, tùm ratione diſpoſitionis ſubiecti: tùm ex concomitantia alterius cauſæ; nam idem Sol, ratione diuerſæ diſpoſitionis ſubiecti, & exſiccat, ac indurat lutum, & humectat, ac liquefacit ceram, qui ſunt effectus, non ſolùm differentes ſpecie, verum etiam contrarij. Vndè ad primam probationem minoris, dicimus ignem non foueri, & nutriri ab humiditate olei, vt humiditas eſt, ſed à pinguedine eiuſdem olei, cum qua eſt coniuncta humiditas: nec pariter extingui ab humiditate aquea, vt humiditas eſt, verùm, vel à frigiditate aquæ, per quam aduerſatur eius caliditati; vel à craſſitie eiuſdem aquæ, coniuncta humiditati, & frigiditati, per quam ſuffocatur ignis. Ex quibus patet, quod licet tales effectus ſint diuerſi ſpecie, non tamen arguere debent humiditates aeris, & aquæ diuerſas in ſpecie, cùm non producantur ab eis, vt à cauſis vniuocis, ſed æquiuocè, vt potè coniunctis cum cauſis æquiuocis, ſpecie differentibus. Ad ſecundam probationem reſpondemus eodem modo, ſiccitatem in terra cauſare denſitatem, & in igne raritatem, quæ ſunt effectus differentes ſpecie, non quia ſiccitas terræ, & ſiccitas ignis ſint diuerſæ in ſpecie, ſed quia in terra coniungitur ad operandum cum frigiditate, quæ eſt cauſa denſitatis, & in igne cum caliditate, quæ eſt cauſa raritatis.

Obijcitur tertio quia qualitates ſymbolæ motiuæ elementorum inter ſe ſpecie differunt, nempè grauitas terræ, & grauitas aquæ: ſimiliter leuitas ignis, & leuitas aeris, vt oſtendimus in 4. lib. de Cœlo, & Mundo Diſput. vnica quæſt. 2. concluſione 2. ergo etiam ſic differre debent qualitates ſymbolæ actiuæ. Conſequentia maximè tenere debet, cum illæ proueniant ab iſtis, nempè grauitas à frigore, & leuitas à calore.

Reſpondetur, negando conſequentiam: non enim eſt par ratio de qualitatibus ſymbolis motiuis, & actiuis, quoad identitatem, & diſtinctionem, ſiquidem motiuæ ſumunt ſuam diſtinctionem à terminis motuum ad quos, qui cum diſtinguantur ſpecie, vt ibidem probauimus, non eſt mirum, quod etiam qualitates motiuæ ſymbolæ diſtinguantur ſpecie; cæterum actiuæ cùm ſumant ſuam diſtinctionem à ſuis effectibus primarijs, & iſti non differant, niſi penes magis, & minus, quæ reperiuntur in eadem ſpecie, non eſt cur cogamur multiplicare ſpecies in qualitatibus ſymbolis elementorum. Et cùm probatur, quod qualitates motiuæ ortum ducant ab actiuis, nimirum grauitas à frigore, & leuitas à calore, hoc eſt falſum: nàm licet grauitas, & leuitas, vt potè qualitates ſecundæ, præſupponant calorem, & frigus, tamquam qualitates primas, immediatè afficientes formas ſubſtantiales calidi, & frigidi, non tamen illas includunt in ſuis entitatibus, velut ſuas origines, ſiquidem omnes diſtinguuntur ſpecie, & conſtituuntur per proprias differentias, eſſentialiter diſparatas, vt maniſeſtè liquet ex earum diffinitionibus: ſiquidem grauitas eſt principium, quo corpus, quod afficit, natum eſt ferri deorſum; & leuitas eſt principium, quo corpus, quod afficit, natum eſt ferri ſurſum, in quibus diffinitionibus nullatenus conſpiciuntur caliditas, & frigiditas, quæ tamen forent neceſſariæ, ſi ab illis ortum ducerent, vt docet Ariſtoteles ſeptimo Metaphyſicorum textu 43. immediatum, vt prætendit argumentum: Neque etiam mediatum, quia denſitas, & raritas, quæ pendent à calore, & frigore, & immediatè antecedunt grauitatem, & leuitatem, nec includunt in ſe caliditatem, & frigiditatem, neque includuntur adæquatè in grauitate, & leuitate, vt luculenter oſtendimus lib. 4. de Cœlo, & Mundo Diſput. vnica quæſt. 1. concluſione prima. Supereſt igitur, vt dicamus, qualitates Symbolas Elementorum non eſſe differentes, ſed eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſeu infimæ.

Obijcitur quarto contra ſecundam concluſionem, quia corpora miſta, & ſimplicia differunt ſpecie, vt aliàs oſtendimus pluribus in locis, ergo etiam qualitates ſymbolæ conſequentes corpora miſta, & ſimplicia habent diſtingui ſpecie. Conſequentia probatur ex Scoto in 4. diſtinct. 12. quæſt. 2. ſub D. *nàm ſecundum ordinem ſubſtantiarum, attenditur ordo qualitatum: ſubſtantijs enim nobilioribus correſpondent qualitates nobiliores*, ergo ſi miſta important ſubſtantias nobiliores, ſubſtantijs ſimplicium, etiam qualitates conſequentes ſubſtantias miſtorum, debent eſſe nobiliores qualitatibus conſequentibus ſubſtantias ſimplicium, ac proindè differentes ſpecie. Deindè in quarto diſtinct. 3. quæſtion. 3. aqua elementaris, & aqua artificialis differunt ſpecie, quia artificialis eſt quoddam miſtum, & non dicitur aqua, niſi æquiuocè, ſed à poſteriori ſic demonſtrantur differentes ſpecie per qualitates diſſimiles, conſequentes formam huius, & illius aquæ, ergo qualitates miſtorum, & elementorum diſtinguuntur ſpecie ſecundum Scotum. Neque iuuat reſpondere, hæc argumenta procedere de qualitatibus diſſymbolis, non autem ſymbolis, de quibus loquitur concluſio ſecunda, quia ſubtilitas eſt qualitas conueniens aquis ſymbolicè, & licet aqua artificialis videatur eſſe ſubtilior elementari, non propterea inferendum eſt, illas aquas conuenire in qualitate ſpecifica, quia ſubtilitas maior conueniens artificiali, non eſt ſubtilitas ſimplicitatis, qualis eſt aquæ elementaris, ſed virtutis actiuæ, vt eſt ſubtilitas vini ſuper ſubtilitate aquæ, quæ differunt ſpecie, ergo nec aqua artificialis, *nec elementaris* conueniunt in eadem qualitate ſymbola ſpecifica, itaut debeant ſolùm numero differre.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad primam probationem deſumptam ex Doct. ſubtili in 4. d. 12. q. 2. dicimus, Doctorem ibidem loqui de qualitatibus in com-

parat-

paratione ad quantitatem, non verò de qualitatibus comparatis adinuicem: certum eſt enim, quod omnes qualitates dicunt ordinem perfectionalem ad ſubſtantiam, & nobiliores qualitates ad nobiliores ſubſtantias, quod non euenit quantitatibus, quia maxima corpora in genere corruptibilium ſunt elementa, & tamen ſunt imperfectiſſima: cæterùm ſi loquamur de ordine qualitatum in comparatione ad ſeinuicem non valet ratio Doctoris, alioquin qualitates diſſymbolæ, quæ ſunt in elementis diſſymbolis eſſent perfectiores qualitatibus ſymbolis, & ſic ſiccitas in igne eſſet perfectior caliditate aeris, & frigiditas aquæ eſſet imperfectior humiditate aeris, quod eſt omninò falſum, quia ſicut caliditas à toto genere eſt perfectior frigiditate, & caliditas, & frigiditas à toto genere ſint perfectiores humiditate, & ſiccitate, vt actiuum eſt perfectius paſſiuo, ita deberent in eſſe ſecundum ordinem perfectionalem nobilioribus elementis, vt potè nobilioribus ſubſtantijs, quod tamen repugnat, & excellentiæ Elementorum, & ordini præfixo ab Ariſtotele hic t. 16. Non valet igitur, quod ſi qualitates miſtorum ſymbolæ conſequuntur ſubſtantias nobiliores, quàm qualitates ſymbolæ elementorum, illæ ſint alterius ſpeciei ab iſtis, quia illud axioma Scoticum non tenet in qualitatibus comparatis ad ſeinuicem vel vniuerſaliter in omnibus, verum duntaxat in qualitatibus in comparatione ad quantitates, aut in qualitatibus identificatis realiter cùm ſubſtantijs. Ad ſecundam probationem deſumptam pariter ex Scoto in 4.d.3.q.3.concedimus vtique aquam artificialem, & elementarem diſtingui ſpecie, & tales etiã demonſtrari per qualitates diſtinctas ſpecie, quales ſunt ſubtilitas ſimplicitatis, & ſubtilitas virtutis actiuæ, nempè ignis decoquentis, & reſoluentis, & aliæ huiuſmodi, nõ tamen ſequitur, quod non conueniat in qualitatibus ſimilibus, etiam ſymbolis eiuſdem ſpeciei, cuiuſmodi ſunt frigiditas, & humiditas, quæ ſi adinuicem reſpectiuè comparentur ſunt ſimiles, & eiuſdem ſpeciei, ſiquidem conueniunt in frigefactione, & humectatione, vt experientia comprobari poteſt.

Obijcitur quinto quia illa ſunt diſtincta ſpecie inter ſe, cui vni illorum aliquid conuenit, id quod alteri repugnat, ſed calori con. ſequenti formam miſti, conuenit conuertere alimentum in ſubſtantiam aliti, & hoc calori ignis repugnat, ergo iſti calores inter ſe ſpecie diſtinguuntur. Maior patet per oppoſitum, quia ijs, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, quicquid conuenit vni, & alteri conuenit, vel ſaltem non repugnat, vt docet Scotus in 4.d.49.q.5. ſub E. Minor eſt nota ex dictis ſuperius de Nutritione, & in 2. de Anima. Diſp.3.q.2.& ex Scoto in 4.d.44.q 1. per totam.

Reſpondetur ex iàm obſeruatis ſuperius, calorem naturalem, ſeù vitalem eſſe duplicẽ ſcilicet ſubſtantialem, & accidentalem. Prior eſt virtus quædam animæ vegetatiuæ, quæ facultas nutritiua conuertit alimentum in ſubſtantiam aliti, aggenerando carnem carni præexiſtenti, & hic calor reſidens in omnibus partibus formalibus viuentis dicitur naturalis, ſeù vitalis, quia per ipſum conſeruatur viuens in eſſe naturæ & vitæ. Poſterior verò eſt quædam qualitas diſpoſitiua alimenti in tali gradu alterationis, vt ſit in potentia proxima conuerſionis de eſſe cibi, vel alimenti, ad eſſe carnis ipſius viuentis: calor priori modo ſumptus diſtinguitur ſpecie à calore elementari, quia vnus eſt ſubſtantia, & alter accidens: calor verò poſteriori modo acceptus eſt eiuſdem ſpeciei cum calore ignis; conueniunt enim in eiſdem operationibus, nedùm calefaciendi, ſed etiam alterandi cibum, vt ſit aptus ad conuerſionem ſuipſius in ſubſtantiam aliti, vt docet Ariſtoteles in lib. de Reſpirat. cap. 8. & in 2. de Anima t.130. vbi inquit, ſenſibus noſtris ineſſe ignem, nihil enim ſine calore ſenſitiuum eſt. Multa alia argumenta contra hanc concluſionem congerit, & ſoluit Maſtrius, quæ à nobis omittuntur, tùm breuitati ſtudentes, tùm quia inibi videri poſſunt.

Obijcitur ſexto contra tertiam concluſionem quia calor ignis, & calor vitalis ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed calor vitalis eſt qualitas conſequens formam miſti, & calor ignis eſt qualitas elementi, ergo qualitates miſtorum, & elementorum ſunt eiuſdem ſpeciei. Maior probatur, quia Ariſtoteles lib. de Iuuent. cap. 2 propè finem vocat animam ignitam, hoc eſt calore vitali præditam. & lib. 2. de Partibus Animal. c. 2. & 3. dicit, animã eſſe nutritionis, & accretionis præcipuã causã, ſed addit, igneũ calorẽ eſſe inſtrumentum. Idem priùs pronunciauerat lib. de

Reſpi-

Digitized by Google

Reſpirat, cap. 8. ergo cùm Ariſtoteles, calori vitali ſemper iungat ignem, & faciat calorem igneum, inferendum eſt, quod calor vitalis, & calor igneus ſint eiuſdem rationis, & ſpeciei, apud Philoſophum, & non diſtinguantur ſpecie.

Reſpondetur negando maiorem, & conſequentiam: Neque loca adducta ex Ariſtotele conuincunt oppoſitum, quandoquidem coniunctio caloris vitalis miſti ad calorem ignis, non indicat identitatem inter eos, ſed expendit qualis debet eſſe vis, & acrimonia caloris vitalis, ad hoc, vt eſſe poſſit inſtrumentum nutritionis adeò vt æmulari poſſit virtutem, & actiuitatem ignis. Quod autem hæc fuerit mens Ariſtotelis iungendi calorem igneum naturali calori, haud obſcurè depræhenditur ex lib. 2. de Partibus Animal capitulo tertio vbi oſtendens, quod cùm nutritio, & accretio fieri debeat ex ſumptione alimenti, vi caloris concocti, qualis debeat eſſe calor, qui ad concoctionem requiritur præmiſerat in fine cap. 2. inquiens: calidum & calidius non eodem modo iungetur omnibus, ſed addere debebis, aliud eſſe per ſe calidum, aliud plerunque per accidens, & aliud hoc modo, quod tactum amplius calefaciat, aliud, quod flammam excitet, atque igniat, ex quibus manifeſtè inſinuat, quod cum non omnis calor ſufficiat ad concoctionem alimenti, conuertendi per nutritionem in ſubſtantiam aliti, præmiſit diuiſionem caloris, & alibi iunxit calorem vitalem igneo, vt inſinuet eius actiuitatem debere eſſe talem, vt æmulari poſſit acrimoniam ignis, non autem vt manifeſtet identitatem ſpecificam inter ſe, vt non benè deduxit. Dominus meus Maſtrius.

Obijcitur ſeptimo tùm quia Ariſtoteles tradendo definitiones quatuor primarum qualitatum diffinitiones illas dedit de ſpeciebus ſpecialiſſimis, alioquin debuiſſet aſſignare illis ſpecies & illas diffinire diffinitionibus diuerſis, quod non fecit, ergo ſignum eſt, quod non putauerit illas eſſe genera: tùm etiam, quia diffinitio caloris comprehendit ſub ſe omnes qualitates ſymbolas, ſiuè ſint elementares, ſiue miſtorum formas conſequentes, ergo omnes qualitates ſymbolæ, ſiue ſint in miſtis, ſiuè in elementis ſpectant ad eandem ſpeciem ſpecialiſſimam.

Reſpondetur negando conſequentiam: neque probationes vrgent, quia ſupponunt falſum, vel id, quod probare debebant: vnde ad primam neganda eſt maior, immò diffiniuit illas in genere: nec propterea oppoſitum credendum eſt, eo quod non aſſignauerit illarum ſpecies ſpecialiſſimas; tùm quia nec quorundam Prædicamentorum aſſignauit genera ſub alterna, & horum ſpecies ſpecialiſſimas, vt obſeruauit Doctor Subtilis in primo d. 8. q. 3. ſub O. de Prædicamento quando, & tamen non ablegatur communiter à numero Prædicamentorum: tùm quia falſum eſt quod non aſsignauerit ſpecies ſpecialiſsimas qualitatum, ſiquidem in 4. d. 12. q. 2. ſub D, dixit, ordinem qualitatum deſumendum eſſe ab ordine ſubſtantiarum, quas conſequuntur, ita vt nobilioribus ſubſtantijs correſpondere debeant nobiliores qualitates, ita quod ſicut ordo ſubſtantiarum diſtribuitur per genera, & ſpecies, ita & ordo qualitatum debet ſic diſtribui. Ad ſecundam dicimus verum eſſe de diffinitione caloris in genere, ſeu ſpecie ſubalterna, non verò ſpecialiſsima, quia alia eſt ſpecies caloris elementaris, & alia caloris miſtorum, vt deducitur ex Scoto in 2. d. 15. q. vn. ſub F. vbi reſpondendo ad ſecundum principale, dicit, *quod alius eſt calor ignis, & alius eſt calor miſti*, & non eſt dicendum, quod ibi loquatur de alietate numerica, & non ſpecifica, quia ibi dicit, calorem miſti eſſe perfectiorem calore elementi, *quia ille alterat ad generationem carnis; hic autem ad generationem ignis*, quæ ſunt operationes diſtinctæ ſpecie.

Octauo Obijcitur, quia intantum qualitates ſymbolæ differunt ſpecie, in quantum ſubſtantiæ elementorum, & miſtorum, quibus in ſunt, differunt ſpecie, ſed hæc ratio nulla eſt, ergo qualitates ſymbolæ, ſiuè elementares, ſiuè miſtorum non differunt ſpecie. Maior patet ex fundamento concluſionis, deſumpto ex Scoto in 4. d. 12. q. 2. & alibi. Minor probatur ex eodem Scoto in ſecundo d. 1. q. 6. §. Poteſt etiam addi ſub D. & E. vbi habet, *quod licet anima Bouis, & Aquilæ differant ſpecie, non tamen propter hoc vis viſiua hic & ibi inquantum talis perfectio, & talis differunt ſpecie*, & rationem addit, *quia poſſibile eſt, benè, quod continentia aliqua differant ſpecie, & contenta tamen non differant ſpecie: ſicut paſſiones en-*

tis

tis continentur per identitatem in entibus quantuncumque diſtinctis,& tamen illæ paſſiones in eis non diſtinguuntur ſpecie ſed tantum numero, ergo non ſequitur diſtinctio ſpecifica inter qualitates ſymbolas elementorum, & Miſtorum, quia ſubſtantiæ eorundem diſtinguuntur ſpecie.

Reſpondetur negando minorem, immò ex diſtinctione ſpecifica ſubſtantiarum elementorum, & Miſtorum, ſequitur diſtinctio ſpecifica qualitatum. Ad probationem deſumptam ex eodem Scoto in 2.d.1.q.6.loco citato, dicimus cum Lycheto ibidem, Doctorem loqui dubitatiuè, quod expreſſiùs declarauit infine eiuſdem Paragraphi dum dixit *Aut ſi iſtud, non eſt verum, ſed relinquatur iſtud modo, ſicut dubium, ſaltem primum dictum videtur ſatis clarum*. Et idem repetit ſoluendo primum argumentum principale, dum inquit *poteſt concedi, quod eſſentia Animæ, & Animæ poſſunt differre ſpecie, & non potentiæ, ſi illud dictum vltimum in ſolutione ſit verum, & tunc illud argumentum non procedit*. Relinquitur ergo concluſio iàm probata de mente Scoti in ſuo robore abſque contradictione.

Vel dicendum cum eodem, reſpondendo ad primum principale, quod potentiæ viſiuæ bouis, & aquilæ ex parte fundamenti, nempè animæ huius, & illius differunt ſpecie, & ex parte obiecti ſunt eiuſdem ſpeciei: Verum quia *hæc identitas ex parte obiecti eſt ſecundum quid, & non eſt identitas in ſpecie, ſed alia diuerſitas, ſimpliciter eſt diuerſitas*, dicendum eſt, quod illæ potentiæ animæ bouis, & aquilæ ſimpliciter differant ſpecie, *quacumque enim differentia ſufficit ad diſtinguendum, ſed non quacumque identitas ſufficit ad perfectam identitatem aliquorum, hoc eſt in ſpecie*. Eodem modo reſpondendum eſt ad aliam inſtantiam de paſſionibus entis, exiſtentibus in entibus diſtinctis ſpecie, quod ſimpliciter diſtinguuntur ſpecie, cùm conſequantur entitates, à quibus originantur diuerſas ſpecie, poſſunt tamen dici eiuſdem ſpeciei ſecundum quid, ex parte identitatis entis cum omnibus entibus inferioribus, & hæc videtur eſſe germana intentio Doctoris Subtilis, quam expreſſiùs manifeſtat, confirmando opinionem de actibus beatificis, & non beatificis, quod diſtinguantur ſpecie, licet ſint reſpectu eiuſdem obiecti, ſicut aliàs docuit, eo quia potentiæ non ſe habent merè paſſiuè ſed concurrunt actiuè cum obiecto eodem ad elicitionem actuum.

Dices ex eodem ibidem, ergo qualitates conſequentes diſtinctas ſubſtantias ſpecie, non poterunt eſſe diſtinctæ ſpecie, cùm ſubſtantiæ ſe habeant merè receptiuè reſpectu illarum, *modò receptiua non diſtinguunt formas receptas in ſpecie, ſicut patet de albedine in lapide, & in ligno*.

Reſpondetur negando illatum: ſiquidem qualitates ſymbolæ elementorum, & miſtorum, non ſe habent ad illorum ſubſtantias merè receptiuè, ſicut albedo in lapide, & ligno, verùm illas conſequuntur cùm ſpeciali dependentia ab eiſdem, ratione ſuarum formarum, vt docet Scotus in quarto d. 12.q.2.ſub D. quibus ſe habent vt principia attingendi finem ſuum per actionem realem, cuius ſunt principia, vt dicit ibidem.

Nonnullas alias quæſtiones, pertinentes adhunc Tractatum de Qualitatibus primis, mouent, & exagitant Recentiores, quas, & nos ſoluere deberemus: Verùm quoniam illas, quas vtì neceſſarias intentioni noſtræ, ſufficienter pertractauimus partim in lib. Prædicam. Diſp.8.q. 2.3.& 4. aliqualiter in primo Poſter. Diſp. 3. q. 3. ſoluendo argumenta: partim in primo Phyſicorum Diſp.2.q.3.ſect.3. partim in primo lib.huius operis pluribus in locis: partim in lib. 1. & lib.4. Meteorologicorum per totum.& partim in 2.de Anima Diſp.3.quæſt.7. & Diſp. 4.q.2. & Diſp. 5. fere per totam, idcircò eiſdem hic ſuperſedere decreuimus, nè videamur eadem totiès repetere inutiliter, & ad vlteriora, quæ nos præſtolantur, greſſum, & calamum dirigere.

De Elementorum Generatione.

SVMMA II.

HÆc Summa diuiditur in quatuor capira. In quorum primo agitur de mutua elementorum generatione facili, atque difficili. In ſecundo oſtenditur, quod Elementa non ſint Miſtorum, nec alterum alteri. In tertio demonſtratur, quod Elementorum generatio non procedit in infinitum ſecundum rectum; ſed quod neceſſariò ipſa ſint finita. In quarto probatur contra

Em-

Digitized by Google

Empedoclem, quod Elementa, cùm ſint plura, non ſint immutabilia, ſed neceſſariò transmutabilia.

Quoad primum Caput in T. XXIV. duo facit. Primùm enim recenſet ea, quæ de Elementis determinauit in tertio lib. de Cœlo, & Mundo, nimirum quod huiuſmodi corpora ſimplicia ſint adinuicem transmutabilia; & hoc patuit etiam ad ſenſum; quandoquidem transmutatio per generationem præſupponit alterationem quatuor qualitatum tangibilium, talis autem alteratio patet ad ſenſum tactus ſicut, & ipſæ qualitates, quæ ſunt eiuſdem ſenſus tactus obiectum. Secundùm proponit agenda de corporibus ſimplicibus in hoc ſecundo lib. dicens: quia inibi non fuit determinatum, an omnia elementa ſint adinuicem transmutabilia; vel tantum aliqua, & quæ. Nec fuit traditus modus talis transmutationis, propterea in præſenti hæc explicanda proponuntur per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio. Omnia elementa ſunt in ſeinuicem transmutabilia per generationem. Probat, quia generatio eſt inter contraria, & ex contrarijs, ſed omnia elementa conſtant ex qualitatibus contrarijs, & ſunt contraria, ergo omnia elementa ſunt adinuicem transmutabilia per generationem. Maior patet, quia generatio, & corruptio ſe conſequuntur ex primo lib. de Generat. t. 17. ſiquidem generatio vnius eſt corruptio alterius, ſed corruptio fit ex contrarijs, ergo & generatio fieri debet ex contrarijs. Minorem probat, quia ignis eſt calidus, & ſiccus, ratione ſiccitatis contrariatur aeri, qui eſt humidus, & ratione caliditatis, terræ, quæ eſt frigida: ratione autem vtriuſque contrariatur aquæ, quæ eſt humida, & frigida. Aer ex parte caliditatis contrariatur aquæ, & terræ, quæ ſunt frigidæ, & ratione humiditatis opponitur igni, & terræ, quæ ſunt elementa ſicca. Aqua verò, cum ſit humida, & frigida contrariatur ex parte humiditatis igni, & terræ quæ ſunt ſicca; & ex parte frigiditatis aeri, & igni, qui ſunt calidi: ſimiliter terra, quæ eſt frigida, & ſicca, ratione frigiditatis opponitur aeri, & igni, qui ſunt calidi, & ratione ſiccitatis contrariatur aquæ, & aeri, quæ ſunt elementa humida, ergo omnia elementa ſunt contraria, & coaleſcunt ex contrarijs, ac proinde omnia ſunt adinuicem transmutabilia per generationem.

In T. XXV. Ponit ſecundam concluſionem dicens: Elementa ſymbola, ſiuè quæ habent cognationem adinuicem faciliùs transmutantur adinuicem quàm diſſymbola, & nullam habentia cognationem: vt ignis, qui habet cognationem cum aere, & terra, faciliùs, & velociùs mutatur in aerem, & terram, quàm in aquam, cum qua nullam habet ſymboleitatem: ſimiliter aer velociùs mutatur in ignem, & aquam, cum quibus habet cognationem, ratione vnius qualitatis, quàm in terram, cùm qua nullam habet ſymboleitatem. Probat, quia facilior eſt mutatio, vbi ſunt pauciora, quæ vinci debent, & deſtrui, quàm vbi ſunt plura, ſed in elementis ſymbolis adeſt tantum vna qualitas deſtruenda, & conuertenda; in diſſymbolis verò duæ, vt patet diſcurrendo per ſingula elementa, ergo elementa ſymbola ſunt facilioris, & velocioris mutationis inſeinuicem, quàm diſymbola. Minorem probat quoad primam partem exemplificando in ſingulis: nam ignis cùm ſit calidus, & ſiccus, & aer calidus, & humidus, ſi vincatur humidum à ſicco, aer fit ignis; ſi verò humidum vincat ſiccum, ignis econuersò fit aer: Similiter aer cùm ſit calidus, & humidus, & aqua frigida, & humida; ſi calor aeris vincatur à frigido aquæ, cum remaneat humidum, aer tranſit in aquam: & econuerſo, ſi frigidum aquæ vincatur à calido aeris, aqua fit aer: ſimiliter ſi humidum aquæ vincatur à ſicco terræ, cum vtrobique remaneat frigidum, aqua fit terra: econuersò autem ſi ſiccum terræ vincatur ab humido aquæ, terra vertitur in aquam: & demùm ſi frigidum terræ vincatur à calido ignis, quia remanet vtrobique ſiccum commune ambobus, terra fit ignis: & econuersò ſi calidum ignis vincatur à frigido terræ, ex igne gignitur terra, ergo elementa ſymbola faciliùs, & velociùs mutantur in ſeinuicem.

In T. XXVI. Oſtendit ſecundam partem minoris exemplificando, nàm quod ex igne fiat aqua, & ex aqua ignis: ſimiliter ex aere terra, & ex terra iterum aer gignatur, eſt quidem vtrobique poſſibilis tranſitus, ſed valdè difficilior, quia in vtrisque erit neceſſaria deſtructio, & iterum generatio, cum nihil commune ambobus remaneat, vt patet diſcurrendo per ſingula.

In

In T. XXVII. Ponit tertiam concluſionem. Si ex duobus elementis penitùs contrarijs, vniuſcuiuſque alterum fuerit conſumptum, ſiuè corruptum, facilius quidem erit tranſitus; verùm non inſeinuicem, ſed in tertium. Probat exemplificando, nàm ex igne, & aqua, quæ ſunt omninò contraria, ſi ex igne corrumpatur ſiccum, & remaneat calor: ex aqua verò perdatur frigidum, & remaneat humidum, ex eis generatur aer, qui eſt calidus, & humidus. Si verò ex igne perdatur calor, & remaneat ſiccum, & ex aqua corrumpatur humidum, & remaneat frigidum, ex igne, & aqua generatur terra, quæ eſt frigida, & ſicca: Similiter ex aere, & terra, quæ adinuicem pugnant, ſi ab aere auferatur humidum, & remaneat calidum, & à terra tollatur frigidum, & remaneat ſiccum, generatur ignis, qui eſt calidus, & ſiccus. Si verò ab aere tollatur calidum, & remaneat humidum, & ex terra, ſiccum auferatur, & remaneat frigidum, ex aere, & terra generatur aqua, ergo ex duobus elementis adinuicem penitus pugnantibus, ſi ab alterutro auferatur vna qualitas, & altera remaneat, fit generatio alicuius tertij, & non tranſeunt in ſeinuicem.

In T. XXVIII. Probat etiàm experientia, quod ex aere, & terra generetur ignis; nam flamma eſt maximè ignis, ſed etiam flamma eſt fumus ardens, & fumus coaleſcit ex aere, & terra, ergo ex aere, & terra fit flamma, & ignis.

In T. XXIX. Ponit quartam concluſionem nimirum, quod ex duobus elementis, quæ dicuntur ad conſequentiam, idest, contiguis, ac ſymbolis, nequit fieri aliud tertium, vt ex igne, & aere, qui ſunt contigui, & ſunt elementa ſymbola, nequit fieri aliud elementum tertium. Probat veritatem concluſionis, quia in ſymbolis adſunt duæ qualitates contrariæ, & vna communis, vt patet in igne, & aere, in quibus ſiccitas, & humiditas ſunt contrariæ, calid tas verò communis, ſed ex his nequit fieri aliquod tertium elementum: nàm ſi deſtruatur caliditas in vtriſque, & remaneant ſolæ contrariæ, ex eis nequit fieri vnum tertium, quia contraria nequeunt conſiſtere ſimul in eodem ſubiecto. Si verò deſtruantur contrariæ & remaneat caliditas communis, ex ea nequit fieri aliquod tertium, quia elementum expoſcit duas qualitates diſparatas, ergo ex duobus elementis ſymbolis nequit fieri aliquod tertium elementum.

In T. XXX. Ex omnibus his concludit intentum, quod propoſuerat in t. 24. nimirum quod omnia elementa ſint adinuicem tranſmutabilia per generationem, vel facilius, vel difficiliùs; aut inſeinuicem, aut in aliquod tertium, & quomodo: ex prædictis concluſionibus manifeſtè liquet.

Quoad ſecundum caput in quo nititur oſtendere non dari aliquod corpus ſimpliciùs, quod eorum elementorum ſit materia, ſeù principium materiale, ſed ipſa eſſe omnis generationis principia prima in T. XXXI. Probat concluſionem hoc tripartito argumento: nàm ſi corpora naturalia, nempe elementa, haberent corpus aliquod, quod eſſet ipſorum principium materiale, vel eſſet vnum illorum, vel ſaltem duo, vel aliud diſtinctum ab eis, ſed nullum iſtorum eſt dicendum; ergo non datur aliquod corpus ſimplicius quod eſſe poſſit corporum naturalium, ſeù elementorum materiale principium. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minorem probat quoad omnes partes. Non poteſt dici, quod eſſet vnum illorum, vt puta aer, vel ignis, quia vel tale permaneret idem in tranſmutatione, vel non, ſed neutrum dici poteſt, ergo nequit eſſe vnum ex ipſis. Maior patet, quia in mutationibus ſubiectum debet, vel manere idem, vel corrumpi, vt patet in alteratione, & generatione, ſiquidem in priori ſubiectum remanet idem numero: in poſteriori verò corrumpitur. Minorem probat, non poteſt dici, manere idem, & ſit v. g. aer, ex quo gignantur cætera elementa, quia tunc talis mutatio non eſſet generatio, ſed alteratio, in qua ſubiectum manet idem. Nec poteſt dici, quod non manet idem, ſed corrumpatur, quia corruptio fit inter contraria, ſed poſito, quod aer eſſet vnum omnium principium, non haberet contrarium, quia medium non habet contrarium,

In T. XXXIV. Reſpondet ad hoc dubium per concluſionem ſuperius poſitam in t. 24. nempè omnia quatuor elementa eſſe inſeinuicem tranſmutabilia, vel celeriter, vel tardè; vt ibidem demonſtratum eſt quandoquidem vbi eſt contrarietas, ibi eſt tranſmutatio, ſed in omnibus elementis adeſt contrarietas, ergo omnia elementa ſunt adinuicem tranſmutabilia. Ex quibus colligit quatuor eſſe elementa, cum ſint duæ contrarietates; nam ſi eſſet tantum vna contrarietas, eſſent tantum duo elementa, verum quia contrarietates ſunt duæ, nempe caliditas, & frigiditas, humiditas, & ſiccitas, ex quibus coaleſcunt ſex combinationes, nempè caliditatis cum ſiccitate; caliditatis cum humiditate; humiditatis cum frigiditate, & frigiditatis cum ſiccitate, determinantes quatuor elementa, proptereà quatuor tantum elementa, quæ poterunt inſeinuicem tranſmutari, aut faciliter, aut difficulter, vel tardè, vel celeriter vt ſuperius demonſtratum fuit; tantum aſſignanda veniunt, & non plura, nec pauciora contra Platonem, quia impoſſibile eſt, eſſe tantum tria elementa, & illa ſolùm eſſe mutabilia, ſi adſint duæ contrarietates, cùm ſingula contrarietas ſibi determinet duo elementa.

In T. XXXV. duo facit. Primum ex dictis concludit, quod nullum ex quatuor elementis poſſit dici cæterorum principium materiale, & probat, quia principium materiale eſt immutabile, & ſemper manens, ſiquidem materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, ſed omnia elementa ſunt adinuicem mutabilia per generationem, & corruptionem, cum omnia ſint contraria, vt probatum eſt, ergo nullum ex his quatuor elementis poterit eſſe aliorum principium materiale. Alterum, quod intendit in hoc textu, eſt recitare, & reijcere opinionem eorum, qui dicebant aliqua elementa eſſe immutabilia, & iſta ponebant aliorum principia materialia: nàm elementorum duo ſunt media, & duo extrema. Media ſunt aer, & aqua: extrema verò ignis, & terra: modò dicebant iſti, quod licet media non poſſint eſſe extremorum ſuorum principia, nec extrema ſuorum mediorum, cum ſint mutuò tranſmutabilia, aer enim mutatur in ignem, & econuersò: ſimiliter aqua in terram, & econuersò, tamen hoc dici nequit de extremis adinuicem comparatis, quandoquidem, cùm talia non poſſint inſeinuicem mutari, ſed ſemper maneant, hæc poterunt vocari, & eſſe aliorum principia materialia. Hanc poſitionem, vti falſam reijcit Philoſophus, nàm ex hac poſitione ſequeretur, vel quod omnia eſſent terra, & ignis: aut omnia conſtarent ex illis, quod vtrumque eſt manifeſtè falſum. Probat primum conſequens, quia terra, & ignis actu manerent cum ſuis formis in ijs, quorum eſſent principia, ergo omnia forent terra, & ignis: Probat ſecundum conſequens, quia componerentur ex terra, & igne, vt ex ſuis materijs. Quod verò alterutrum conſequens ſit falſum, quia mixta componuntur ex quatuor, & non tantum ex duobus elementis.

Deinde refutat alteram poſitionis partem, nempe ſi elementa media mutantur in extrema, & extrema in media, quod hoc etiam verificari debeat de extremis inter ſe, & conſequenter, quod omnia elementa ſint mutabilia, & nullum immutabile, vt poſſit eſſe aliorum principium materiale. Hoc nititur probare longiſſimo diſcurſu demonſtratiuo, qui tamen poterit reduci, vt nonnulli Interpretes faciunt, ad hanc rationem: Quæcumque contraria ſunt, poſſunt adinuicem tranſmutari, ſed omnia elementa ſunt adinuicem contraria, ſiuè talia ſint media, ſiuè extrema, ergo omnia ſunt adinuicem tranſmutabilia, ſiue ſint media, ſiuè extrema. Maior patet ex ſupradictis in t. 24. & indè, vbi oſtenſum fuit, mutationem per generationem neceſſariò expoſtulare contrarietatem extremorum mutabilium. Minor pariter remanet clara ex dictis, nàm in quolibet elemento conſiſtunt duæ qualitates, ſecundum quas omnia ſe reſpiciunt oppoſitione contraria: Ignis namque eſt calidus, & ſiccus, & ſecundum caliditatem opponitur contrariè aquæ & terræ: ſecundum ſiccitatem verò eſt contrarius aeri, & aquæ, quæ ſunt elementa humida: Aer eſt calidus, & humidus; per caliditatem opponitur contrariè aquæ, & terræ, quæ ſunt elementa frigida: per humiditatem verò opponitur igni, & terræ, quæ ſunt elementa ſicca. Aqua eſt humida, & frigida: per humiditatem contrariatur igni, & terræ, quæ ſunt elementa ſicca: & per frigiditatem eſt contraria aeri & igni, quod

ſunt

ſunt elementa calida: Terra demum eſt frigida, & ſicca: per frigiditatem contrariatur aeri, & igni, quæ ſunt elementa calida: & per ſiccitatem opponitur aeri, & aquæ, quæ ſunt elementa humida, ergo omnia elementa, tàm media quam extrema ſunt contraria, ac proindè tranſmutabilia per generationem inſeinuicem.

Hoc argumentum ſupponit, vt conuincat Aduerſarios, non poſſe dari proceſſum in infinitum, ex parte vtriuſque extremi, neque in ſurſum ex parte ignis, neque ex parte terræ verſus deorſum, quod aliqualiter ſuadet hic, differendo plenam probationem in ſequenti t. 36. nàm ſi vltra elementa extrema procederet generatio elementorum in infinitum, ſequeretur multiplicatio infinitarum contrarietatum in ſingulis elementis, tàm verſus partem ſuperiorem, quàm verſùs inferiorem, ſed conſequens non eſt admittendum, ergo nec talis generatio elementorum admitti poterit. Sequela maioris probatur, quia quælibet generatio fit ex contrarijs, ergo ſi multiplicentur generationes in infinitum, multiplicari debent in infinitum etiam contrarietates.

Quoad tertium caput in quo proſequitur argumentum, in T. XXXVI. Probat minorem, quia ſi in vnoquoque elemento admitterentur infinitæ contrarietates, ſequeretur nullum elementum gigni poſſe ex alio, ſiquidem generatio vnius fit per abolitionem alterius contrarij, & alterius introductionem, ſed impoſſibile eſt infinita contraria aboleri poſſe, quia infinitum pertranſiri nequit, ergo nullum elementum poſſet ex alio gigni, quod eſt contra ſuppoſitum. Prætereà ſi in vno elemento forent infinitæ qualitates contrariæ, ſequeretur quod vnum elementum creſceret in infinitum, vt vnum eſſent multa & infinita elementa. Sequela maioris probatur, quia tales contrarietates, cùm ſint proprietates elementorum, non eſsent abſque elementis genitis, ergo in vno elemento forent infinita elementa, & ſic multa eſsent vnum, & vnum multa, quod eſt oppoſitum primi principij. Siſtendus igitur eſt gradus in generationibus finitis, ad eo quod vltra generationem mediorum elementorum ex extremis, & extremorum ex medijs, extrema non generent alia in infinitum, nec aſcendendo, nec deſcendendo, vt hactenus demonſtratum eſt.

Quoad quartum caput, in quo reprehendit eos, qui ponentes elementa finita, plura vno, aſſerebant illa eſse immutabilia, cuius opinionis fuit Empedocles, quapropter in T. XXXVII. Incipit eundem coarguere ex eius principijs, in quibus fatetur adeſse pugnantiam, ſicque confici poterit eius ratio: elementa, ſecundum Empedoclem, ſunt adinuicem comparabilia, ergo non benè dicit, illa eſse immutabilia. Conſequentiam probat, quia omnis comparatio, quæ in corporibus reperiri poteſt, vel eſt ſecundum quantitatem, quo pacto corpora dicuntur æqualia, ſi habent quantitatem eiuſdem menſuræ, aut inæqualia, ſi fuerit in eis quantitas diuerſæ menſuræ: vel eſt ſecundum qualitatem, & potentiam, & hæc dupliciter contingere poteſt, aut comparatio fit ſecundum qualitates diuerſæ ſpeciei, vt pote dicendo, ignem tantum calefacere, quantum refrigerat aqua, & hæc dicitur comparatio ſecundum proportionem: aut comparatio fit ſecundum qualitates eiuſdem ſpeciei, vt cum dicitur calidum, vt quatuor, ex æquo calefacere, ac aliud eorumdem graduum calidum, ſed elementa habent aliquod commune, in quo his modis comparari poſsunt etiam ſecundum Empedoclem, ergo elementa in ſua ſententia debent eſse mutabilia adinuicem. Minorem probat, quia licet elementa non ſint æqualia in magnitudine molis, ſunt, tamen talia ſecundum quantitatem virtutis, ſiquidem inquit, vnus pugillus terræ continet decem aquæ, & vnus aquæ, decem aeris, & vnus aeris decem ignis: ſimiliter comparantur penes proportionem in diuerſis ſpecie, quia vnus pugillus terræ poteſt tantum infrigidare, quantum vnus ignis calefacere. Denique in eadem ſpecie, quia ignis plus calefacit, quàm aer, & aqua eſt frigidior terra, & minus humida, quàm aer, ergo cùm his tribus modis elementa conueniant in aliquo communi, in quo comparari valent, poterunt quoque in receſſu ab illo communi adinuicem tranſmutari, ac per conſequens, in ſententia eiuſdem Empedoclis, ſi ſint comparabilia, debeant pariter eſſe mutabilia.

In T. XXXVIII. Arguit ſecundo ex illius principijs: nàm in eius ſententia elementa augeri valent per iuxta poſitionem, inquit enim: *Auget autem terra ſuum genus, æthera autem*

autem ether. Non autem propriè per conuerſionem vnius in alterum, ergo ponendo elementa intranſmutabilia; tollit à rebus augmentum propriè dictum. Conſequentia tenet, quia augmentum propriè ſumptum fit per conuerſionem vnius in alterum ſecundum omnes partes, ex his, quæ docuit in lib. præcedenti à t. 32. vſque ad 41. vbi ponit differentiam inter augmentum preſsè, & latè acceptum atqui ponendo elementa intranſmutabilia in ſe inuicem, tollitur talis conuerſio, & ſolùm relinquitur mutatio per iuxtà poſitionem, ergo auſertur per ipſum verum augmentum, quod eſt valdè abſurdum.

In T. XXXIX. arguit tertio ad idem, ſi elementa ponantur in tranſmutabilia, non poteſt reddi ratio generationis naturalis, ſed hoc eſt maximum inconueniens in Philoſophia, ergo melius dicendum eſt, elementa eſſe tranſmutabilia, & non immutabilia. Sequela maioris probatur, quia generatio naturalis dignoſcitur in ijs, quæ fiunt, aut ſemper, vel frequenter; ſicut per oppoſitum, caſualis cognoſcitur in his, quæ eueniunt extrà ſemper, & frequenter, ſeù de rarò, ſed poſita immutabilitate elementorum, res non euenient ſemper, & frequenter, verùm de rarò, nimirum ex ſola caſuali commiſtione elementorum, vt fatetur Empedocles, dicens; rem generari, cum elementa coeunt inuicem, & corrumpi cùm diſſoluuntur, quæ de rarò, accidunt, ergo poſita immutabilitate elementorum; non poterit dignoſci generatio naturalis à caſuali, & cur potiùs homo hominem, & frumentum frumentum generet naturaliter, vel à caſu eueniant; quandoquidem ſola coitio elementorum de rarò euenire dicitur, & ferè à caſu, vel à fortuna.

In T. XL. proſequitur argumentum, probando generationem naturalem non poſſe fieri ex ſola coniunctione elementorum: cur enim fuerit compoſitum os, nequit reddi pro cauſa coniunctio ignis cum terra: namque præter hæc vlterius exigitur proportio miſcibilium, & forma ſubſtantialis, quæ illi potius det eſſe oſſis, quàm carnis, ergo coniunctio ſola elementorum ſine eorumdem tranſmutatione, non poterit adduci pro cauſa generationis naturalis, vt diſtinguitur à caſuali.

In T. XLI. excludit quandam reſponſionem, quæ pro Empedocle adduci poſſet, dicendo cauſam generationis naturalis, eſſe concordiam, ſeù amicitiam, vel fædus Elementorum, corruptionis verò oppoſitæ, diſcordiam, ſiuè litem inter illa. Verùm quod hæc non ſufficiant probat dicens; ſiuè enim elementa coniungantur, ſiuè ſeparentur, impoſſibile eſt aliquod de nouo gigni in natura, ſi non detur noua forma ſubſtantialis introducta in materia, ſed hæc non poterit educi, niſi præceſſerit alteratio miſcibilium elementorum, vt fuſiùs demonſtrauit in primo lib. à t. 87. vſque ad finem libri, ergo de primo ad vltimam, erit neceſſaria tranſmutatio elementorum in ſe inuicem, vt dignoſcatur generatio naturalis à caſuali diſcreta.

In T. XLII. cùm ſuppoſuerit dictum Empedoclis, nempè litem, & amicitiam fuiſſe omnium rerum cauſas, vel ſegregando ab illo infinito Chaos Elementa per litem, vel illa coniungendo per amicitiam in generationem Mundi, quem Deum vocauit, ab elementis, vt à prioribus Dijs confictum, ipſum acriter reprehendit, quod mentionem faciens de motu litis, & amicitiæ, de eodem, tàm leuiter tractauerit: Quandoquidem debebat oſtendere quiſnam eſſet talis motus vtriuſque: vel diffiniendo, vel demonſtrando, aut calorem ſupponendo in particulari, quæ in communi nunciauit, de tali motu talis litis, vel talis amicitiæ, cùm hæc omnia forent neceſſaria ad oſtendenda ſabricam Mundialem ex motibus, & litis, & amicitiæ exortam, vndè cùm ab ijs motibus particulatim abſtinuerit, iure dignum cenſura illum iudicauit.

In T. XLIII. ex motus diuiſione carpit iterum Empedoclem in eo, quod dixerat Mundi procreationem attribuendam eſſe liti, & non potiùs amicitiæ, vt potè potiori bono naturæ. Quandoquidem Motus diuiditur in motum naturalem, & violentum. Motus naturalis eſt is, quò ignis tendit ſurſum, & terra deorſum. Violentus, ſeù contra naturam econuersò, quo nimirum terra ſurſum, & ignis deorſum vergit. Ex quibus infert, quod motus naturalis, & violentus ſint contrarij inter ſe. Modo inquirit, an motus amicitiæ ſit contrarius naturæ, & violentus? vel potiùs confor-

Digitized by Google

mis naturæ? Reſpondet de monte Empedoclis, motum amicitiæ, quo elementa congregentur in vnum debere eſſe naturalem, & motum litis, quo ſegregantur à Chaos eſſe violentum; & nihilominus eſt falſum ſecundum veritatem, quia elementa non poſſunt congregari in vnum, niſi ignis deſcendat; & terra aſcendat: verùm cùm ignis deſcendit, & terra aſcendit, mouentur violenter, ergo motus amicitiæ eſt motus violentus: & per oppoſitum, cum ignis ſegregatur à Chaos, & petit locum ſuperum mouetur naturaliter, & ſimiliter naturali motu cùm tendit à Chaos terra deorſum, ergo motus litis erit naturalis, cuius oppoſitum docuit Empedocles, ac proindè, cùm non benè, & naturaliter locutus fuerit de motu litis, & amicitiæ, infert eum peſſimè dixiſſe, mundum fuiſſe procreatum potiùs per litem, quàm per amicitiam.

In T. XLIV. nititur reducere Empedoclem in contradictionem propter duo: Nàm priùs dixerat elementa moueri per litem, dum ſegregarentur à Chaos, & quieſcere per amicitiam cum eſſent congregata in ipſo Chaos: modò autem dicit, ea abſque litis, & amicitiæ interuentu, moueri in ſua loca, non per ſe, ſed à fortuna, igitur præter litem, & amicitiam agnoſcit alias cauſas, quod prius negauerat. Inſuper, quia fortuna eſt cauſa per accidens, & per conſequens reducibilis in cauſam per ſe, ergo debet dari primus motor: à quo tandem mouerentur elementa in opificium mundi; & ita lis, & amicitia non erant tantum cauſæ illius, vt dicebat Empedocles.

In T. XLV. (Nota hunc textum pro animæ immortalitate) denique reprehendit Empedoclem, in eo, quod dixerit omnia, vel eſſe elementa, aut ex elementis conſtare, etiam animam, quod vtrumque eſt penitùs falſum. Probat primum, quia ſi anima foret aliquid elementorum, ſubiret etiam affectiones elementi, & ſic non eſſet muſica, nec immuſica, nec memoraret, aut obliuiſceretur, ſicut experimur in ea, quandoquidem tales affectiones repugnant elementis, & competunt animæ, igitur anima nequit eſſe aliquod elementorum. Probat ſecundum, quod nec ſit aliquod compoſitum ex eis, quia tunc ſequeretur, animam eſſe corpoream, & habere paſſiones corporales, & ſic fore calidam, vel frigidam, humidam, vel ſiccam, albam, aut nigram, aut aliam iſtiuſmodi paſſionum in ſe habere, quæ omnia, quam ſint falſa, & naturæ animæ repugnantia, oſtendit in libris de Anima.

De Mutua Elementorum Generatione.

DISPVTATIO II.

ELementorum Naturam ſecundum Quiditatem quantitatem, & qualitatem in communi luculenter conſiderauimus cum Ariſtotele in tertio lib. de Cœlo, & Mundo a Sum. 6. vſque ad finem, ſubindèque diſputauimus, nedùm ibidem per quinquè Quæſtiones, verum etiam in primo lib. Meteorologicorum, habita occaſione textus, ſoluimus nonnullas Difficultates ad eandem materiam ſpectantes, vt cuicumque intuenti patere poterit. In præſenti autem Diſputatione, nè textus eiuſdem Philoſophi, ſuis viduatos Quæſtionibus relinquere videamur, agendum nobis erit de eorumdem Elementorum mutua Generatione, & Corruptione, de quibus exagitabimus ſequentes Quæſtiones, illaſque ſoluemus ad mentem Doctoris Subtilis, & primo. Vtrum Elementa ſint generabilia, & corruptibilia ſecundum totum, vel ſolùm ſecundum partem? Secundo. Vtrum quodlibet Elementum ex quolibet generari poſſit, & quomodo? Tertio. Vtrum ſit facilior tranſmutatio in ſymbolis, quàm in diſſymbolis Elementis? Quarto. Vtrum ex duobus Elementis poſſit gigni aliquod tertium?

Vtrum Elementa ſint generabilia, & corruptibilia ſecundum totum, vel ſolùm ſecundum partem?

QVÆSTIO I.

FVit olim, temporibus Ariſtotelis, Antiquorum Philoſophorum ſententia, communiter aſſerens, quatuor elementa eſſe ingenerabilia, & incorruptibilia, quippeque cùm ſint materia, ex qua immediatè generentur Mixta, ſortiri debent eaſdem affectiones quibus materia prædita eſt, alioquin

Digitized by Google

quin non eſſent prima elementa, ſi ex alijs generarentur, ſicut nec eſſet materia prima, ſi ex priori gigneretur materia. Ita Empedocles relatus ab Ariſtotele in 3. lib. de Cœlo, & Mundo. Sum. 6. 7. & 8. & in hoc 2. lib. de Generatione à t. 37. vſque ad finem illius capitis, quem videntur ſequuti nonnulli ex Recentioribus, quorum meminit Maſtrius de Generatione, & Corruptione. Diſput. 6. quæſt. 1.

Oppoſitam tamen ſententiam ſtatuit Ariſtoteles in ſua Peripatetica Schola, docens, quatuor elementa eſſe corpora naturalia, compoſita ex materia, & forma, & ſolùm dici ſimplicia per ordinem ad miſta, ex quibus coaleſcunt, vt videre eſt in hoc 2. lib. textu 54. 55. & alibi. Ariſtotelem ſequuti ſunt omnes Peripatetici, vt videre eſt in ſuis Commentarijs, partim ſuper 3. lib. de Cœlo, & Mundo, Summa 6. 7. & 8. partim verò in hoc 2. lib. à textu 37. vſque ad finem libri. Et præſertim Doctor Subtilis in 2. diſtinct. 15 quæſt. vnica quem nos retulimus, & ſecuti ſumus in 3. lib. de Cœlo, & Mundo diſput. vnica qu. 2.

An verò Elementa ſint generabilia, & corruptibilia ſolùm ſecundum partes, vel etiam ſecundum totum; non conueniunt Doctores, quibuſdam partem affirmatiuam, alijs verò negatiuam aſſerentibus, loquendo de generatione, & corruptione ſecundum totum tantùm.

Quid autem ſit nobis dicendum ſecundum genuinam ſententiam Scoti, quibuſdam de more obſeruatis, erit manifeſtum in concluſionibus infraponendis, ac probandis.

Pro totius quæſtionis declaratione, ac fundamentali reſolutione, notandum eſt primo ex Ariſtotele 2. Phyſicorum à textu 4. & 10. ac alibi ſepiùs, corpus naturale eſſe illud quod conſtat natura; & quia natura dicitur de materia, & forma, ſequitur illud dici corpus naturale, quod eſt compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali. Hoc autem eſt duplex, nempe ſimplex, & mixtum, mixtum eſt, quod præuia miſtione elementorum, quatuor primis qualitatibus eſt affectum. Simplex dicitur id, quod caret quatuor qualitatibus tangibilibus, nimirum caliditate, & frigiditate, humiditate, & ſiccitate. Et hoc partitur in æthereum, & elementare. Æthereum, ſeù Cæleſte diuiditur in nouem corpora cæleſtia, de quibus ſatis egimus in libris de Cœlo, & Mundo. Elementare verò partitur in quatuor elementa ſcilicet in Ignem, Aerem, Aquam, & Terram, de quibus pariter ſermonem habuimus in 3. lib. de Cœlo, & Mundo, & lib. 1. Meteorologicis. Ex his infertur, quod elementa, cùm ſint corpora ſimplicia, & hæc ſint corpora naturalia, & iſta ſint compoſita ex materia, & forma ſubſtantiali, pariter ſint corpora naturalia, compoſita ex materia, & forma ſubſtantiali.

Secundo Notandum ex eodem Ariſtotele in primo Phyſicorum textu 81. & 82. Materiam eſſe principium paſſiuum generationis, & corruptionis; & ex 9. Metaphyſicorum textu 17. eſſe potentiam contradictionis, qua res materialis contingit eſſe, vel non eſſe, ideſt generabilis, vel corruptibilis. Ex quibus inferendum eſt, quod vbicumque reperitur materia, ibi adeſt principium generabilitatis, & corruptibilitatis, & per conſequens tale, de neceſſitate, fore generabile, & corruptibile. Cum igitur quatuor Elementa ſint corpora naturalia, ſimplicia, vt ſimplicitas opponitur miſtioni, concludendum eſt, illa de neceſſitate eſſe corpora generabilia, & corruptibilia.

Tertio Notandum eſt, ex eodem Ariſtotele in tertio de Celo, & Mundo Summa 6. textu 52. & ex Doctore Subtili in 2. diſtinct. 2. quæſt. 12. ſub C. & in 4. diſtinct. 49. qu. 13. ſub B. Elementa eſſe generabilia, & corruptibilia, dupliciter contingit, vel ſecundum totum, vel ſecundum partes; tunc dicerentur gigni, & corrumpi ſecundum totum, cum forma ſubſtantialis vnius totaliter deſineret eſſe in ſua materia, vel ab intrinſeco per actionem ſui contrarij expugnantis ſuum contrarium: vel ab extrinſeco per actionem agentis fortioris ſuperuenientis, & opprimentis reſiſtentiam debilioris. Priori modo aqua dicitur extinguere, & corrumpere totaliter ignem ſibi contrarium per corruptionem, quæ vocatur extinctio, per frigiditatem, pugnantem cum caliditate ignis, & per humiditatem expugnantem ſiccitatem eiuſdem, in quibus conſeruabatur forma totalis ignis. Poſteriori autem modo ignis paruus dicitur opprimi ab igne magno ſuperueniente, ſic-

O 2 que

que corrumpi per corruptionem, quæ appellatur marceſcentia. Tum autem dicerentur gigni, vel corrumpi, cùm forma vnius, conſeruata ſub protectione duarum qualitatum diſparatarum, partialiter deſineret eſſe, cedendo ingreſſum alteri, per deſtructionem vnius illarum qualitatum, & ſic aer dicitur tranſire in aquam, deſtructa prius eius caliditate per frigiditatem aquæ, & quodlibet elementum ſymbolum in ſibi ſymbolum corrumpi, expugnata prius altera qualitate diſſymbola. Ex his infertur primo quod elementa omnia, cũ ſint contraria, vel ſecundum totũ, vt ſunt diſſymbola; vel ſecundum partem, eſſe ad ſeinuicem generabilia, & corruptibilia ab intrinſeco, aliqua ſecundum totum, & aliqua ſecundum partes, vt explicabimus in ſequenti quæſtione. Secundo infertur non poſſe tamen omnia elementa gigni, & corrumpi ſecundum totum, tùm quia ſunt ita æquè librata in actiuitate, & reſiſtentia, vt vnum non poſſit aliud totaliter vincere & expugnare, alioquin tolleretur ordo, & bonum Vniuerſi, quæ ſita videntur in perpetua conſiſtentia partium, tùm cæleſtium, tùm elementarium ſuis in locis, tùm etiam, quia vt inquit Doctor Subtilis in 2. diſtinct. 2. quæſt. 12. ſub C. *ordo formarum naturalium ſuccedentium ſibi in generatione naturali ita determinatus eſt ab inſtituente naturam, & ideo reſpectu cuiuſcumque agentis naturalis eſt neceſſarius, ita quod nullum agens naturale poteſt facere immediatè acetum ex vino, ergo cum à Deo ſit præfixus ordo partium principalium vniuerſi cuilibet agenti creato, & virtuti creatæ, videtur iſte ordo neceſſarius, quando debet agere circa iſta, quorum eſt talis ordo.* Ergo cum talis ordo ſit poſitus circa elementa, vt agant quidem generando, & corrumpendo ſeinuicem ſecundum partes, & non ſecundum totum propter bonum Vniuerſi, vtique ſeruandus erit, quod licet omnia ſint generabilia, & corruptibilia etiam ſecundum totum, non tamen ſecundum totum corruptioni, ac generationi ſint obnoxia.

Ex his ſit prima concluſio. Elementa omnia ſunt generabilia, & corruptibilia, ſiuè ſecundum partes, ſiuè ſecundum totum. Colligitur ex Ariſtotele, & Scoto in præcitatis locis. Probatur prima pars, quia omne corpus naturale eſt generabile, & corruptibile, ſed elementa ſunt corpora naturalia, ergo elementa ſunt generabilia, & corruptibilia. Maior probatur, quia omne corpus naturale conſtat ex materia, & forma, quæ ſunt naturæ, & à quibus dicitur habere eſſe naturale, ex Ariſtotele ſecundo Phyſicorum à textu 4. & inde vſque 15. ſed materia, & forma ſunt principium generabilitatis, & corruptibilitatis ex primo Phyſicorum textu 81. & 82. & 9. Metaph. t. 17. ergo omne corpus naturale eſt generabile, & corruptibile. Minor liquet, cum omnia elementa ſint corpora ſimplicia, compoſita ex materia, & forma ſubſtantiali, à quibus habent, vt ſint corpora naturalia, ac proindè generabilia, & corruptibilia. Secunda pars probatur, quia totum elementum ſecundum omnes ſuas partes eſt eiuſdem naturæ; eadem enim ratio eſt totius, & partis, vt docet Ariſtoteles tertio Phyſicorum textu 52. & primo de Cęlo, & Mundo t. 18. & 19. ac alibi pluribus in locis, ergo ſi eſſe generabile, & corruptibile conuenit elementis ſecundum totum, & ſecundum partes conuenire debet, ac proindè elementa, ſiuè ſecundum totum, ſiuè ſecundum partes ſunt generabilia, & corruptibilia.

Secunda Concluſio. Quamuis Elementa ſint generabilia, & corruptibilia, tùm ſecundum totum, quàm ſecundum partem, non tamen ſunt generationi, & corruptioni obnoxia ſecundùm totum, verùm ſecundum partes dumtaxat. Eſt Ariſtotelis in tertio de Cęlo, & Mundo Sum. 6. cap. vn. textu 52. & colligitur ex Doctore Subtili in 2. diſtinct. 2. quæſt. 12. ſub C. & in 4. diſtinct. 49. quæſt. 13. infra B. & D. Thoma in 2. diſt. 19. qu. vn. art. 2. ad 2. & 2. lib. contra Gentes cap. 9. quos poſtea ſequuti ſunt eorum Diſcipuli, & ex alienis nonnulli, quos referunt Maſtrius hic Diſp. 6. quæſt. 1. & Ruuius in Tract. de Generatione Elementorum hic cap. 6. qu. 1. nu. 18. Probatur prima pars ex Scoto in 2. diſt. 2. quæſt. 12. quia ordo præfixus à ſuperiori agente nequit ab vllo agente creato ſeù inferiori immutari; quinimò neceſſariò ſeruandus, ſed ordo poſitus circa elementa in conditione Vniuerſi ab eius conditore, eſt, quod agant quidem in ſeinuicem generando, & corrumpendo ſecun-

dum partes ob bonum Vniuerſi , non autem ſecundum totum , ergo talis ordo de neceſſitate conſeruandus eſt à quouis agente creato. Maior de ſe liquet, quia agens inferius non habet virtutem ſuper operibus agentis ſupremi , ad eorum deſtructionem, cum ſit in perfecta obedientia ad illud , ergo nequit inuertere ordinem ab eodem præfixum in conditione Vniuerſi . Minor patet , quia bonum Vniuerſi conſiſtit in perpetua conſiſtentia partium eiuſdem , nedùm ad ornatum diſpoſitarum , verùm etiam ad perpetuitatem generationum , & corruptionum , quæ omninò tolleretur ab eodem ſi elementa poſſent in ſeinuicem in totum deſtrui , & corrumpi . Secundò probatur , nàm ſi elementa poſſent ad ſeinuicem agere , & pati ad totalem corruptionem , poſſet naturaliter dari vacuum , à quo abhorret natura . Sequela probatur , quia ſi elementa ſuperiora , nempe ignis , & aer conuerterentur in inferiora , hoc eſt in aquam , & terram , neceſſariò condenſarentur , ac proindè eorum partes occuparent minorem locum , ſicque relinquerent partes loci, quæ prius latiores erant vacuas : Si verò inferiora elementa , nempe aqua , & terra conuerterentur in aerem , & ignem , rarefierent earum partes , & ſic loca plus æquo extenderentur in ſuperioribus , & inferiora relinquerentur vacua , quæ forent valdè abſurda , ergo hæc , vt euitentur concludendum eſt , elementa non eſſe in totum corruptioni obnoxia . Secunda pars probatur ex eodem Scoto in 4. d. 49. q. 13. ſub B. ſiquidem elementa omnia ſunt æque librata in actiuitate , & reſiſtentia , vt poſſint quidem agere , & pati ſeinuicem transmutando propter bonum rerum ſublunarium , ſed non ſecundum totum , vt oſtendimus in præcedenti , ergo ſecundum partes tantum. Minor confirmatur , quia ſi non eſſent æquè librata ſecundum totum , ignis , cùm actiuior cæteris , conſumpſiſſet hactenus cætera elementa , ac proinde eſſet tantum vnicum elementum , quod eſſet abſurdiſſimum in natura , ergo vt tale tollatur, concludendum eſt elementa ad ſeinuicem corrumpi , & generari ſecundum partem, & non ſecundum totum .

Obijcitur primo contra primam concluſionem . Quia ſi omnia elementa eſſent generabilia, & corruptibilia , poſſent etiam actu generari, & corrumpi , ſed conſequens eſt impoſsibile, ergo etiam impoſſibile erit quod elementa ſint generabilia , & corruptibilia . Maior probatur , quia potentia agentis , & patientis nequit dignoſci , niſi per actum , ergo admiſſo antecedenti , neceſſariò debet admitti conſequens . Minor probatur , quia nec aer ignem , nec ignis aerem , nec aqua terram , nec terra aquam , quæ ſunt elementa ſymbola valent ſe adinuicem corrumpere , aut generare , ergo nullum elementum poterit aliud generare , vel corrumpere . Antecedens probatur, quia ſi aer poſſet ignem corrumpere, calor aeris poſſet calorem ignis vincere , & humiditas aeris ſiccitatem ignis deſtruere ; & econuerſò ſi ignis poſſet aerem deſtruere , qualitates eius poſſent qualitates illius expugnare : ſimiliter dicendum eſſet de aquæ , terræquè elementis ſi poſſent ſeinuicem corrumpere , & gignere , ſed nullum horum admitti poteſt , ergo non eſt poſſibilis generatio, & corruptio horum elementorum . Maior patet. Minor probatur , quia generatio, & corruptio fit ob pugnam , & victoriam contrariorum , ſed nec calor ignis , & calor aeris : ſicut nec frigiditas aquæ , & frigiditas terræ ſunt contraria , ergo ex parte talium qualitatum , nequibunt talia elementa ſeinuicem gignere , & corrumpere . Nec etiam ex parte aliarum qualitatum , quàmuis ſint contrariæ , quandoquidem , vt inquit Scotus in 4. d. 49. q. 13. B. ſunt ita æquè libratæ in actiuitate , & reſiſtentia , vt neutra alteri præualere poſſit , & illam vincere . Eodem pacto poſſumus arguere de elementis diſſymbolis , ergo nullum elementum valet aliud gignere , corrumpere , ac proinde nullum erit generabile, & corruptibile .

Reſpondetur negando minorem . Ad probationem negatur antecedens. Ad cuius probationem illam admittimus ſi agatur de generatione , & corruptione elementorum ſecundum totum, negamus autem illam , ſi ſermo ſit de partiali Generatio-

tus de Saxonia ibidem q. 7. Toletus ibid. q. 8. Conimbticenſes cap. 4 q. 1. art. 2. & alij plures, quos referunt Ruuius cap. 6. q. 1. n. 21. & Maſtrius loco citato, quos pariter ſequitur ibi n. 8.

Alij, quaſi mediando, diſtinguunt inter elementa ſymbola, & diſſymbola, inquiuntque, poſſe quidem ſymbolum in aliud ſymbolum immediatè tranſire, non verò diſſymbolum, quin prius tranſeat, vel in aliquod miſtum, vel in elementum ſymbolum, ad hoc vt tranſire valeat in aliud diſſymbolum. Sic Themiſtius lib. 5. Phiſicorum ad t. 9. Sotus 4. Phyſic. q. 2. arr. 1. Valleſius ibidem cap. 5. quos recenſet, ac ſequitur Ruuius citatus ſub numero 22. vbi teſtatur, hanc eſſe expreſſam ſententiam Ariſtotelis hic t. 27. Sum. 2. cap. 1. quod an ſit verum, nec ne, inferiùs eſt dicendum.

Quid autem ſit nobis reſpondendum de mente Doctoris Subtilis, aliquibus de more adnotatis, patefiet in concluſionibus infra probandis.

Primo igitur notandum eſt, ex Ariſtotele hic à t. 24. & indè, ac communiter ex eius Expoſitoribus, elementa eſſe in duplici differentia, ſiquidem alia ſunt ſymbola, & alia diſſymbola. Elementa ſymbola ſunt, quæ participant de vna qualitate communi, vt Ignis, & Aer communicantes in caliditate; Aer, & Aqua in humiditate: Aqua, & Terra in frigiditate, & Terra, ac Ignis in Siccitate, quandoquidem Ignis eſt calidus, & ſiccus: Aer calidus, & humidus: Aqua humida, & frigida: & Terra eſt frigida, & ſicca. Diſſymbola verò elementa dicuntur illa, quę in nulla qualitate communi conueniũt, ſed conſtant ex qualitatibus ambabus ad inuicem contratiè pugnantibus, vt Ignis, & Aqua: Aer, & Terra: Ignis namque cùm ſit calidus, & ſiccus, pugnat cum Aqua, quæ eſt frigida, & humida: ſimiliter aer cùm ſit humidus, & calidus pugnat cum Terra, quæ eſt ſicca, & frigida: ſiccum enim, & humidum: calidum, & frigidum ſunt contraria. Ex quibus infertur, quod elementa, quæ vocantur ſymbola, poſſunt etiam inadæquatè dici diſſymbola, ſi adinuicem comparentur: Ignis enim, & Aer, ratione caliditatis ſunt ſymbola, cum in ipſa conueniant: ratione verò ſiccitatis eſt diſſymbolus cum aere, quia pugnat cum humiditate illius ſibi contraria, Aer, & Aqua dicuntur ſymbola in humiditate, diſſymbola vero in caliditate, & frigiditate, ratione quarum pugnant adinuicem: Aqua, & Terra ſymbolizantur quidem in frigiditate, ſunt verò diſſymbolæ in humiditate, & ſiccitate, in quibus contrariantur: Terra deniquè & Ignis ſymbolizantur in ſiccitate communi, diſſymbolizantur autem in frigiditate, & caliditate, in quibus diſconueniunt, & ſecum pugnant. Quæ verò appellantur diſſymbola elementa, vt Ignis, & Aqua: Aer, & Terra, ſunt ſympliciter diſſymbola, cum in ambabus qualitatibus diſconueniant, & ad inuicem contratientur, ac pugnent.

Secundò. Notandum eſt ex Merinero hic Diſp. 2. q. 1. n. 2. elementa ſiuè ſymbola, ſiue diſſymbola adinuicem comparata poſſe dupliciter attendi, vno modo ab intrinſeco, & ſecundum proprias qualitates ſibi inditas à natura: alio modo non ſolùm ſecundum illas, verum etiam ſecundum alias cauſas, quę ab extrinſeco ſibi aduenire poſſunt. Si priori attendantur modo, quàmuis elementa poſſint in ſeinuicem agere, & re pati ad aliquam alterationem, non tamen ita efficaciter hoc præſtare poterunt, vt vnum in aliud immediatè tranſmutatur, ſeù conuertatur: tùm quia experientia conſtat, quod elemẽta, licet ſint contigua, & adinuicem approximata, ac proindè ad agendum, & patiendum in ſeinuicem diſpoſita, numquam tamen, vt vnum in aliud conuertatur, alioquin per ſolam applicationem aeris ad ignẽ, poſſet ignis conſeruari abſque alio pabulo, quod nullatenus eſt admittendum: tùm etiam, quia elementa, adinuicem comparata, videntur ita temperata ab inſtituente naturam, vt quãuis poſſint agere inſeinuicem, nõ tamen ita fortiter, vt vnum valeat in ſe aliud conuertere: ignis enim licet habeat caliditatem in ſummo, & ſiccitatem infra ſummum, quibus mediantibus potens eſt producere in alieno ſubiecto calorem in ſummo, & ſiccitatem infra ſummum, ac proindè illud vltimatè diſponere ad generationem ignis; nihilominus in aqua ſibi diſſymbola id præſtare non poterit, quia in ipſa adeſt frigiditas in ſummo, & humiditas infra ſummum, quæ reſiſtendo impediẽt caloris, & ſicci effectus, nè in aqua recipi valeant: ſimiliter in elementis ſymbolis, & ſi aer non habeat frigiditatem, per quã

concurrẽtibus illis cauſis, etiam immediatè, ſiuè ſint elementa ſymbola, ſiuè diſſymbola.

Ex his ſit prima conclusio. Elementa, ſiuè ſymbola, ſiuè diſſymbola, ex proprijs virtutibus innatis ſolitariè attenta, nequeunt immediatè ſe mutuò conuertere, ſeù generare, ſecundum totum, licet benè ſecundum partem. Colligitur clariſſimè ex Scoto in 2. diſtinct. 17. quæſt. 2. & in 4. diſtinct. 47. quæſt. 2. §. De ſecundo, &c. B. vbi habet, quod aer non poteſt conuerti in ignem, eo quia non ſit eius materia proportionata, nec ignis in aerem, quin prius inflammet, & combures vapores, & exhalationes craſſas illas conuertendo in aerem purum: vapor enim non ignitus non ſic eſſet ſtatim conuertibilis ab igne in purum aerem propter qualitates contrarias. Magiſtrum ſequitur Rubeus hic Diſputation. 5. quæſt. 6. §. Dico 2. & 3. licet non vniuerſaliter hoc videatur aſſerere de quolibet Elemento ſymbolo verùm duntaxat de aliquibus. Ex alienis videntur adhærere huic opinioni Arriaga hic Diſputat. 4. Sect. 6. & Areſius ibidem quæſt. 15. iuxtà intelligentiam Merineri, ab eodem citati hic diſput. 2. quæſt. 1. num. 2. Eſt tamen contra Magiſtrum, Tataretum, Ruuium, & alios ab eodem Rubeo vt ſupra relatos. Probatur prima pars de elementis ſymbolis, quia ſi poſſet dari talis immediata conuerſio mutua inter elementa ſymbola ex actione, & paſſione reciproca qualitatum contrariarum eorumdem, ſequeretur, quod poſſent ſeipſa deſtruere, ſed conſequens eſt falſum, ergo, & antecedens. Sequela probatur, quia inter elementa ſymbola vnum eſt fortius, & actiuius alio, ignis enim in ſua ſphera, vt inquit Scotus in 4. diſtinct. 47. quæſt. 2. art. 1. eſt maximè, & ſummè actiuus, ita quod ſtatim conuerteret quicquid extraneæ naturæ aſcenderet ad regionem illam, ergo elementum fortius ageret in debilius, quouſque illud vinceret, & in ſeipſum conuerteret ipſum deſtruendo. Minor probatur, tùm quia experientia comprobatur, quod hactenus ex mutua elementorum actione, & repaſſione nullum in totum defecerit, ergo ſignum eſt, quod non poſſint ſe mutuò expugnare: tùm etiam, quia elementa, cum ſint ordinata ad miſtorum generationem, & conſeruationem, vt docet Ariſtoteles in hoc 2. de Generatione textu 49. ſunt ita temperata, quod licet generentur, & corrumpantur mutuo ſecundum partem propter bonum Vniuerſi, tamen in totum nequeunt ſe mutuò gigni, & deſtruere, nè ordo peruertatur Vniuerſi ab Auctore naturæ præfixus, ergo falſum eſt, quod elementa ſymbola poſſint ſe mutuò deſtruere, & per generationem conuertere ex innatarum virtutum ſola actione, & paſſione, & hoc immediatè. Secunda pars probatur de elementis diſſymbolis, quia vt conuertatur aqua in ignem, neceſſe eſt vt ignis expugnet per ſuam caliditatem, & ſiccitatem, frigiditatem, & humiditatem illius, ſed talis expulſio nequit fieri immediatè, ſed tantum ſucceſſiuè per introductionem graduum caliditatis, & ſiccitatis oppoſitorum in aqua ſecundum eſſe remiſſum, quouſque expellantur totaliter ab ea frigiditas, & humiditas, & introducantur caliditas, & ſiccitas, quæ ſint diſpoſitiones ad formam ignis gignendam, ergo cùm tales quatuor qualitates ſint diſpoſitiones poſſibiles ad formam miſti, concludendum eſt, ex aqua non poſſe fieri ignem immediatè, verùm duntaxat mediante miſto genito in tali conflictu, ſeù pugna ignis cum aqua. Conſequentia tenet, nam illæ quatuor qualitates in gradibus refractis, non poſſunt eſſe diſpoſitiones ad ignem, vel aquam: tùm quia elementum quodlibet eſt contentum tantum duabus qualitatibus, quarum altera ſit in ſummo, & altera in remiſſo: tùm etiam, quia elementum ignis eget ad ſui generationem, & conſeruationem caliditate in ſummo, & aquæ elementum frigiditate pariter in ſummo, ergo cum in tali pugna huiuſmodi qualitates introductæ, & expulſæ ſint tantum in eſſe refracto, & attemperato, non poterunt eſſe diſpoſitiones elementorum ignis, vel aquæ, ſed tantùm alicuius miſti, quod proindè ſe habeat veluti medium, per quod aqua conuertatur in ignem. Tertia pars remanet probata in ſecunda concluſione præcedentis Quæſtionis, vbi oſtendimus, omnia elementa ſeinuicem generari, & corrumpi poſſe, ſecundum partem, & non ſecundum totum.

Secunda Concluſio. Elementa, ſiuè ſymbola, ſiuè diſſymbola, attenta, non ſolùm ſecundum virtutes ſibi innatas, verùm etiam penes cauſas extrinſecas, à quibus poſſunt adiuuari in ſuis actionibus, & paſſio-

ſi·nibus, benè valent ſe mutuò immediatè c. nuertere ſecundùm partes. Colligitur ex ec dem Doctore Subtili in 2. diſtinct. 17. q. 2 ſub B. vbi inquit, *paruum ignem non poſſe aſcendere vſque ad ſperam ignis propter virtutem paruam ipſius, non potentem reſiſtere corrumpentibus ipſam.* Et in 4. diſtinct. 49. quæſt. 13. infra B. ſubdit, *non obſtante contrarietate elementorum, ſi eſſent accepta in tanta quantitate mol·s, & virtutis, quod nullum eorum poſſet aliquod aliud, vel aliqua alia vincere, vel ab alio, vel ab alijs vinci. & ſic proportionata includerentur perpetuo in quocumque corpore, nunquam eſſet ibi corruptio alicuius illorum, quia & ſi contrarietas, tamen proportionata æqualitas.* Ergo ex oppoſito, ſi elementum vnum eſſet in maiori quantitate molis, & virtutis, & applicaretur ad ſuum contrarium, ſequeretur immediata corruptio illius, quod non haberet tantam quantitatem molis, & virtutis ad reſiſtendum: Ex quibus infertur, quod magnitudo, vel paruitas elementorum ſunt cauſæ, adiuuantes eorumdem virtutes innatas, vt immediatè poſſint ſe vincere, aut vinci mutuò, conuertere, & conuerti per generationem. Doctorem Subtilem ſequuntur Maſtrius his Diſput. 6. quæſt. 2. num. 8. 9. & 10. Merinero Diſput. 2. quæſt. 1. num. 13. & multi alij, quos retulimus ſuperius pro ſecunda ſententia. Probatur primo auctoritate Ariſtotelis in textu 24. vbi de omnibus elementis concludit inquiens: *Quapropter vniuerſaliter quidem manifeſtum eſt, quod omne ex omni generari natum eſt.* Secundo probatur vnica ratione communi de omnibus tùm ſymbolis, tùm diſſymbolis ſimul, quia contraria omnia, ſi non fuerint impedita, mutuò ſe expugnant, vſque ad corruptionem vnius, & generationem alterius, ſed omnia Elementa ſunt contraria, & poſſunt non eſſe impedita; quinimò adiuta extrinſecè ex concurſu illius triplicis cauſæ, quas recenſuimus in 3. Notat. ergo ſi ad inuicem applicata fuerint, poterunt ſe mutuò expugnare vſque ad interre-ctionem alterius, & ſe mutuò conuertere. Maior eſt Maxima Ariſtotelis, pluribus in locis canonizata, & præſertim hic in t. 24. vbi ſcripſit: *Generatio enim in contraria, & ex contrarijs.* Et non niſi quàm per expugnationem mutuam, vt ibidem pluribus exemplis ſubdit demonſtrando in contrarijs, ergo omnia contraria mutuò ſe expugnant, ſi non fuerint impedita, vſque ad corruptionem vnius, & generationem alterius. Minoris prima pars eſt eiuſdem in eodem textu 24. vbi ſubdit. *Elementa autem omnia habent contrarietatem adinuicem, quia differentia ſunt contraria*, ſicut exemplicat de omnibus; ſiquidè ignis eſt calidus, & ſiccus, aer calidus, & humidus, aqua humida, & frigida; & terra frigida, & ſicca: modò calidum, & frigidum: humidum, & ſiccum ſunt differentiæ contrariæ. Secunda pars minoris probatur varijs experientijs, tàm in ſymbolis, quàm in diſſymbolis, ignis enim in ſua ſphæra, cùm ſit contiguus ſuperiori aeris regioni inflammat illam, in his inferioribus per reflexionem radiorum ſolis in cryſtallum, vel calybem aer accenditur: in ſubterraneis aqua vertitur in aerem, & econuersò aer in aquam tranſmutatur: terra per exhalationes terreſtres, conuertitur in ignem, & ignis in terram econuersò vertitur, ſi in parua quantitate operiatur magna quantitate terræ, quandoquidem extinguitur, & conuertitur in terram; ſimiliter in diſſymbolis, paruus ignis in magnam aquæ quantitatem inic ctus, extinguitur, & in aquam conuertitur, ſimiliter gutta aquæ in ignem magnum delapſa, ſiuè proiecta, immediatè exſiccatur, & in ignem tranſmutatur per generationem, ſicut per corruptionem deperditur eius forma, non enim mutari poteſt in aliud elementum, vel miſtum, cùm agens, à quo perimitur, non habeat in ſua virtute diſpoſitiones ad formam alterius elementi, quare debet conuerti in ſeipſum, & non in aliud elementum, ergo cum omnia elementa ſint contraria, & poſſint non eſſe impedita, ſaltem intrinſecè, ſed adiuta extrinſecè ab illis cauſis, narratis in 3. Notat. vt experientiæ ſuprapoſitæ teſtantur, ſequitur, quod omnia elementa, tàm ſymbola, quàm diſſymbola benè valeant in ſeinuicem conuerti, & tranſmutari. Conſequentia liquet, non ſolùm exemplis in antecedente, verùm etiam in illis, quæ retulimus in 3. Notat. pro verificatione neceſſitatis illarum cauſarum, quas pro ad iumento adduximus, ad hoc, vt elementa, ſiuè ſymbola, ſiuè diſſymbola, valeant in ſeinuicem immediatè tranſmutari.

Tertia Concluſio. Probabile eſt, ſine detrimento ſententiæ Ariſtotelis, elementa, ſiuè

ſiuè ſymbola, ſiuè diſſymbola, poſſe ſeinuicem tranſmutari, ex ſolis virtutibus proprijs innatis, & contrarijs abſque vllo adiutorio extrinſeco, non ſolùm mediatè, ſed etiam immediatè. Sic Maſtrius citatus num. 8. de mente Ariſtotelis hic textu 24. & ſequentibus, & Doctoris Subtilis in 4. diſtinctione. 43. quæſt. 3. ſub E, & F. & diſtinct. 49. quæſt. 13. ſub C. contra Merinerum tenentem oppoſitum, quem ſequitur Rubeus hic Diſput. 5. quæſt. 6. §. Dico 2. & 3. vbi citat Scotum pro ſe in 2. diſtinct. 17. quæſt. 2. infra B. & in 4. diſtinct. 47. quæſt. 2. art. 2. Probatur primo ratione Ariſtotelis in hoc 2. textu. 24. nàm vbicumque adeſt contrarietas, non impedita, ibi poteſt eſſe immediata tranſmutatio vnius contrarij in alterum per generationem, & corruptionem, ſed in omnibus Elementis, adinuicem comparatis, adeſt contrarietas, non impedita, ergo in eis poterit eſſe tranſmutatio per generationem, vnius, & corruptionem alterius. Maior eſt eiuſdem Ariſtotelis ibidem, vbi inquit. *Generatio enim in contraria, & ex contrarijs.* Et patet etiam ex diffinitione, & natura contrariorum, tradita ab eodem in Prædicamentis cap. de Qualitate, & Quali, & lib. 5. Metaphyſicorum t. 16. cap. de oppoſitis, Contrarijs, & Diuerſis. Minor ponitur in eodem textu 24. his verbis. *Elementa autem omnia habent contrarietatem ad inuicem, quia differentia ſunt contraria:* ideſt virtutes, ſeu qualitates elementorum innatæ ſunt contrariæ: caliditas enim contrariatur frigiditati: humiditas, ſiccitati, & ignis eſt calidus, & ſiccus: aer calidus, & humidus: aqua humida, & frigida: terra verò frigida, & ſicca, ergo elementa omnia, ſiuè ſymbola, ſiuè diſſymbola, ex ſolis ſuis virtutibus naturalibus, præciſis quibuſcumque cauſis extrinſecis, poterunt in ſeinuicem tranſmutari per generationem, & corruptionem. Secundo probatur ex Scoto in 4. diſtinct. 49. quæſt. 13. ſub C, quia formæ, quæ ſunt eiuſdem ſuſceptiui proximi, ſunt eiuſdem generis phyſici, ſuntque contrariæ, non prohibentur, immo ſunt principia mutuæ actionis, & paſſionis ex Ariſtotele 5. Metaphyſicorum textu 33. & 10. Metaphyſicorum textu 22. ſed formæ omnium elementorum ſunt eiuſdem ſuſceptiui proximi, & eiuſdem generis proximi, ideſt phyſici nempè eiuſdem materiæ, ergo non prohibentur habere actionem, & paſſionem mutuam, immò erunt principia actionis, & paſſionis mutuæ, & ſic ſe corrumpendi, & generandi immediatè. Conſequentia patet ex eodem Ariſtotele 10. Metaphyſicorum textu 22. vbi dicit, tranſmutationem eſſe ex ſolis oppoſitis contrarijs: *Ex his nanque Solis per ſe tranſmutari eſt quare impoſſibile eſt media eſſe non oppoſitorum, eſſet nanque profecto tranſmutatio etiam ex non oppoſitis.* Ergo cùm formæ elementorum ſint eiuſdem generis phyſici, quod dicitur medium, in quo fit tranſmutatio primò, erunt principia agendi, & corrumpendi immediata ad elementorum generationem, & corruptionem ſecundum doctrinam Ariſtotelis, & Scoti, quicquid dicant Doctores oppoſitæ ſententiæ.

Obijcitur tamen primo contra has concluſiones ordinatè, & præſertim fundamentum Ariſtotelis, quo probauimus concluſionem tertiam quæ directè videtur pugnare contra primam aſſertam à nobis de mente Doctoris Subtilis; nàm elementa omnia ab intrinſeco, & præciſis quibuſcumque adminiculis, ſunt contraria, ergo ſolis virtutibus innatis poterunt ad inuicem tranſmutari. Antecedens eſt Ariſtotelis hic t. 24. Conſequentia tenet, quia contraria ſunt principia tranſmutandi ſeinuicem per generationem, & corruptionem ex eodem Ariſtotele ibidem, & lib. 10. Metaphyſicorum textu 22. ergo præciſis quibuſcumque adminiculis extrinſecis elementa omnia cum ſint contraria poſſunt ad inuicem tranſmutari.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad cuius probationem dicimus, verum eſſe de principijs tranſmutandi remotis non verò proximis, quia ad ponendam talem tranſmutatiomem in eſſe, requiritur mutua actio quidem contrariorum in ſeinuicem; verum hæc non ſufficiet, niſi adiuuari contingat à cauſis extrinſecis, concomitantibus actionem in agentibus tranſmutantibus ad inuicem, & ſic intelligendus eſt Ariſtoteles in præcitatis locis, vt obſeruauimus in 3. Not. ex eodem Ariſtotele in tertio Phyſicorum textu 42. & 44. & in primo de Generatione textu 33. & in ſecundo de Generatione textu 49. ac ex Doctore Subtili in 2. diſtinct. 17. quæſt. 2. & in 4. diſtinct. 47. quæſt. 2. B. & diſtinct. 49. quæſt. 13. infra B. ſiquidem

dem elementa ſunt ita temperata in ſuis actionibus contrarijs, quod ſi non adiuuentur ab extrinſeco, quamuis poſſint agere in ſeinuicem vſque ad alterationem, nequeunt ſe transmutari, & conuerti tamen.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam conclusionem, quia elementa ſecundum proprias, & innatas virtutes nequeunt adinuicem transmutari, ex præcedenti concluſione, ergo nec etiam ſi adiuuentur extrinſecè ab illis cauſis adductis in 3. Notat. Conſequentia probatur, tùm quia tales cauſæ ſunt extrinſecæ, & nullum extrinſecum poteſt eſſe principium coadiuuans intrinſecum: tùm etiam, quia cauſæ recenſitæ in 3. Notat. conſiſtunt, vel in magnitudine molis, maiore, aut minori: vel in denſitate, & raritate: vel in remiſſione, ſeù debilitatione virium clementi conuertendi, facta ex conſortio, & contiguitate aliorum elementorum ſibi circunſtantium, ſed nulla aliarum cauſarum poterit eſſe principium adiuuans virtutes innatas clementorum ſeinuicem conuertentium, & conuertibilium, ergo, &c. Minor probatur, non poteſt dici prima, vel ſecunda, quia cùm conſiſtant in quantitate, quæ non eſt actiua, non poterunt adiuuare actiuitatem qualitatum elementarium: nec etiam tertia, quia talis remiſſio, aut debilitatio nequit fieri niſi per actionem virtutum contrariarum, ſed tales directè non poſſunt agere ad victoriam contrariarum, ergo neque ad remiſſionem, quia victoria non habetur niſi ex iterata pugna contrarij in contrarium, ergo cum nulla harum cauſarum poſſit eſſe principium transmutandi aliquod elementum per ſe, nec poterit eſſe conprincipium adiuuans qualitates innatas elementorum, vt valeant ſeinuicem tranſmutare.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem primam dicimus, tales cauſas eſſe quidem extrinſecas, ſi comparentur ad virtutes innatas elementorum, eſſe verò intrinſecas, ſi dicant ordinem ad effectum transmutationis, quem pariunt ſimul cum virtutibus innatis elementorum; Et cùm dicitur, quod nullum extrinſecum poteſt eſſe principium adiuuans intrinſecum, falſum eſt, in ordine ad effectum, ad quem ambo ordinantur; alioquin tollerentur conditiones ſine quibus non, connotata, & ſimilia, quod non eſt dicendum. Ad ſecundam probationem, concedimus tales cauſas, non eſſe principia per ſe, vt probant rationes adductæ: Negamus tamen, non poſſe ſubire rationem principiorum adiuuantium, vt explicauimus in 3. Notat. quia ſic non obſtat ratio magnitudinis, & quantitatis, & alterius extrinſeci, dummodo ordinentur ſimul cum principijs intrinſecis, & per ſe ad vnum, & eundem effectum communem, vt oſtendimus cum Ariſtotele, & Scoto in præcitatis locis, & communiter conceditur.

Obijcitur tertio contra tertiam concluſionem, nàm ex Scoto in 2. diſtinct. 14. qu. 1. infra D. ad hoc, vt vnum in aliud conuertatur per corruptionem, & generationem, non ſufficit contrarietas, & communicatio in materia ſecundum formas, ſed vltra hoc requiritur, vt corrumpendum ſit aptum recipere diſpoſitiones, neceſſariò requiſitas ad introductionem formæ nouæ generandæ, ergo licet omnia elementa, ſecundum ſuas qualitates innatas, ſint contraria, communicantia in eadem materia, cum tamen non ſint apta omnia recipere diſpoſitiones neceſſarias ad tranſmutationes formarum in ſeinuicem, ſequitur quod ad tranſmutationes mutuas elementorum non ſufficiat contrarietas ſuarum virtutum, ſed requirantur etiam aliæ cauſæ adiuuantes, vt diximus in præcedentibus concluſionibus. Antecedens probatur à Scoto, quia licet Cœlum communicet in materia cum elementis, nequit tamen alterari ad recipiendam formam ignis, vel acris, cùm eius forma non ſit capax peregrinarum impreſſionum, ergo ad hoc, vt vnum conuertatur, per corruptionem, & generationem, in aliud, non ſufficit contrarietas inter illa, & communicatio in materia, verùm exigitur, vt vnum ſit capax diſpoſitionum neceſſariarum ad introductionem formæ alterius. Conſequentia probatur, quia diſpoſitiones requiſitæ ad introductionem formæ ignis ſunt caliditas in ſummo, & ſiccitas infra ſummum; aeris verò caliditas infra ſummum, & humiditas in ſummo, ergo licet humiditas, & ſiccitas ſe expugnare poſſint mutuo, cùm forma aeris non ſit capax caliditatis ſummæ, nec forma ignis caliditatis infra ſummum, ſequitur quod nequeant ſeinuicem tranſmutare, & conuertere: & ſic diſcurrendum eſt in ſingulis elementis ſymbolis,

bolis: quare inferendum eſt, ad mutuam tranſmutationem elementorum non ſufficere ſolam contrarietatem virtutum innatarum, verùm prærequiri alia adinmenta extrinſeca.

Reſpondetur negando vltimam conſequentiam: nec probationes deſumptæ ex Doctore Subtili faciunt ad rem, quia contrarietates virtutum innatarum elementorum, quas dicimus ſufficere ad mutuam eorundem elementorum tranſmutationem, non excludunt aptitudinem, & capacitatem in elementis corrumpendis, diſpoſitiones formarum introducendarum de nouo, verum illas neceſſariò exigunt, ad hoc, vt poſſint ſequi tranſmutationes, vt clariſſime innuit Ariſtoteles lib. 10. Metaphyſicorum textu 22. & Scotus in 4. diſtinct. 49. quæſt. 13. dùm inquit, *omnes formæ eiuſdem ſuſceptiui proximi ſunt eiuſdem generis phyſici, & omnes tales ſunt contraria, vel media, quæ non prohibent actionem mutuam, immò ſunt principia actionis mutuæ*: Solùm igitur excluduntur cauſæ extrinſecæ, nempè magnitudo, & paruitas, denſitas, & raritas, ac ſimiles, quæ licet nonnihil conferant ad aliquas tranſmutationes, non ſunt tamen ſimpliciter neceſſariæ, cùm videantur abundè ſufficere contrarietates virtutum innatarum ad immediatam, & mutuam conuerſionem elementorum. Plura, & non ſpernenda argumenta, congerit Maſtrius, quæ breuitati ſtudentes, conſultò omittuntur, cùm poſſint ibidem videri.

Vtrum ſit facilior tranſitus, ſeu tranſmutatio in Elementis ſymbolis, quàm in diſſymbolis.

QVÆSTIO III.

HVic Quæſtioni exagitandæ occaſionem præbuit Ariſtoteles in hoc ſecundo lib. de Generatione textu 25. vbi inquit, *differt autem ipſo citiùs, & tardiùs, & faciliùs, & difficiliùs: Quæcumque enim habent cognationem adinuicem, velox horum tranſmutatio eſt: Quæcumque autem non habent, tarda, quia faciliùs eſt vnum, quàm multa tranſmutare*: Hoc eſt, quoniam ſymbola habent cognationem, ideſt conuenientiam in vna, & eadem qualitate: Diſſymbola verò in ambabus diſconueniunt, hinc concludit faciliorem, & velociorem eſſe tranſitum in ſymbolis, quàm in diſſymbolis. Verùm quia aliquibus hæc concluſio, & eius probatio viſa fuit ſemper, vel penitùs falſa, vel inſufficiens, ſiquidem, cùm ſit eadem proportio vnius qualitatis contrariæ ad vnam contrariam, ſicut duarum contrariarum ad duas contrarias, non videtur quonam pacto poſſit eſſe facilior tranſitus, aut velocior tranſmutatio inter vnam, & vnam, quàm inter duas, & duas qualitates contrarias, & per conſequens facilior, & velocior tranſmutatio inter elementa ſymbola, quàm inter diſſymbola. Hinc fit, quod in explicanda Ariſtotelis mente, non fuerit concors quorundam Interpretum ſententia, quinimò in diuerſa, variaque abierint placita, vt videri licet apud Recentiores, & præſertim apud Maſtrium, & Rubeum ex noſtris, à quibus etiam impugnantur.

Cæterùm, quia hic duntaxat agendum eſt de veritate, vel falſitate concluſionis Ariſtotelis, & quonam pacto ſubſiſtere valeat eiuſdem probatio, cæteris omnibus poſthabitis, iiſque dimiſſis in ſua probabilitate, nonnullis, quæ facere videntur ad rem, obſeruatis, noſtram de Ariſtotelis mente, aperiemus ſententiam.

Primo ergo notandum eſt, ex aliàs obſeruatis, elementa partiri in ſymbola, & diſſymbola. Illa vocantur elementa ſymbola, quæ in ſuo fieri, & eſſe, habent cognationem vnius qualitatis, ambobus communis in ſpecie, & ſic ignis, & aer; quia conueniunt in caliditate: aer, & aqua in humiditate; aqua, & terra in frigiditate: terra, & ignis in ſiccitate, quamuis diſconueniant, quo ad intenſionem, & remiſſionem, appellantur elementa ſymbolica. Illa verò dicuntur elementa diſſymbola, quæ in ſuo fieri, & eſſe nullam habent cognationem in qualitatibus, ſed conſtant ex his penitùs contrarijs, vt ignis, & aqua: aer, & terra ignis enim, cùm ſit calidus, & ſiccus, contrariatur omninò aquæ, quæ eſt humida, & frigida: ſimiliter aer, cum ſit calidus, & humidus, aduerſatur penitùs terræ, quæ eſt frigida, & ſicca, quapropter hæc elementa, cùm in nulla qualitate communi conueniant, proptereà appellantur diſſymbolica.

Secundo Notandum eſt, ex hactenus obſeruatis cum Ariſtotele in explicatione

t. 24.

t. 24. & 25. ac alibi, elementa ex ſeinuicem generari, tunc accidere, cum forma vnius, vi alterius agentis, expellitur à ſua materia, & propria introducitur. Hæ autem mutationes fiunt virtute qualitatum contrariarum inter ſe pugnantium; ſiquidem cum in tali pugna, alteram ab altera vinci, ac ſuperari contingat, ſequitur deſtructio formæ elementi ſuccumbentis in tali materia, & introductio formæ alterius elementi vincentis in eadem materia, ac proindè tranſmutatio elementi victi, ac ſuperati in aliud, à quo victum, & ſuperatum eſt. Verùm quoniam elementa, quæ adinuicem pugnant, & tranſmutari poſſunt, ſunt, vel ſymbola, vel diſſymbola, quæritur modo, quorum tranſitus ſit facilior, & velocior, aut difficilior, vel tardior, eorum, quæ ſimbola, aut quæ diſſymbola vocantur.

Tertio Notandum ex ſuperius dictis in præcedenti quæſtione, elementa tranſmutabilia poſſe tripliciter attendi, vel ſecundum proprias naturas, vel vt comparantur ad qualitates actiuas, inter ſe contrarias: vel ad omnia, quæ ad tranſmutationem in ſeinuicem concurrere ſolent. Si elementa tranſmutabilia attendantur primo modo, & ſecundum propriam vniuſcuiuſque naturam, dicendum eſt, ſymbola facilius, & velociùs tranſmutari, quàm diſſymbola; ſiquidem, vt optime probat Ariſtoteles in eodem textu 25. diſſymbola habent plures difficultates ſuperandas, quàm ſymbola: in prioribus enim omnes qualitates ſunt contrariæ, vt patet in igne, & aqua; aere, & terra: in poſterioribus verò vna tantum qualitas eſt contraria, vt liquet videri in igne, & aere: aere, & aqua, aqua, & terra: terra, & igne, quæ omnia dicuntur ſymbola, vt diximus in primo Notat. Si autem ſpectentur ſecundo modo, hoc eſt in comparatione ad virtutes actiuas agentium, à quibus elementa tranſmutari poſſunt, dicendum eſt, quod pari facilitate poterunt tranſmutari diſſymbola, ac etiam ſymbola; nàm ita facile eſt agenti ſecundum duas qualitates expellere à paſſo duas qualitates contrarias, ſicut etiam agenti, ſecundum vnam qualitatem expellere vnam qualitatem contrariam, cùm vtrobique adſit eadem proportio in agendo, & reſiſtendo. Si deniquè conſiderentur elementa tertio modo, nimirum penes ea, quæ comitari poſſunt elementorum virtutes innatas, ad tranſmutationes requiſitas. Non poteſt aſſignari certa regula facilitatis, vel difficultatis inter elementa ſymbola, & diſſymbola: quandoquidem interdum faciliùs conuertuntur diſſymbola, quàm ſymbola in ſeinuicem, vt patet de gutta aquæ in fornacem ignis proiecta, & econuersò de paruo igne in foueam aquarum iniecto: ſiquidem gutta aquæ citiùs ignem, & paruus ignis in aquam conuertuntur, tranſeuntque, quàm aer incluſus in cauerna ſubterranea vertatur in aquam, & hoc ratione magnitudinis, & paruitatis, quæ, veluti ad iumenta, comitari ſolent, tales tranſmutationes, ad hoc, vt faciliùs, vel difficiliùs elementa mutuò in ſeinuicem tranſire valeant, vt fuſiùs vidimus in præcedenti quæſtione, & iterùm probabimus in præſenti.

Ex his ſit vnica concluſio. Elementa, ſi attendantur ſecundum propriam naturam tantùm, faciliùs, & velociùs tranſeunt ſymbola in ſeinuicem, quàm diſſymbola. Si verò ſpectentur, non ſolùm ſecundum proprias naturas, ſed etiam in comparatione ad virtutes actiuas agentium à quibus efficienter tranſmutari ſolent, dicendum eſt, eadem pari facilitate, poſſe tranſmutari diſſymbola, ac etiam ſymbola: Si autem elementa conſiderentur, & ſecundum proprias naturas, & habita comparatione ad virtutes actiuas agentium, à quibus tranſmutantur, & etiam penes circumſtantias, à quibus iuuari poſſunt virtutes eorum ad hoc, vt vnum in aliud conuertatur immediatè, nequit aſſignari certa regula facilitatis; vel difficultatis inter ſymbola, vel diſſymbola, verùm aliquando ſymbolum facilius, & aliquando diſſymbolum, in ſeinuicem conuertetur, & tranſibit. Colligitur ex Ariſtotele in præcitato textu 25. ac ſequentibus, ac ex Doctore Subtili in 2. diſtinct. 17. quæſt. 2. ſub B. & in 4. diſtinct. 49. quæſt. 13. infra B. quos ita interpretatur noſter Merinero in hoc 2. de Ortu, & Interitu Diſput. 2. quæſt. 1. & 2. ac ſequitur Roccus ibidem quæſt. 8. vbi inquit elementa ſymbola faciliùs tranſmutari, quam diſſymbola, cæteris tamen paribus, itaut ſint ſecundum æqualem quantitatem, diſtantiam, &c. igitur ſi talia non concurrant in ſymbolis, ſed in diſſymbolis, inferre debet, quod diſſymbola faciliùs, & velocius tranſire debeant, quàm ſymbola. Probatur prima pars tùm quia ibi eſt faci-

facilior, & velocior tranſitus vbi eſt minor difficultas ſuperanda quàm vbi adeſt maior difficultas, ſed in elementis ſymbolis eſt minor difficultas, cum adſit tantum vna qualitas contraria, quæ ſuperari debeat; in diſſymbolis verò maior difficultas, quia ambæ qualitates ſunt contrariæ, igitur in ſymbolis, erit facilior, & velocior tranſitus, quam in diſſymbolis, tùm quia licet ita facilè ſit habenti virtutem, vt octo leuare pondus, vt quatuor, ſicut facilè eſt habenti virtutem, vt quatuor leuare pondus, vt duo, tamen magis difficile eſt leuare pondus vt quatuor, quàm leuare pondus, vt duo, ſi iſta pondera ſpectentur abſolutè, & ex natura ſua, ergo à ſimili, quamuis ſit ita facilè elemento habenti duas qualitates, corrumpere in alio duas qualitates contrarias, ac eſt facilè elemento habenti vnam qualitatem, corrumpere in alio vnam qualitatem contrariam, nihilominus magis facile eſt corrumpere vnam qualitatem contrariam, quàm duas, ſi abſolute, & ſpectata illarum natura, conſiderentur, ac proindè elementa ſymbola, attenta ſua duntaxat virtute naturali, faciliùs debent tranſire in ſeinuicem, quàm diſſymbola, eodem pacto pariter conſiderata, & ſic intelligendus eſt Ariſtoteles, cùm aſſeruit elementa ſymbola faciliùs in ſymbola, quàm diſſymbola in diſsymbola, tranſmutari. Secunda pars probatur, nàm ita facilè eſt agenti ſecundum duas qualitates expellere ab eodem paſso duas contrarias qualitates, ſicut etiam agenti ſecundum vnam qualitatem, expellere vnam qualitatem contrariam, cùm vtrobique ſit eadem proportio in agendo, & reſiſtendo, ergo conſideratis elementis, non ſolùm ſecundum proprias naturas, verùm etiam in comparatione ad agentia, à quibus tranſmutantur, nulla erit diſparitas in tranſmutandis ſymbolis, ac diſsymbolis, ſed eadem facilitate, aut difficultate tranſmutari poterunt. Tertia pars probatur, quia aliquando diſsymbola faciliùs, & velociùs tranſeunt, quàm ſymbola, vt patet de gutta aquæ proiecta in fornacem ignis, quæ immediatè vertitur in ignem; ac de aere incluſo in interiori caverna terræ, qui non ita celeriter tranſit in aquam, ſed ignis & aqua ſunt elementa diſsymbola: aer verò, & aqua ſymbola, ergo in ijs nequit aſſignari certa facilitatis, aut difficultatis in ſuis tranſmutationibus regula, cùm hæ pendeant, non ſolùm à virtutibus innatis elementorum, verùm à magnitudine, paruitate, denſitate & interdùm à conſortio, quæ omnia ſolent comitari, & auxilium præbere virtutibus innatis elementorum, adhoc vt in ſeinuicem agant, & patiantur, vt ſuperius dictum eſt.

Obijcitur primo contra primam partem concluſionis quia vbi eſt maior contrarietas, ibi debet facilior, & velocior eſse tranſmutatio, ſed in elementis diſsymbolis, ſpectata ſua natura, eſt maior contrarietas, vt liquet, & manifeſtum eſt, ergo in diſsymbolis debet eſse facilior, & velocior tranſmutatio, quàm in ſymbolis. Maior probatur, quia contrarietas eſt cauſa tranſmutationis vnius elementi in aliud, ex Ariſtotele in hoc 2. lib. textu 24. ergo vbi eſt maior contrarietas, ibi debet eſse vehementior actio, ac proindè facilior, & celerior tranſmutatio.

Reſpondetur negando maiorem. Ad probationem, concludimus quidem cum Ariſtotele, contrarietatem eſse neceſsariam ad tranſmutationem vnius elementi in aliud, at negamus eſse cauſam ad faciliorem, & velociorem tranſmutationem elementorum in ſeinuicem, quinimò oppoſitum inferendum eſt, ſiquidem vbi eſt maior contrarietas eſt longior actio, & reactio, paſſio, & repaſſio, quæ potiùs tardant corruptionem elementaris formæ in elemento tranſmutando, & generationem alterius, in elemento generando, ſeu conuertendo.

Obijcitur ſecundo quia vbi eſt æqualis, & par proportio in agendo, & patiendo, ibi debet eſse pariformis tranſmutatio, quoad facilitatem, & velocitatem, ſed in elementis ſymbolis, & diſſymbolis eſt æqualis, & pariformis proportio: ſiquidem eadem proportio eſt duarum qualitatum contrariarum ad duas, ſicut vnius ad vnam: tùm in agendo, & patiendo: tùm in tranſmutando, ergo eadem facilitas, & velocitas erit in tranſmutandis diſſymbolis, ac etiam ſymbolis.

Reſpondetur, argumentum probare ſecundam partem concluſionis, non autem improbare primam partem eiuſdem; nam elementum habens tantùm vnam qualitatem, vt eſt ſymbolum, faciliùs corrumpit qualitatem vnam contrariam; quàm id, quod habet duas, vt eſt diſſymbolum; ſiquidem.

dem duo, ex natura ſua conſiderata difficilius corrumpuntur, & ſuperantur, quàm vnum tantùm.

Objicitur tertio contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis nam faciliùs, & velociùs vincitur reſiſtentia formalis elementi ſymboli ab alio elemento ſymbolo, quàm vincatur reſiſtentia formalis diſſymboli ab alio diſſymbolo, ergo nequit eſſe par tranſitus in ſymbolo cum ſymbolo, ac in diſſymbolo cùm diſſymbolo. Conſequentia tenet. Antecedens probatur, quia ad vincendam reſiſtentiam formalem accidentibus oppoſitam, non ſolùm pugnant accidentia oppoſita, ſed etiam forma ſubſtantialis, cuius ſunt accidentia ex Scoto in 4. diſt. 12. quæſt. 3. ſub C. ergo ſi forma ſubſtantialis concurrit, tàm in ſymbolo, quàm in diſſymbolo, cùm accidentibus ad vincendam reſiſtentiam formalem oppoſitam, faciliùs, & celeriùs vincet in ſymbolo, cùm pugnet tantùm, contra vnam qualitatem contrariam, quàm in diſſymbolo, vbi debet pugnare contra duas qualitates contrarias.

Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem deſumptam ex Scoto, concedimus quidem formam ſubſtantialem concurrere cum ſuis accidentibus ad vincendum reſiſtentiam formalem oppoſitam, ac negamus, formam ſymboli facilius, ac velociùs vincere reſiſtentiam formalem oppoſitam, quàm formam diſſymboli; nam licet prior pugnet contra vnam qualitatem contrariam, & poſterior contra duas, tamen quia hæc pugnet duabus armis, & illa tantùm vna, ſequitur ambas ſe habere in pari proportione pugnandi, & per conſequens, eodem modo, ſe habere in eadem pari proportione vincendi reſiſtentiam formalem oppoſitam; ac proindè non erit facilior tranſitus in ſymbolis, ac in diſſymbolis, ſi vtraque comparentur ad agentia, à quibus tranſmutantur, vt diximus in concluſione.

Vtrum ex duobus, vel pluribus Elementis, poſſit gigni tertium, aut vnum, ab illis ſpecie diſtinctum?

QVÆSTIO IV.

Circa hanc quæſtionem, varia ſunt nonnullorum placita, quàmuis Ariſtoteles in textu 27. & 29. huius ſecundi libri, videatur manifeſtiùs ſuam explicuiſſe ſententiam, loquendo de elementis ſymbolis, & aſymbolis, vt videre eſt apud Expoſitores, nam Areſius ſecundo de Generatione qu. 17. vt referunt Maſtrius, & Rubeus hic, negatiuam partem ſuſtinet de omnibus elementis, ſiuè ſymbolis, ſiuè diſſymbolis.

Alij verò communiter, ſequentes Ariſtotelem in præcitatis locis, negatiuam partem tuentur in ſymbolis, affirmatiuam verò defendunt in diſſymbolis. Ita Toletus hic qu. 10. Conimbricenſes hic cap. 4. quæſt. 3. Ruuius ibidem, Roccus quæſt. 9. Maſtrius Diſput. 6. quæſt. 4. Rubeus Diſput. 5. qu. 7. §. Collige ex dictis, ex duorum elementorum ſymbolorum congreſſu, fieri non poſſe tertium elementorum, ab illis diſtinctum, ſed benè ex congreſſu diſſymbolorum elementorum. Et hæc eſt vera ſententia Ariſtotelis, quicquid dicat Areſius cum quibuſdam paucis Recentioribus.

Pro cuius planiori declaratione, primo notandum eſt diſcrimen inter elementa ſymbola, & diſſymbola, vt pariter obſeruauimus in explanatione textus, & in quæſtionibus præcedentibus: quandoquidem ſymbola elementa habent cognationem in vna qualitate communi, licet differant ſecundum magis, & minus, ſiue penes ſummum, & infra ſummum gradum, vt ſunt ignis, & aer in caliditate, aer, & aqua in humiditate: aqua, & terra in frigiditate, & terra, ac ignis, in ſiccitate ignis enim eſt calidus in ſummo, aer verò infra ſummum; aer eſt humidus in ſummo, & aqua infra ſummum: aqua eſt frigida in ſummo, terra autem infra ſummum: demùm terra eſt ſicca in ſummo, & ignis infra ſummum. Diſſymbola autem elementa conſtant ex qualitatibus, nullam cognationem, ſiuè communicationem habentibus, cuiuſmodi ſunt, ignis, & aqua; aer, & terra; ignis enim eſt calidus, & ſiccus, aqua verò frigida, & humida: ſimiliter aer eſt calidus, & humidus; terra autem frigida, & ſicca, quæ ſunt penitùs contraria, & nullam habent cognationem ad inuicem, vt habent aſymbola.

Secundo Notandum ex ſupra dictis, vnumquodque elementum dupliciter attendi poſſe, & ſecundum eſſe ſubſtantiale, & ſecundum eſſe accidentale. Si priori attendatur modo, coaleſcit eius eſſe ex materia pri-

prima, & forma ſubſtantiali, vt alias oſtendimus, & ſic diſtinguuntur adinuicem ſpecie; ſunt enim corpora ſimplicia, ſpecificè diſtincta. Si verò poſteriori ſpectentur modo, quodlibet elementum exigit ad ſuum eſſe duas ex primis qualitatibus, quæ ſe ad inuicem compati poſſint, & non ſint contrariæ, ſed ſolùm diſparatæ, quæque ab Ariſtotele dicuntur coniugationes, cuiuſmodi ſunt caliditas, & ſiccitas: caliditas, & humiditas: frigiditas, & humiditas: & ſiccitas, & frigiditas: nàm primæ conſtituunt in eſſe accidentali elementum ignis; ſecundæ elementum aeris: tertiæ elementum aquæ; & quartæ elementum terræ. Ex quibus infertur, quod ſicut duo contraria nequeunt, ſaltem naturaliter, conſiſtere in eodem ſubiecto, ſic nec duæ qualitates contrariæ poterunt conſtituere vnum elementum in eſſe accidentali; Deindè quemadmodum duo diſparata accidentalia poſſunt verificari de eodem, vt patet in lacte, quod eſt album, & dulce, ſic dicendum eſt, quod duæ qualitates diſparatæ ſubiectari poſſunt in eodem ſubiecto, atque adeò, quod in igne ſint caliditas, & ſiccitas; in aere caliditas, & humiditas; in aqua humiditas, & frigiditas; & in terra ſiccitas, & frigiditas, quæ omnes ſunt qualitates diſparatæ, & compoſſibiles in eodem ſubiecto.

Tertio Notandum eſt, quod ex duobus, aut pluribus elementis poſſit fieri aliquod ab illis diſtinctum, dupliciter contingere poſſi, vel loquendo de ſymbolis, vel de diſſymbolis. Si de prioribus agitetur quæſtio, poteſt eſſe ſenſus; an ex igne, & aere poſſit generari aqua, & terra; vel econuerſò; an ex terra, & aqua poſſit gigni aer, & ignis; aut etiam ex aqua, & aere poſſit fieri terra, & ignis, quæ omnia ſunt elementa ſymbola. Si verò de poſterioribus intelligatur difficultas, poterit eſſe ſenſus; an ex igne, & aqua poſſit fieri aer, & terra, vel ex terra, & aere, ignis, & aqua, quæ ſunt elementa diſſymbola. Et hoc adhuc dupliciter contingere poteſt, vel effectiuè, vel materialiter. Primo modo erit, ſi vnum ſit agens, & aliud patiens, ita quod ignis ſua actiuitate corrumpat naturam aquæ; aut terra ſua ſiccitate deſtruat naturam aeris, & debilius in naturam fortioris conuertatur, & ſic nulla eſt difficultas, quinimò experientia conſtat, guttam aquæ dilapſam in fornacem ignis, & paruum ignis fruſtulum proiectum in magnam aquæ foueam, conuerti immediatè illam in ignem, & hunc in aquam, vt pote abſumpta à ſuis contrarijs agentibus vt robuſtiori, quàm ſit patientium reſiſtentia. Secundo autem modo euenire poterit, quod ipſa elementa diſſymbola paſſiuè ſe habeant ad inſtar materiæ, itaut ex vtroque auferatur altera qualitas, ſicut ſi ex igne remoueatur caliditas, & ex aqua humiditas, remanebunt ſiccitas ignis, & frigiditas aquæ, quæ cum ſint diſpoſitiones conuenientes terræ, ex eis generabitur elementum terræ, & in hoc ſenſu intelligendus eſt Ariſtoteles, cùm dixerit, quod ex duobus elementis fieri poteſt aliud elementum ab eis diſtinctum, non vero ex duobus ſymbolis, quandoquidem ſiuè remoueantur qualitates contrariæ, & diſſymbolæ, & remaneant cognatæ, & ſymbolæ; ſiuè econtrà remoueantur iſtæ, illæque remaneant, neutræ poterunt eſſe diſpoſitiones ad gignitionem alterius elementi; ſiquidem quodlibet elementum exigit duas qualitates diſparatas, & reſpuit, vel contrarias, vel ſymbolas, vt ſuperius adnotauimus.

Ex his ſit concluſio. Ex duobus Elementis diſsymbolis adinuicem concurrentibus, & pugnantibus, poteſt gigni aliud tertium, ab eis ſpecie diſtinctum; Nequaquam autem ex duobus ſymbolis. Eſt Ariſtotelis in t. 27. & 29. vbi difertis verbis, vtramque partem ſtatuit, & probat, quicquid in contrarium, extorquendo illos textus, dictitet Areſius ſuprà citatus. Probatur prima pars, quia poſitis, & diſpoſitis qualitatibus, neceſsariò requiſitis ad generationem formæ, & compoſiti naturalis de neceſſitate ſequitur per generationem forma, & compoſitum, alioquin fruſtra ponerentur tales qualitates, ſed poſitis duobus elementis diſſymbolis, & ad ſeinuicem pugnantibus, ponuntur, diſponunturque qualitates, neceſsariò requiſitæ ad gignitionem vnius elementi, ergo concurrentibus, & adinuicem pugnantibus duobus elementis diſſymbolis, poterit generari tertium ab eis diſtinctum. Maior de ſe eſt manifeſta. Minor probatur, quia ſi concurrant, & pugnent adinuicem ignis, & aqua, corrumpaturque frigiditas aquæ, & remaneat eius humiditas;

P ni-

Inſuperque corrumpatur ſiccitas ignis, & remaneat eius caliditas, cùm caliditas, & humiditas ſint qualitates diſpoſitiuæ ad gignendum aerem, ex igne, & aqua generabitur aer, qui eſt elementum diſtinctum ab eis ſpecie: ſimiliter ſi corrumpatur caliditas ignis, & remaneat eius ſiccitas, & deſtruatur humiditas aquæ, remanente illius frigiditate, cùm frigiditas, & ſiccitas ſint qualitates terræ, tunc ex iterato congreſſu ignis, & aquæ generabitur elementum terræ, Idem dicendum de congreſsu, & pugna aeris cum terra, & econuersò terrę cum aere, ſi corrumpatur frigiditas terrę, & remaneat ſiccitas; corrũpaturque humiditas aeris remanente caliditate illius, cùm caliditas, & ſiccitas ſint qualitates diſpoſitiuæ ad gignitionem ignis, ſequitur ex eis etiam generatio elementi ignis, ergo poſitis duobus elementis diſſymbolis, ac adinuicem pugnantibus, ponuntur qualitates diſpoſitiuæ ad generationem alterius elementi ab illis ſpecie diſtincti, ac proinde ex duobus elementis diſſymbolis, adinuicem pugnantibus poterit gigni aliud ab eis ſpecie diſtinctum. Secunda pars probatur, quia non poteſt gigni aliquod elementum, niſi adſint qualitates diſpoſitiuæ ad talem generationem, ſed ex concurſu duorum elementorum ſymbolorum, non poſſunt haberi qualitates diſpoſitiuæ ad generationem tertij elementi, ergo ex concurſu duorum elementorum ſymbolorum nequit fieri aliquod elementum tertium ab eis diſtinctum ſpecie. Maior patet, quia in quacumque generatione debent præcedere diſpoſitiones conuenientes formæ generandæ, alioquin quodlibet poſſet fieri ex quolibet, quod admitti non debet in vera philoſophia. Minor probatur, quia concurrant duo Elementa ſymbola, exempli gratia ignis, & aer, vel aer, & aqua, ad productionem alicuius tertij, aut in talibus congreſſibus, ſolæ qualitates ſymbolæ corrumpuntur, & remanent contrariæ: vel econuersò contrariæ deſtruuntur, & communes remanent, ſed neutræ ſunt ſufficientes diſpoſitiones ad generationem alicuius elementi, ergo ex concurſu duorum elementorum ſymbolorum non poſſunt haberi qualitates diſpoſitiuæ ad generationem tertij elementi, ab eis diſtincti. Maior patet, quia in elementis ſymbolis non reperiuntur, niſi duæ qualitates contrariæ, & vna ſymbola, ſeù communis vtriſque. Minor probatur, nam quodlibet elementum expoſcit ad ſuum eſſe duas qualitates, quarum vna ſit ſymbola, & altera diſſymbola, ſiuè contraria, non enim poſſunt eſſe ambæ ſymbolæ, aut contrariæ: ſiquidem duæ contrariæ nequeunt conſiſtere in vno, & eodem elemento, alioquin forét ſemper in pugna, & vna alteram deſtrueret: neque ſymbolę, aliter omnia elementa non eſſent contraria, & vna qualitas nequit conſtituere vnum elementum, ergo qualitates duorum elementorum ſymbolorum nequeunt eſſe ſufficientes diſpoſitiones ad generationem alicuius elementi ab eiſdem ſpecie diſtincti. Conſequentia tenet, quia quodlibet elementum, de neceſſitate exigit duas qualitates diſparatas. Neque poſſet dici, alteram contrariarum corrumpi, altera remanente ſimul cum qualitate ſymbola, & ex eis fieri vnum elementum, quia tunc non eſſet generatio alicuius tertij à prioribus ſpecificè diſtincti, verùm iterata gignitio vnius eorumdem, vt diſcurrenti patere poterit. Supereſt igitur vt concludamus, non poſſe fieri, ex concurſu duorum elementorum ſymbolorum, aliquod ſymbolum tertium ab illis diſtinctum, ſed ſolum ex congreſſu duorum elementorum diſſymbolorum, vt hactenus probatum fuit.

Obijcitur tamen multipliciter ab Aduerſarijs, & primo quia ſi duo elementa diſſymbola congrediantur, & pugnent adinuicem, vel in agendo, & patiendo ſe mutuò totaliter interimunt, vel vnum vincet aliud, vel deniquè qualitates in tali pugna ſeinuicem extenuant, & ad mediocritatem ſe reducunt, ſed in nullo caſu poteſt gigni aliquod elementum tertium ab eis diſtinctum, ergo concluſio ſuſtineri non poteſt. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minor probatur, non poteſt dici, quod generetur in primo, & ſecundo caſu, quia tunc elementũ fortius conuerteret in ſe debilius, & ſic gigneretur elementum vniuocè, & eiuſdem ſpeciei cum elemento vincente, & non tertium à prioribus diſtinctum, & equiuocè vt ſupponitur. Neque in tertio caſu, quia tunc quatuor qualitates ad mediocritatem reductæ eſſent diſpoſitiones ad generationem miſti, & non elementi, ergo nullo pacto

poſſet

poſſet gigni elementum tertium ab illis ſpecie diſtinctum.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicimus, in tali congreſſu, & pugna, duas ex quatuor qualitatibus interire, & duas relinqui, quæ vtique deſeruient ad generationem tertij elementi à prioribus diſtincti, non autem miſti, in quo exiguntur quatuor qualitates in eſſe refracto, vel remiſſo: exemplum patet in igne, & aqua, in quibus qualitates contrariæ in ſummo vincent ſuas contrarias in remiſſo, calor enim ignis vincet frigus aquæ, & humiditas aquæ ſiccitatem ignis, & ſic manebunt caliditas, & humiditas diſpoſitiuæ ad generationem aeris: vel ſi econuersò frigus aquæ perimat calorem ignis, & ſiccitas ignis interimat humiditatem aquæ, remanebunt frigiditas aquæ; & ſiccitas ignis, quæ diſponent ad generationem terræ, quæ erunt elementa tertia ab igne, & aqua diſtincta ſpecie.

Obijcitur ſecundo, quia nullum elementum diſſymbolum per ſe ſumptum continet eminenter aliud ſpecie à ſe diſtinctum, ergo nec duo ſimul ſumpta poterunt gignere aliud tertium, cum non habeant maiorem virtutem reſpectu tertij ſpecie à ſe diſtincti ſimul, ac ſeorsùm accepta. Antecedens probatur, quia illud, quod continet eminenter aliud à ſe diſtinctum ſpecie, debet eſſe perfectius eo, & quid vniuerſalius ad plura, atqui nullum elementum diſſymbolum ſeorſim ſumptum eſt perfectius, & vniuerſalius alio ſpecie à ſe diſtincto, cùm omnia ſint eiuſdem ordinis, & ſubſtantialiter, & accidentaliter, ergo nullum elementum diſſymbolum, ſiuè ſeorſim, ſiuè ſimul ſumptum cum alio, poterit continere eminenter aliud à ſe diſtinctum ſpecie, ac proinde nec ex illis poterit fieri aliud tertium à ſe diſtinctum.

Reſpondetur, totum argumentum probare, quod nullum elementum diſſymbolum, ſiuè ſeorſim, ſiuè ſimul ſumptum cum alio, poterit generare, & facere aliquod tertium à ſe diſtinctum ſpecie, effectiuè, & in genere cauſæ efficientis, ob defectum continentiæ virtualis, & eminentialis, cum omnia ſint eiuſdem ordinis, vt benè probatur, quod vtique concedimus; verùm non concludit de eiſdem elementis diſſymbolis, ſumptis in ratione actiui, & paſſiui, vt ſumuntur à nobis in propoſito, quia ſic, cum ſint contraria, & ad ſeinuicem agant, & patiantur, non ſolùm poſſunt ſeinuicem corrumpere, & generare, ſed etiam duo ſimul vnita agere diſpoſitiuè ad productionem alicuius tertij à ſeipſis diſtincti, non ſolùm numericè, ſed etiam ſpecificè, vt ſuperius probatum eſt.

Obijcitur tertio, quia duo diſſymbola nequeunt agere ad generationem alicuius tertij à ſe ſpecie diſtincti, niſi mediantibus diſpoſitionibus conuenientibus illi tertio, ſed duo elementa diſſymbola nequeunt producere diſpoſitiones in ordine ad formam, ſiuè ad compoſitum tertij elementi, cum non habeant virtutem extra ſuam ſphæram, ergo ex congreſſu duorum elementorum diſſymbolorum, nequit fieri aliquod tertium. Maior patet, quia diſpoſitiones debent præcedere generationem formæ, & compoſiti, & tales debent eſſe conformes formæ generandæ, alioquin quodlibet poſſet gigni ex quolibet, & non ex determinato, ſicut docet Philoſophia Peripatetica.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicimus verum eſſe per ſe, falſum verò peraccidens, quia ſic non inconuenit, vt vnum poſſit agere æquiuocè extra propriam ſphæram, maximè ſi coniungatur cum alio alterius ſpeciei, vt patet in miſtis, etiam inferioris ordinis; ferrum namque ſi coniungatur cum lapide, producit ignem, qui eſt alterius ſpeciei ab vtroque; igitur ſi hoc eſt concedendum in miſtis inferioris ordinis, à fortiori hoc poterit verificari in elementis, & potiſſimùm diſſymbolis, in quibus reperiuntur virtutes actiuæ, & paſſiuæ, diſponentes ad generationem, nedùm vniuocam, ſed etiam æquiuocam.

De Miſtorum generatione ex Elementis.

SVMMA III.

IN hac Summa continentur duo capitula. In quorum primo inueſtigat, quonam pacto elementa mutuo generentur, & ex eis generati poſſint miſta. In ſecundo verò demonſtrat miſta conſtare quatuor elementis.

Quoad primum proponit dubium in T. XLVI. an miſta poſſint generari ex elementis? Et priuſquam reſpondeat, ſupponit duplicem fuiſſe opinionem de elementis. Alteram aſſerentium elementa habere com-

 muncm

Digitized by Google

munem materiam, in qua poſſint tranſmutari ad inuicem: Alteram verò negantium elementorum tranſmutationem. Illi ponebant miſta gigni ex elementis per veram miſtionem: Iſti verò autumnabant miſta fieri per compoſitionem elementorum ſecundum materiam, & formam ſubſtantialem vniuſcuiuſque, diuiſorum tamen in minutiſſimas partes, ex quibus componebantur miſta. Facta hac ſuppoſitione, oſtendit vtramque opinionem pati ſuas difficultates, & ideò arguit contra illas, vt veriorem eligere valeat. Et primo contra ſecundam, quæ eſt Empedoclis, vrget illius falſitatem adducens, ſequi ex illius poſitione, tria inconuenientia. Primùm, quod non daretur vera miſtio, nec corpus verum miſtum, ſed ſolùm per apparentiam, ſiquidem miſtio eſt miſcibilium alteratorum vnio, quæ ſupponit tranſmutationem, & corruptionem, vt ſuperius oſtendit in fine primi libri à t. 87. vſque ad calcem capitis, & in hoc ſecundo à t. 37. & ſequentibus contra eundem Empedoclem. Secundum inconueniens eſt, quod non poſſent dari partes ſimilares, vt caro, & os, quando quidem iſtæ coaleſcunt ex rebus eiuſdem rationis, cùm ſint homogeneæ, at elementa ſecundum proprias ſubſtantias, ideſt materiam, & formam ſunt diuerſæ rationis. Tertium inconueniens, quod ex quacumque parte miſti poſſent minimè generari quatuor elementa, ſed vnum ex vna, & alterum ex altera, quod eſſet valdè abſurdum, quia ſicut quælibet pars miſti debet eſſe miſta, ita quælibet pars debet conſtare ex quatuor elementis, & reſolui in illa. Ex quibus infert, ſecundum Empedoclem non poſſe dari corpus verè miſtum, ſed eſſe quoddam compoſitum, ex elementis, quemadmodum paries coaleſcet ex lapidibus, & lateribus, ac cæmento.

Deindè arguit contra primam opinionẽ, quæ eſt ſibi propria, dicens, & hanc habere ſuam dubitationem, quàmuis ponat elementa tranſmutabilia: nàm, quod ex igne generetur aqua, & econuersò ex aqua ignis, non eſt difficile intellectu, cùm habeant materiam communem, in qua fieri poteſt mutua tranſmutatio, verùm quonam pacto fieri poſſit os, & caro ex elementis per tranſmutationem non eſt ita peruium, quinimò valdè dubium, cum non detur aliud commune ab illis diſtinctum.

In T. XLVII. oſtendit poſitionem Empedoclis non poſſe ſubſiſtere, nàm præter ea inconuenientia, quæ adducta ſunt in præcedenti, præmit tertium, quia poſitis elementis in miſto ſecundum proprias ſubſtantias, ſequitur non poſſe extrahi quatuor elementa ex qualibet parte mixti, ac proindè hanc non eſſe miſtam, & probat per exemplum de pariete, quod componitur ex lapidibus lateribus, & cæmento, ſicut enim ex qualibet parte parietis nequeunt extrahi partes componentes omnes, nempè lapides, lateres, & cæmenta, verùm duntaxat ex proprijs locis, vbi erant locatæ dictæ partes, ſic elementa omnia non poſſent extrahi ex qualibet parte miſti, ſed ignis ex vna, ex alia aqua, & ex alijs aer, & terra, & ſic os, & caro non poſſent conſtare ex elementis cùm in illa non poſſet reſolui.

In T. XLVIII. arguit, proſequendo difficultatem, quam propoſuerat in t. 46. quod etſi concedatur, elementa eſſe tranſmutabilia, & habere materiam comunem, adhuc nequit intelligi commodè quonam pacto fieri poſſit os, & caro, & quoduis miſtum ex elementis; nàm elementa, dùm concurrunt ad generationem miſti, vel manent integra, vel corrumpuntur, ſed neutrum eſt dicendum, ergo ex elementis nequit fieri miſtum. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minorem probat quoad vtranque partem: non eſt dicendum manere, quia tunc miſtio non eſſet niſi compoſitio, vt aſſerebat Empedocles: nec poteſt dici, quod corrumpantur, quia tunc in miſto nihil eſſet præter materiam, quæ non ſufficit ad generationem miſti: neque poſſet dici, aliquod elementum corrumpi, & aliud manere ſimul cum materia, quia hoc conceſſo, cogeretur quis fateri, miſtionem eſſe generationem, & miſtum eſſe quid genitum, quia corruptio vnius eſt generatio alterius.

In eodem textu, nititur reſpondere difficultati propoſitæ, & oſtendere modum, quo fiat miſtum ex elementis, ſupponendo duo neceſſariò requiſita ad intelligendam miſtionem ex elementis contrarijs. Primum ſuppoſitum eſt, quod qualitates elementares non conſiſtunt in indiuiſibili, verùm habent latitudinem intenſionis, & remiſſionis. Secundum ſuppoſitum, quod vnum contrariũ poſſit dici aliud contrarium, vt puta calidum frigidum, vel frigidum calidum dupliciter intel-

intelligi poſſe: Vno modo actu, vel potentia, nempè id, quod eſt totaliter calidum, ſit etiam totaliter frigidum actu, & ſic eſt impoſſibile, quia vnum contrarium in ſummo expellit alterum in ſummo ab eodem ſubiecto: vel quod eſt totaliter calidum actu, ſit etiam potentia totaliter frigidum, & ſic eſt poſſibile, ſiquidem ad expulſionem vnius contrarij ab vno ſubiecto, ſequitur introductio alterius in eodem ſubiecto. Alio modo quod calidum ſit etiam frigidum actu, non totaliter, & in gradu ſummo, verùm partialiter, & in gradu remiſſo, & ſic eſt poſſibile, calidum eſſe frigidum actu, & frigidum eſſe actu calidum, ſicque contraria omnia poſſe ſimul in eodem conſiſtere in gradibus remiſſis, non autem in ſummo, ſiuè ſecundum ſuas excellentias. Quibus ſuppoſitis reſpondet ad difficultatem dicens, elementa contraria concurrere ad generationem miſti, & in eodem manere, non integra, vt dicebat Empedocles, nec totaliter corrupta, ita vt maneat ſola materia communis, ſed refracta, quò ad ſuas qualitates contrarias, ita tamen vt vna qualitas ſit, & eſſe poſſit intenſior, vel remiſſior alia, cùm experiamur vnum miſtum eſſe calidius, aut frigidius altero ſecundum proportionem duplam, vel triplam. Concurrunt igitur elementa cum ſuis qualitatibus contrarijs, non in ſummo, ſed in remiſſo, cum tali tamen proportione, vt vna poſſit agere in aliam, non ad eius interitum, quia tunc eſſet actio generatio; verùm ad alterius remiſſionem, & attemperationem, quia ſic eſſet actio miſtio, ſeù actio productiua miſti. Quomodo autem elementa maneant in miſto, actu, vel ſolùm potentia, ſiuè virtute, diximus in propria quæſtione, & forſan dicemus etiam in hoc libro, occaſione huius textus, & ſequentium 49. & 50.

Quoad ſecundum caput, in quo nititur demonſtrare, quod in quolibet miſto perfecto reperiantur omnia quatuor elementa, duo potiſſimùm facit. Alterum, quo probat intentum de elementis. Alterum verò, quò oſtendit nullum elementum nutriri præter ignem.

In T. XLIX. igitur probat, in quolibet miſto reperiri quatuor elementa; nàm miſta perfecta fiunt propè terram, & conſiſtunt in ea, vt in proprio loco, mouenturque ad locum eiuſdem, ergo indigent terra, vt in ea locentur, & deorſum moueantur. Deinde quia terra, cum ſit maximè ſicca, ac proinde in puluerem reſolubilis, eget glutino, quod illam retineat, ac terminet, ſed aqua, cùm ſit maximè terminabilis, & terminatiua, præſtare valet tale retinaculum terræ, & corporibus, nè tàm facilè decidant, igitur miſta debent conſtare etiam aqua ſimul cum terra. Amplius etiam aere, & igne debent coaleſcere, ſiquidem poſito vno contrariorum debet poni, & reliquum: tùm etiam, quia generationes miſtorum fiunt ex contrarijs, ſed aer eſt contrarius terræ, & ignis aquæ, ergo ſi in miſtis ponantur aqua, & terra, debent poni etiam in eiſdem ignis, & aer: ac proindè omnia quatuor elementa debent reperiri in quolibet miſto.

In T. L. ſecundò probat intentum ex nutrimento, nàm ea omnia coaleſcunt, ex quibus nutriuntur, ſed miſta viuentia nutriuntur ex elementis, ergo ex eis debent coaleſcere. Maior patet, quia eadem debent eſſe principia eſſendi, & conſeruandi ea, quæ ſunt. Minorem probat, nàm ſi daretur nutrimentum ſimplex, maximè foret illud plantarum, & ſtirpium, cùm hæ magis adhæreant terræ, & ex ea enaſcuntur, & videantur, ob id, ea ſola egere, ſed etiam iſtæ nutriuntur pluribus elementis, vt teſtantur Agricolæ, qui irrigant terram aquis, fimo & lætamine pinguefaciunt, vt creſcere valeant; nec hoc conſequi poſſent abſque calore ignis, & humore aeris, ergo nutrimentum plantarum, & ſtirpium coaleſcit ex omnibus elementis.

In eodem textu docet alterum, quod promiſimus initio huius capitis, nempe ſolum ignem inter corpora ſimplicia, ſiuè elementa nutriri, & ſic ſuadetur ab Ariſtotele, nam quemadmodum nutrimentum habet rationem materiæ, ſic id, quod nutritur habet rationem formæ in materia comprehenſæ, ſed inter elementa, ſiuè corpora ſimplicia, nullum habet magis rationem formæ comprehenſæ in materia, quàm ignis, ergo ſolus ignis dici debet nutriri. Minorem oſtendit, quia materia, aqua, & aer habent rationem materiæ, cùm ſubſint, & ignis, quia cæteris eminet debet habere rationem formæ: tùm etiam, quia formæ eſt terminare materiam, ne ſit vaga, ſed

ignis terminat cætera elementa, igitur debet eſſe forma; tùm denique, quia formæ eſt agere, & materiæ pati, ſed inter omnia elementa, ignis eſt maximæ actiuitatis, cætera verò poſſunt pati ab eo, ergo ſolus ignis habet rationem formæ, & per conſequens, ſolus poteſt eſſe capax nutritionis, & ſolum nutriri.

Hic tamen aduertendum, vt communiter obſeruant Doctores, & præſertim Conimbricenſes, Ariſtotelem non fuiſſe locutum de vera nutritione, quæ fit per intus ſumptionem alimenti, quia hæc competit duntaxat viuentibus, vt docuit in hoc primo libro de Generatione à textu 39. & indè, verùm duntaxat, quæ fit per iuxta poſitionem materiæ, quo pacto ignis dicitur nutriri, & augeri per ſuffectionem combuſtibilium.

De Temperamento Miſtorum, & eorundem Generatione.

DISPVTATIO III.

QVàmuis multa, eaque à nobis iudicata neceſſaria, de Miſtorum temperamento, egerimus lib. 4. Meteorologicorum Diſp. 3. per totam, adeò quod iure poſſemus huic Diſputationi ſuperſedere: Nihilominus, quia non omninò omnia inibi perpendimus pertinentia ad Miſtorum temperaturam, quæ à Recentioribus tamen exagitari ſolent, propterea quaſi reliquias quaſdam colligentes, ea iteratæ diſcuſſioni ſubdere decreuimus; exactiùſque conſiderando Miſtorum naturam, hæc quæ ſequuntur ſuperaddere volumus; quoque etiam fiet, ne textus Ariſtotelicos, de hac re differentes, ſuis viduatos quæſtionibus deſerere videamur. Sit igitur prima difficultas de téperatura, ſeù conſtitutione corporis humani præſtantia.

Vtrum temperamentum, & conſtitutio humani corporis ſit idonea, præſtantior, ac nobilior cæte-
[illegible] i um.
corporibus?

QVÆSTIO I.

CIrca hanc quæſtionem, quam mouent, & exagitat Collegium Conimbricenſe hic cap. 8. qu. 3. verſatur duplex oppoſita ſententia, quarum prior eſt veterum Philoſophorum aſſerentium temperamentum, & ſtruturam humani corporis nequaquam antecellere reliquorum animantium corporibus, quinimò ab eis ſuperari, quod clarè conſpicitur ex functionibus, quas meliores obeunt cætera animantia præ hominibus in ſuis corporibus, ac temperamentis. Ita referunt Plutarchus in lib. de Amore parentum, Plinius lib. 7. Hiſt. naturalis, Nyſſenus de Opificio humani corporis, Nazianzen. orat. 2. de Paſch. Damaſcen. lib. 2. cap 12. Lactant. Firmian. lib. 2. cap. 13. & D. Thom. prima par. q. 61. art. 1.

Poſterior vero, quæ vt communis aſtruitur nedum à Medicis, & Philoſophis, verùm à multis Sanctis Patribus, & Theologis confirmatur, ſuſtinet temperaturam, & conſtitutionem humani corporis aptiſſimam eſſe, & cæteris corporibus longè antecellere, nedùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad vires præſtantiores obeundas. Sic aſſeuerant Galenus lib. de Temperam. Auicenna prima parte Doctr. 3. cap. 1. Auicenna in lib. Fontis vitæ D. Tho. 1. p. qu. 76. art. 5. & quæſt. 91. art. 3. & alij Doctores Theologi, quos ſine nomine referunt Conimbricenſes citati art. 2.

Quid autem ſit à nobis reſpondendum in hac materia, quibuſdam apprimè obſeruatis, dicemus in concluſionibus infra ponendis.

Primò igitur notandum ex aliàs obſeruatis in 4. lib. Meteorolog. Diſput. 3. qu. 1. nomine temperamenti nos intelligere quandam præuiam diſpoſitionem qualitatiuam neceſſariò prærequiſitam, ac ordinatam ad inducendam, & conſeruandam formam ſubſtantialem mixti, quæ fieri debet virtute quatuor primarum qualitatum, adinuicem agentium, & patientium, non vtcumquè ad deſtructionem mutuam inter ſe, verùm ſeruata aliqua temperie, itaut fieri poſſit actio, & paſſio neceſſariò requiſita ad alterationem, & generationem, non verò ad corruptionem mixti. Ex quibus infertur, temperamentum corporis nil aliud eſſe, quàm congruam diſpoſitionem qualitatiuam, ordinatam ad generationem, & conſeruationem formæ ſubſtantialis mixti: Huiuſmodi autem qualitatum diſpoſitio tunc dicitur rectè fieri, vt docet Ariſtoteles in hoc lib. 4.

cap.

Digitized by Google

cap. 1. cùm actiuæ, nempè caliditas, & frigiditas perfectè dominantur paſſiuis, nimirum humiditate, & ſiccitate, quia ſic ſequitur generatio, & conſeruatio mixti; & econuersò tunc debet dici mala diſpoſitio qualitatiua, cùm paſſiuæ reſiſtendo, victoriam de actiuis referunt, ſiquidem tunc mixtum, vel citò corrumpitur, vel paulatim tendit ad corruptionem, inducendo in ipſum diſpoſitiones corruptiuas, & deſtructiuas.

Secundo Notandum eſt, temperamentum corporis ordinari non tantum ad generationem, & conſeruationem formæ ſubſtantialis in miſto, verùm etiam ad functiones, & actiones, quas miſtum obire, & exercere debet mediante forma ſubſtantiali: ſiquidem diſpoſitiones qualitatiuæ tendunt, non ſolùm ad eſſe, & ad actum primum, ſed etiam ad operari, & ad actum ſecundum, cùm in operationibus, & actibus Secundis conſiſtat perfectio, & præſtantia agentium, vt à ſeinuicem diſcriminantur, vt teſtantur, nedùm Philoſophorum præceptiones, ſed etiam Diuina oracula: Nàm Ariſtoteles lib. 1. Ethicorum cap. 7. in ult. *hominis opus eſſe vitam quandam ſtatuimus, eamque animæ operationem, & actionem cum ratione eſſe aſſeueramus: ac boni probique viri benè hæc, rectèque exequi eſſe cenſemus: ſingula autem benè ex propria virtute perficiuntur: ſi ita eſt, operatio animæ ex virtute bonum humanum efficitur* Et Christus Dominus apud Mattheum cap. 7. ſubdit: *omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit: igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Ex quibus inferendum eſt, quod cùm operationes humanæ ſint præſtantiores operationibus cæterorum animantium, & hæ ſupponant formam hominis nobiliorem, & hanc inductam, conſeruatamque in miſto hominis mediante ſibi proportionato temperamento, huiuſmodi temperamentum corporis humani, debere eſſe aptius, & præſtantius, & nobilius cæteris temperamentis aliorum animantium, ſiuè ſint animalia, ſiuè plantæ.

Tertio Notandum eſt, temperamentum, vt ſic dupliciter attendi poteſt: Vno modo, Vt ordinatur ad formam miſti inducendam, & conſeruandam in eodem, quæcumque ſit illa: Alio modo, vt comparatur ad operationes, & functiones conuenientes, nedùm pro conſeruatione miſti, ſecundum eſſe ſubſtantiale proportionatum ſuæ naturæ, ſed etiam ſecundum accidentale, ordinatum à Deo, vt Auctore naturæ, in finem ab ipſo præſtitutum. Si priori attendatur modo temperamentum, vt ſic, cùm reſpiciat ſolam conſtitutionem miſti ex materia, & forma, ſibi conuenientibus, habet deſumere ſuam denominationem à forma, non ſolum miſti, verùm, & ab anima; ad quam hæc ordinatur, vndè cùm anima hominis ſit nobilior, & præſtantior cæteris animantium animabus. ſicut hæc exigit nobilius corpus, in quo recipiatur, ita hoc debet expoſcere præſtantiorem diſpoſitionem qualitatiuam, & temperamentum aptius, & nobilius ad eiuſdem conſtitutionem ordinatum. Si autem poſteriori ſpectetur modo temperamentum, vt ſic, hoc poteſt bifariam conſiderari, vel vt ordinatur ad operationes, & functiones vitales; vel prout reſpicit animales. Si de prioribus ſit ſermo, cùm in quibuſdam beluis, & brutis, reſplendeant melius, quàm in homine, huiuſmodi operationes, & functiones, vt quidam obſeruarunt apud Senecam lib. 2. de Officijs cap. 29 *quærentes cur nos homines non magnitudine corporis æquemus Elephantes. velocitate Ceruos, leuitate aues, impetu Tauros; cur ſolidior ſit cutis beluis, decentior damis, denſior Vrſis, mollior fibris: cur ſagacitate nos narium canes vincant, acie luminum Aquilæ, ſpatio ætatis corui, & in facilitate nandi multa animalia*, & in pluribus alijs operationibus vincamur à brutis? dicendum nobis erit, quod etiam in temperamento ſuperemur ab eis. Si verò de poſterioribus loquamur, cùm operationes animatiuæ in nobis appareant perfectiores, & præſtantiores, quàm in brutis, adeò, vt idem Seneca, exprobando ſuperiores impoſtores, ſubiungat: *Proindè quiſquis es iniquus æſtimator ſortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit Parens noſter; quanto valentiora animalia ſub iugum miſerimus; quanti velociora conſequamur; quam nihil ſit mortale non ſub nutu noſtro poſitum: tot virtutes accepimus, tot artes animum denique, cui nihil, non eodem quo intendit momento, peruium eſt, ſyderibus velociorem, quarum poſt multa ſæcula futuros curſus antecedit*. Quæ omnia, cùm in hominibus videantur, & in brutis deſint, indicare debent temperamentum humani corporis; vt quoquo pacto ad illa ſit ordinatum, antecellere tempera-

P 4 men-

menta cæterorum animantium.

Ex his igitur ſit prima concluſio. Temperamentum humani corporis, vt ordinatur ad miſtionem, & conſtitutionem eiuſdem ex materia, & forma, ſiuè vltima, ſiuè non vltima, eſt præſtantiùs, & nobiliùs cæterorum animantium temperamentis. Eſt D. Thomæ, & aliorum Philoſophorum, quos retulimus in ſecunda ſententia, contra Antiquos, relatos in prima. Probatur, quia diſpoſitiones qualitatiuæ, ſeù temperamenta ſunt præcipuè, & principaliter propter inductionem, & conſeruationem formarum in materia miſtorum, ergo qualis erit natura formæ, talis debet eſſe diſpoſitionum, & temperamentorum qualitas, alioquin non eſſet proportio inter diſpoſitionem, & formam, quod nemo dixerit, ſed forma miſtionis corporis humani eſt præſtantior formis miſtionis corporum cæterorum animantium, ergo, & temperamentum humanum debet eſſe præſtantius cæteris temperamentis. Antecedens tenet ex diffinitione temperamenti poſita in primo Not. Aſſumptum probatur, quia forma miſtionis debet propportionari cum forma vltima, cum ſit diſpoſitio adæquata ad indnctionem illius in mixtum, vt docet luculenter Scotus in 4. d. 11. q. 3. Et nos cum ipſo in lib. 2. de Anima Diſp. 1. q. 3. ſed forma vltima hominis, cùm ſit animá rationis particeps, ſuperat in nobilitate, omnes formas vltimas cæterorum animantium, ergo etiam forma miſtionis corporis humani, debet ſuperare formas omnes miſtionis corporum aliorum animantium: ac proindè temperamentum corporis humani debet eſſe nobilius cæteris temperamentis corporum aliorum animantium.

Secunda Concluſio, Temperamentum corporis humani, ſi reſpiciat operationes, procedentes à forma vltima, in quibuſdam vincit, & in quibuſdam vincitur in præſtantia, & nobilitate à temperamentis corporum cæterorum animantium, ita ordinatis. Colligitur ex eiſdem Doctoribus. Quoad omnes partes remanet ſufficienter, & apprimè comprobata ex rationibus adductis in tertio Notat.

Obijciuntur tamen multa contra has cōcluſiones, & primo contra primam concluſionem, nam inter temperamentum, & formam, ad quam ordinatur, debet eſſe proportio, ſed inter temperamentum corporis humani, & eius formam non eſt proportio, ergo temperamentum illius nequit ſumere præſtantiam ab ea. Minor probatur, quia temperamentum corporis humani eſt fluxibile, caducum, forma verò, cum ſit anima rationalis eſt immortalis, at inter caducum, & immortale non eſt proportio, ergo &c.

Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicimus veram eſſe in entitate, falſam quoad informationem, quia ſic, licet anima ſit immortalis, cum tamen ſit eius forma, ſicut dat eſſe formale corpori, illud nobilitando, ſic præſtat etiam nobilitatem temperamento, à quo habuit proportionatam diſpoſitionem, vt poſſet eſſe forma corporis humani.

Obijcitur ſecundo quia temperamentum conſiſtit, non ſolùm in inductione formæ ſubſtantialis miſti; verùm etiam in conſeruatione illius in ipſo, vt patet ex eius diffinitione, ſed temperamentum corporis humani nequit præſtare conſeruationem formæ ſubſtantialis in eodem miſto, ergo non eſt temperamentum, ac proindè nequit habere bonitatem, & præſtantiam in comparatione ad quodcumque aliud temperamentum. Minor probatur, quia temperamentum coaleſcit ex qualitatibus contrarijs, quæ cum ad inuicem pugnent vſque ad internecionem alterius, cauſant potiùs diſſolutionem temperamenti, quàm conſeruationem formæ in miſto, ergo ſicut nequit dare eſſe conſeruatiuum formæ, ſic nec ab ea poterit expectare præſtantiam ad alia.

Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicimus temperamentum coaleſcere quidem ex qualitatibus contrarijs, non tamen vtcumque pugnantibus, vt ſe ad inuicem expugnari valeant, verum cum quadam temperie, vt actiuæ dominentur paſſiuis, & paſſiuæ reſiſtant ſecundum proportionem ordinatam ad generationem, & conſeruationem mixti, non verò ad alterutrius deſtructionem, & mixti corruptionem.

Obijcitur tertio temperamentum cenſeri debet præſtantius, quò accedit ad qualitates præſtantiorum elementorum; ſiquidem temperamentum eſt diſpoſitio qualitatiua, ordinata ad generationem mixti ex elementis, ſed temperamentum corporis humani non eſt huiuſmodi, ergo nequit

nequit cenſeri præſtantius cæteris temperamentis. Minor probatur, quia temperamentum corporis humani potiùs accedit ad aquæ, & terræ qualitates, quam aeris, & ignis, iuxtà illud Geneſis cap. 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ*, ideſt ex terra permixta aquæ, ſed terra, & aqua ſunt ignobiliora elementa præ igne, & aere, ergo temperamentum corporis humani potiùs accedit ad qualitates ignobiliores, quàm nobiliores, ergo non eſt præſtantius cæteris temperamentis.

Reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicimus corpus humanum coagmentatum eſſe ex quatuor elementis, ſicut quodlibet elixtum, & eius temperamentum eò meliùs ſplendeſcere ex calore, & humore, quæ ſunt qualitates ignis, & aeris, cùm in eis conſiſtat vita, quàm in frigore, & ſicco quæ ſunt qualitates aquæ, & terræ, cùm iſtæ ſint indicia mortis, vt docet Ariſtoteles de longitudine, & breuitate vitæ, igitur dicendum eſt, temperamentum humanum magis accedere ad qualitates præſtantiorum elementorum quàm deteriorum. Nec multùm faceſſit illud Geneſis, quo dicitur, hominem eſſe formatum de limo terræ, hoc eſt, ex materia carnoſa, ex terra, & aqua glutinata, quaſi ex eis duntaxat indicetur formatio hominis; quandoquidem ex illis innoteſcit bene craſſitudo partium hominis, verùm non excluduntur partes ſpirituoſæ, reſpondentes ignis, & aeris elementis, à quibus potiſſimum deſumitur temperamentum humanum, & illius præſtantia.

Obijcitur quarto contra ſecundam concluſionem quia præſtantia temperamenti indicat præſtantiam actionum, & operationum mixtorum, ſed operationes ſenſitiuæ multorum animalium excellunt operationes ſenſitiuas hominis, ſaltem in multis, ergo etiam temperamenta multorum animalium debent excellere temperamentum humanum. Minor probatur, nàm Aquilæ perſpicaciùs vident, talpæ acutiùs audiunt, vultures, & canes ſagaciùs, & meliùs odorantur, & araneæ ſubtiliùs tangunt, quàm homines; vndè eſt illud poeticum dictum. *Nos aper auditu, linx viſu, ſimea guſtu, vultur odoratu, præcellit aranea tactu*. Ergo in multis, operationes ſenſitiuæ nonnullorum animalium ſunt præſtantiores operationibus ſenſitiuis hominis, & per conſequens etiam temperamenta illorum præſtare debent hominis temperamento.

Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicimus cum Ariſtotele lib. 1. de Hiſtoria Animalium cap. 15. & lib. 2. de Anima cap. 9. t. 94. hominem tactu, & guſtu omnibus excellere animantibus: Cuius rei cauſa eſt, quia bonitas tactus, & guſtus prouenit ex bonitate temperamenti, quod in homine eſt præſtantius, quàm in cæteris animantibus. Et licet in multis operationibus, quas recenſuimus in argumento, ſuperari videatur à nonnullis animalibus, non ob dictam cauſam inferendum eſt vinci etiam in temperamento ab eiſdem; nàm quemadmodum non omnes operationes ſenſitiuæ enaſcuntur per ſe, & veluti ex radice à temperamento, verùm duntaxat eæ quæ ad tactum pertinent, & ad guſtum, qui eſt quidam tactus, ita non omnes, ſed tantum illæ, indicare poſſunt præſtantiam temperamenti vnius ſuper alijs, ſicut obſeruauimus ex Seneca in tertio Notabili.

Vtrum excellentia ingenij, & mentis perſpicacia, ac morum probitas in hominibus ortum ducant ex temperamento?

QVÆSTIO II.

QVatuor tantùm eſſe temperamenta, quæ Miſta diſtinguere valent, ſcripſimus in quarto lib. Meteorologicorum Diſp. 3. q. 1. ex prædominio qualitatum actiuarum in paſſiuas; quandoquidem aut caliditas dominatur ſiccitati, & ſic gignitur temperamentum calidum, & ſiccum, quod cholericum vocant: aut caliditas prædominatur humiditati, & ſic inſurgit aliud temperamentum, quod eſt calidum, & humidum, & ſanguineum appellatur: aut frigiditas dominatur humiditati, & ſic oritur temperamentum frigidum, & humidum, quod phlegmaticum nuncupatur: aut deníque frigiditas dominatur ſiccitati, & ſic naſcitur aliud temperamentum, quod melancolicum deſcribitur, quæritur igitur ex quo, ex ijs tem-

temperamentis oriantur excellentia ingenij, mentis perſpicacia, & motuum probitas Vnde multi, ſequentes potiùs affectiones animi, quàm corporis temperamenta, modò vni,& interdùm alteri nituntur tribuere palmam primitatis.

Nam Ariſtoteles de Longitud. & Breuit. vitæ cap. 3. & Galenus lib. 1. Aphoriſmorum, bonitatem ingenij, & mentis perſpicaciam tribuerunt temperamento ſanguineo; ſiquidem cùm huiuſmodi complexio abundet calore; & humido; in quibus conſiſtit vita, potiſſimùm iuuat actiones intelligendi, quæ ſunt vitales actiones.

Galenus iterùm in lib. Artis Medicæ, conſiderans ſubtilem cerebri ſubſtantiam indicari à calido,& ſicco, quaſi palinodiam canens, poſuit excellentiam ingenij,& mentis perſpicaciam in temperamento cholerico, & mouetur ex eo, quòd calor ſicco coniunctus, quibus abundant Cholerici, acuit ingenium ad intelligentiam, & mentem aptiorem reddit in rebus agendis.

Ariſtoteles vlteriùs, cùm ſcripſerit lib. 2. de Anima textu 94. quod ij, qui ſunt dari carne, ſunt inepti mente, & molles carne apti,& idem expreſſerit in lib. Phiſiognomiæ cap. 4. videtur tribuere has ingenij, & mentis dotes temperamento phlegmatico, quod facit mollitudinem carnis.

Alij verò rem ſubtiliùs indagantes, experientia ducti, quod multi, qui extiterunt ingenioſi, non ſolùm intelligendi munere, verùm,& deliberandi facultate, fuerint melancholici, dixerunt huiuſmodi affectiones ortum duxiſſe à temperamento melancholico. Ita ſcripſit Ariſtoteles in lib. Problematum ſect. 30. probl. 1. cùm inquit, qui ingenio claruerunt, ſiuè in Philoſophiæ ſtudijs, ſiue in Republica adminiſtranda, ſiue in carminè pangendo, aut artibus exercendis, cur melancholicos omnes fuiſſe videamus? & Plato ſubdit, tunc animum efflorеſcere, cùm deſloreſcit corpus, vndè ſenes, in quibus ferè melancholicus abundat ſuccus, iudicio, & prudentia valere cernuntur: idem quoque teſtatum reliquit Cicero lib. 1. Tuſculan. Quæſtionum.

Circa etiam ſecundam partem quæſtionis non minus laboraſſe videntur Doctores, vt referunt Conimbricenſes hic cap. 8. quæſt. 4. art. 1. quare quid nobis ſentiendum ſit, quibuſdam de more adnotatis, mox patefaciemus in concluſionibus infra ponendis.

Primo igitur notandum eſt, ingenij excellentiam, & mentis perſpicaciam ad duo poſſe comparari, vel ad ſolam potentiam intellectiuam, vt ſic; vel ad eandem pro ſtatu iſto, hoc eſt, cum omnibus requiſitis ad ſimpliciter intelligendum. Si priori modo comparentur, conſiderando, quod omnes animæ ſint pares in perfectione, vt docet melior ſententia, dicendum eſt, facultatem intelligendi, quæ ab anima profluit, eidemque inhæret, in omnibus hominibus, parem obtinere dignitatem, nec vnum poſſe dici ingenioſiorem, ac mentis perſpicaciorem altero in intelligendo, diſcurrendo, iudicando, alijſque functionibus obeundis, à potentia intellectiua deriuantibus, quandoquidem talia ſe habere debent principiata, qualia eſſe principia noſcuntur, maxime ſi fuerint vniuoca. Si autem poſteriori modo comparentur ad potentiam intellectiuam, cum oporteat intelligentem phantaſmata ſpeculari, vt docet Ariſtoteles tertiò de Anima textu 39. concludendum eſt, denſitatem, & acumen ingenij in apprehendendo, componendo, diſcurrendo, & iudicando per intellectum, variari, & intendi iuxtà phantaſiæ concurſum, *non quod phantaſma requiratur ibi*, vt aduertit Doctor Subtilis in 4. diſtinct. 45. quæſt. 1. ſub E. *tanquam principium actus intelligendi, ſed preciſè requiritur vt principium operationis phantaſticæ, & illa operatio propter connexionem ſuperiorum,& inferiorum in agendo, ſiquidem ſuperior non perfectè operatur circa aliquod obiectum, niſi inferiores, quæ poſſunt operari, operentur circa idem,& hæc eſt ratio, quare diſtractio potentiarum animæ circa diuerſa obiecta impediunt operationes earum.* Deinde quia bonitas phantaſiæ pendet à ſenſorio,& à corpore, in quo ineſt, conſequitur indè, quod ad nobilitatem ingenij, & mentis perſpicaciam multùm conferant qualitatum temperamenta, ſiue in bonum, ſiuè in malum, ſecundum quod diſpoſitio qualitatiua afficiat corpus.

Secundo Notandum ex Conimbricenſibus loco nuper citato, multa concurrere ad indagandam ingenij excellentiam, & mentis perſpicaciam, ex quibus etiam temperamenta noſcuntur varia. Primum eſt optima Aſtrorum diſpoſitio, vt adnotauit Ptolomæus

lomæus in Centiloquio; & D. Tho. 3. contra Gentes cap. 84. ſiquidem aſtra concurrunt in generationibus, afficiendo organa ſenſuum varijs qualitatibus directè & indirectè mouendo potentias intellectiuas ad ſuas operationes, faciliter, vel difficulter obeundas. Secundum, ad hoc plurimi faciunt parentes ipſi, transfundentes in filios, quaſi hæreditario iure, non ſolùm bonam, vel malam valetudinem, ſed etiam ad virtutes, aut vitia, propenſionem, vt experientia teſtatur, & tradunt Plato in oratione funebri, & Ariſtoteles lib. 1. Politicorum cap. 4. & lib. 1 Rhetor. cap. 9. & Virg. Æneid. lib. 4. & Horatius 4. Carm. Ode 4. vbi inquit: *Fortes creantur fortibus, & bonis: eſt in iuuencis. Eſt in equis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam*. Tertium, eſt diſpoſitio ſenſuum, tùm exteriorum, tùm interiorum, quandoquidem ſi intellectus noſter non fuerit adiutus miniſterio ſenſuum, non poterit liberè exequi ſuas functiones, quas obire debet dependenter ab eiſdem: nàm inquit Ariſtoteles lib. 3. de Anima in fine textu 38. *Et ob hoc, qui non ſentit aliquid, nihil vtique addiſcet, nec intelliget*. Quartum adſcribitur rationi locorum, & ſituum, ſiquidem locus, ſicut eſt generationis, & conſeruationis principium, & origo, multum conferre valet, ſimul cum motibus ſtellarum, ad impreſſionem qualitatum corporalium, & affectionum ſpiritualium, ſicut teſtantur Plutarchus in Apophthematibus, & Herodotus in Calliope, ac Alexander ab Alexandro lib. 4. Genialium dierum cap. 13. vbi recenſentur varij, & diuerſi populi, qui, non ſolùm nobilitatem, & acumen ingenij, verùm morum probitatem, & improbitatem, traxerunt ex Cæli climatibus, & locorum in quibus, & ſub quibus nati ſunt, conditionibus, & naturis. Quintum eſt ratio victus, nempè potus, & cibi, quibus, non ſolùm aggrauatur ſtomachus, verùm etiam mens hebetatur, memoria obtunditur, fatiſcit ingenium, & perſpicacia obnubilatur, locum præbendo illecebris, & carnis voluptatibus, vt obſeruarunt Plato de legibus lib. 2. & 5. & Galenus lib. de cibis boni, & mali ſucci, inter quos enumerantur fabæ, lac, caſeus, caro ſalita, olera, & alia flatum, & malum humorem gignentia, quæ omnia conturbant ſtomachum, & memoriæ, ac ingenio officiunt, vt experientia comprobatur in multis. His etiam addendum eſt, quod non ſolum ciborum varietas, ſed vniuerſim omnis intemperantia, ac nimia ſatietas ingenio nocet iuxta illud vetus prouerbium: *Pinguis venter acre ingenium non gignit*. Quandoquidem vt ſcripſit Horatius lib. 2. Sermon. Satyr. 2. *Corpus onuſtum. Heſternis vitijs, animum quoque prægrauat ipſum, atque affigit humi diuinæ, particulam auræ*. Et Theopompus lib. 5. Philipp. addidit, *multum edere, & veſci carnibus, conſilij, rationiſque vſum adimere, & animos efficere tardiores, atque eos immani quadam duritie, at ſtultitia complere*. Similia quoque repetit Plutarchus lib. de educandis liberis: Ex quibus omnibus inferendum eſt, ingenium melius, vel deterius haberi, eo quod qualitatibus ad id conuenientibus, vel contrarijs corpora imbuunt. Quia verò qualitates ipſæ ſenſuum internorum organis receptæ talem bonitatem, aut defectum immediatè præſtant, ſolet ex qualitatum compoſitione, ſeù temperamento, de ingenijs iudicari, vt conſtat ex ijs, quæ ſcripſit Ariſtoteles lib. 2. de Partibus animalium cap. 3. & 4. & 2. de Anima cap. 9. textu 94. & in lib. Phiſiognomiæ cap. 4. ac Galenus in lib. Quod animi mores temperamentum ſequantur.

Ex his ſit prima concluſio. Ex varietate temperamentorum dignoſci poſſunt ingeniorum excellentiæ in intelligendo, & mentis perſpicaciæ in deliberando, & operando circa Eligibilia, & agibilia. Eſt Ariſtotelis, & Galeni in locis nuperrime citatis. Probatur primo auctoritate, nàm Ariſtoteles ſecundo de Anima cap. 9. textu 94. inquit, *Signum autem, & in genere hominum, ſecundum ſenſorium hoc ingenioſos eſſe, & non ingenioſos, ſecundum autem aliud nullum: duri enim carne, inepti mente: molles autem carne bene apti*. Et in Phiſiognomia cap. 4. ſubdit: *Caro autem dura quidem, & boni habitus natura inſenſibilem ſignificat; lenis autem, & ingenioſum, & inſtabilem; niſi in forti corpore, & habenti extremitates potentes hoc acciderit. Et ibidem cap. 6. addidit ingenioſi ſigna dicens: Caro humidior, & mollior non bons habitus, neque valdè pinguis; quæ circa humeros, & collum macriora, & quæ circa faciem: cutis tenuis, pili non valdè duri, nec valdè nigri, oculus charopus, humidus; ſecundum dorſum non carnoſus;*

noſus: corpus album miſto rubore, & parum. Et in lib. Problematum Sect. 30. per tredecim problemata indicantur ij, qui ad prudentiam, & mentem, & ſapientiam pertinent, & quibus temperamentis; præſertim verò hoc præſtat probl. primo his verbis: *Cur homines, qui ingenio claruerunt, vel in ſtudijs Philoſophiæ, vel in republica administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuiſſe videamus, & alios ita, vt etiam vitijs atrabilis infeſtarentur?* ergo ex his auctoritatibus manifeſtè deducitur, intentionem Philoſophi fuiſſe, quod ingeniorum excellentia, & mentis perſpicacia, vt pendent ex temperamentis, ex illorum ſignis dignoſci poſſint. Secundo probatur ratione, quia ingeniorum excellentia, & mentis perſpicacia ſuam trahunt originem, & naturam ex temperamentis ſenſuum, cùm interiorum, tùm exteriorum, ergo ex illis nobis innoteſcere debent. Conſequentia tenet ex Ariſtotele ſecundo Metaph. t. 4. vbi inquit: *Quarè vt ſecundum eſſe vnumquodque ſe habet, ita etiam ſecundum veritatem:* Vel vt communiter refertur: *Sicut res ſe habet ad eſſe, ita ſe habet ad cognoſci.* Ergo ſi ingeniorum acumen, & mentis perſpicacia debent habere eſſe à temperamentis, ab eis quoque pendere habent in cognitione, & innoteſcentia. Antecedens probatur ex Ariſtotele tertio de Anima t. 38. & 39. vbi habet: *Et ob hoc, qui non ſentit aliquid, nihil vtque addiſcet, nec intelliget: & cùm ſpeculetur, neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquod ſpeculari, hoc tamen non eſt*, vt explicat Scotus in 4. d. 45. q. 1. ſub E. §. Ad tertium dico, quod phantaſma requiratur ibi, tamquam principium actus intelligendi, ſed preciſè requiritur, vt principium operationis virtutis phantaſticæ, & illa operatio requiritur ad intellectionem propter connexionem potentiarum ſuperiorum, & inferiorum in agendo: ſiquidem ſuperior, & non perfectè operatur circa aliquod obiectum, niſi inferiores, quæ poſſunt operari, operentur circa idem, ergo cùm ingeniorum excellentia, & mentis perſpicacia conſiſtat in intelligentia, & ſpeculatione, & hæc haberi nequeat abſque operatione ſenſitiua circa obiecta ſenſibilia, concludendum eſt, ingeniorum excellentiam, & mentis perſpicaciam, quo ad ſuum eſſe, dependere à temperamento ſenſuum, cùm interiorum immediatè, tùm exteriorum mediantibus interioribus. Tertio probatur, quia ingenium melius, vel deterius habetur ex qualitatibus conuenientibus, aut contrarijs, imbuentibus corpora, per acceſſum ad illa aſtrorum, climatum, regionum, locorum, & progenitorum mediantibus eorum influentijs, vt ex multis Doctoribus obſeruauimus in ſecundo Not. ſed congrua, vel in congrua diſpoſitio talium qualitatum, conſtituunt temperamenta, conuenientia, vel contraria, ergo ingenium melius, vel deteriùs pendet ex temperamento conuenienti, ſeu bono, vel diſconuenienti, ſiue malo.

Secunda Concluſio. Ingenij excellentia, & mentis perſpicacia nullum melius, & accommodatius temperamentum ſibi ſtatuere valent, quam illud, quod ex bilis, & melancholiæ per miſtione coaleſcit. Eſt Ariſtotelis l b. Probl. Sect. 30. problemate 1. Galeni l b. 1. de Natura hum. ad. t. 30. Marſilij Ficini lib. de triplici Vita, & Vegæ lib. 2. artis Medicæ cap. 8. quos referunt, & ſequuntur Conimbricenſes hic cap. 8. q. 4. art. 3. & ex eis probatur primo auctoritate Ariſtotelis his verbis. *Cur homines, qui ingenio claruerunt, vel in ſtudijs philoſophiæ, vel in republica adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuiſſe videamus, & alios ita, ut etiam vitijs atra bilis infeſtarentur?* vt fuerunt multi inſignes viri, qui ibi enumerantur, inter quos Hercules, lyſander, Aiax, Bellerophon, Empedocles, Socrates, & Plato. Secundo ſuadetur ab illis, ſequentibus rationibus; tùm quia qui melancholiæ, & bilis vitio laborant, ob bilem facilè apprehendunt, velociter diſcurrunt, motu agiles, & actes ſunt: ob melancholiam verò, cùm animum ab externis euocent, & in ſe totum colligant, aſſiduè incumbunt in ea, quæ apprehendunt, diù meditantur, & de ijs, quæ diſcurrendo inuenerant, conſtanter indicant: tùm etiam, quia melancholia, & atrabile præditi, vt potè ſicciori natura conſtantes, carent recrementis, quæ ſpiritus conturbant, & quaſi nube obtegunt, & ex atrabile calente, attenuataque generant tenuiſſimos, ac lucidiſſios ſpiritus, qui ad ingenij, & mentis opera obſeruiunt vnde, Galeno referente, inferri poteſt illud Hera-

cli-

Digitized by Google

cliticum: *Splendor ſiccus, animus ſapientiſſimus*. Ergo cùm temperamentum melancholicum ſequantur huiuſmodi affectiones, & qualitates ordinatæ ad generationem excellentium ingeniorum, & perſpicantium mentium in hominibus, concludendum eſt, in eo potiſsimùm ſitam,& collatam eſſe ingenij excellentiam, ac mentis perſpicatiam.

Tertia Concluſio. Ex hoc temperamento melancholiæ oritur quoque in hominibus morum probitas; ſicuti econtrariò morum improbitas ex ſanguineo, vel ex phlegmatico. Colligitur ex eiſdem ibidem art. primo & ſuaderi poteſt, quia temperamentum, quod inclinat ingenium ad ſtudia, & alicit mentem ad virtutes, eſt generatiuum in eo, qui illud poſsidet probitatis, & virtutis: & econtra illud temperamentum, quod inclinat animum ad vitia, & mentem auocat ab actionibus iuſtis, ac illam detinet in huius mundi illecebris, eſt generatiuum improbitatis, ſed temperamentum melancholicum inclinat ingenium ad ſtudia philoſophiæ, & mentem preparat, ac diſponit ad actiones virtutum, vt probatum eſt in præcedenti ex Ariſtotele in lib. Probl. Sect. 30. probl. 1. temperamentum verò ſanguineum, & phlegmaticum auocant mētes noſtras ab operibus virtuoſis, & alliciunt, animos ad illecebras, & vitia, ergo ſicut illud eſt generatiuum probitatis, ſic iſta improbitatis. Minor huius ſecundæ partis probatur, quia temperamentum ſanguineum abundat calore,humido dominante, in quibus,ſecundum Ariſtotelem de longitud. & Breuitate Vitæ cap. 3. & Galenum 1. Aphoriſmo com. 15. conſiſtunt actiones vitales, ordinatæ potiſsimum ad voluptates, & ſeculi illecebras, vt praxis demonſtrat: temperamentum vero phlegmaticum, vtpotè exuberans frigiditate, prædominante humiditati, vt apparet in fœminis, inclinat ad voluptates venereas, retrahendo animum, & mentem ab ijs, quæ ingenium, & prudentiam excolere poſſunt, ac proindè quæ probum hominem demonſtret, igitur hæc duo temperamenta, cùm animum, & mentem, euocent ab actionibus rectitudini, ac iuſtitiæ, prudentiæ quæ conſentaneis, non eſt mirum, quin improbos homines oſtendere valeant. Confirmatur, quia incontinentes in voluptatibus, & illecebris ſæculi, ſenſibuſque permaxime deditì, probitatem deijciunt, & improbitatem auocant, & fouent, ſed hæc duo temperamenta intemperantiam, & incontinentiam oſtendunt ex Ariſtotele lib. Problemat. ſect. 27. problem. 2. & 7. vbi incontinentes eos appellare ſolet, qui immodicè re vtuntur venerea, & qui luxu delectantur ciborum, quæ vitia prouenire ſolent ab ijs, qui calore, & humido, & frigore cum humido abundant, & per conſequens ab his temperamentis ſanguineo, & phlegmatico. Supereſt igitur vt concludamus, probitatem, cæteris paribus, oriri in hominibus melancholicis ratione ſui temperamenti: improbitatem verò in ſanguineis, aut phlegmaticis, ad quam inclinantur, ratione ſuorum temperamentorum, & complexionum, ex quibus conſtare dicuntur.

Obijcitur primo contra primam concluſionem, quia ingenium, & mens reſpiciunt intelligibilia, & auertantur à ſenſibilibus, ſed temperamenta reſpiciunt ſenſibilia, ergo ex temperamentis dignoſci non potetunt excellentiæ, & perſpicaciæ ingeniorum, & mentium. Maior patenter concedi debet ab omnibus, cùm ingenium, & mens ſint inſtrumenta animæ intellectiuæ, quæ reſpicit intelligibilia, veluti obiecta ſibi adæquata. Minor patet ex diffinitione temperamenti ſuperius tradita.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de ingenio in ſe conſideratis, non tamen pro ſtatu iſto, in quo anima eſt coniuncta corpori, quia ſic, cùm neceſſe ſit intelligentem phantaſmata ſpeculari, indè fit, excellentiam, & acumen, tùm ingenij, tum mentis in apprehendendo per intellectum, in componendo, diſcurrendo, iudicando, ac deliberando per voluntatem, pendere à phantaſia, & hæc à ſenſorijs, & eorum temperamentis, vt ſupra explicauimus in primo Notabili cum dependeat, inde quoque fit, vt nobilitas ingenij, & perſpicacia mentis recognoſcant ſuam innoteſcentiam, non ſolùm ab intelligibilibus, ſed etiam à ſenſibilibus, ac proindè à temperamentis, quorum ſunt obiecta.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam concluſionem nàm ab ijs temperamētis videtur oriri

viri excellentia ingenij,& perſpicacia mentis, quæ magis conferunt ad functiones eiſdem conuenientes,ſed temperamentum ſanguineum,& phlegmaticum ſunt huiuſmodi, ergo ab eis ortum trahere debent ingenij excellentia,& mentis perſpicacia magis,quam ab vllo aliorum. Minor probatur,nam temperamenta ſanguinea, calore, & humido, quibus exuberant, fouent actiones vitales; & iuuant actiones intelligendi quæ pariter ſunt functiones vitales: phlegmatica autem, quæ faciunt homines molles carne, indicant illos ingenioſos ex Ariſtotele ſecundo de Anima cap. *6. t. 94.* ergo huiuſmodi temperamenta, magis conferunt, quam vllum cæterorum, ad functiones conuenites ingenio, & menti.

Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem primam pro temperamentis ſanguineis, concedimus quidem hæc valere per optimè ad actiones vitales, pertinentes ad animam vegetatiuam, quales ſunt nutritiones, augmentationes, & generationes, non autem ad eas, quæ reſpiciunt animam ſenſitiuam, & intellectiuam, cuiuſmodi ſunt functiones intelligendi, & ſentiendi, quia ad has potiùs iuuat temperamentum melancolicum, vt probatum eſt. Ad ſecundam de phlegmaticis, dicimus hæc temperamenta, ob imbecillitatem caloris patiuntur multa nocumenta, & lentorem, qui ſpiritus obturbant,& ad motum tardiores efficiunt homines, quibus de cauſis, iudicantur ineptiſſima eſſe ad quaſcunque actiones obeundas, & potiſſimum ad eas, quæ reſpiciunt ingenium, & mentem. Neque iuuat, quod dixerit Ariſtoteles molles carne eſſe aptos, duros verò ineptos menti, & ingenio, quia loquitur de mollitudine proueniente ex calido,& humido,non vero de illa,quę deriuatur à frigiditate humiditate aquæ conuicta, & per conſequens de mollitudine ſanguinea, non vero phlegmatica, quia hæc facit homines potiùs ſtolidos, ſomnolentos, rudes, & tardos, adeò vt videatur anima data illis, veluti ſuibus, pro ſale, non pro operationibus ingenioſis, vt nonnulli dixerint.

Obijcitur tertio illud temperamentum debet magis protendere, & indicare excellentiam, & acumen ingenij, ac mentis perſpicaciam, quod coaleſcit ex qualitatibus diſponentibus homines ad functiones ingenio, & menti appropriatas, ſed temperamentum cholericum eſt huiuſmodi, ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia temperamentum cholericum conſtat ex calore dominante ſicco, ſed caliditas, & ſiccitas diſponunt homines ad functiones ingenio, & menti conuenientes, ſiquidem acrimonia, & celeritas, quibus bilioſi abundant, ex calore, & ſiccitate dimanantes, inclināt ad operationes mentales, & intellectuales obeundas, ergo temperamentum cholericum conſtat ex qualitatibus conuenientibus ingenio, & menti, & per conſequens temperamentum cholericum debet eſſe accommodatius ad excellentiam ingenij, & perſpicaciam mentis oſtendendam, quam cætera temperamenta.

Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem, iterùm neganda eſt minor. Et cum probatur, bilioſos eſſe acres, & celeres in obeundis functionibus ingenio, & menti conuenientibus;dicimus acrimoniam, & celeritatem non ſufficere ad functiones ingenioſas, & mentales; verùm prærequiri maturitatem ad iudicandum, & firmitatem, ac conſtantiam ad retinendum, qua melancholici præſtant bilioſis ſolùmodò; vnde Galenus primo de natura humana com. ad t. 39. inquit: Animi acies, & intelligentia à bilioſo humore,conſtantia,& firmitas à melancholico.

Obijcitur quarto temperamentum melancholicum vtpotè conſtans ex atrabili frigida, valdè ſicca, denſa & fæculenta, craſſaque potiùs ſtupidos, & obtuſos homines facit,quàm acres, & celeres in intelligendo, & deliberando, ergo nō benè percipi poteſt, quomodo huic temperamento conuenire poſſint excellentia ingenij, & perſpicacia mentis. Antecedens clareſcit, ex ijs, quæ ſcripſerunt Hippocrates ſexto Epidemiorum, & Galenus de locis affectis cap. 6. vbi dixerunt melancholicos eſſe formidoloſos, ſolitarios, & inſanos.

Reſpondetur duo eſſe genera melancholicorum, vt aduertit Ariſtoteles,& Galenus in ſupracitatis locis, alterum,quod coaleſcit ex atrabili, calori coniuncta, bili attenuata, ſanguine claro,ac purpureo rubore ſuffuſa: alterum vero, quod abundat quidem atrabili, ſed ſicca, frigida, denſa, lucido colore, ac plumbeo conſperſa. Qui priori valent temperamento, eos Ariſtoteles denunciat ma-

magno, & excellenti ingenio præditos: cæterum qui poſteriori ſub temperamento naſcuntur, illos ſtolidos, ſtupidos, & ad ingenioſas, ac mentales functiones obeundas ineptos pronunciarunt Ariſtoteles, Hippocrates, & Galenus citati. Ex quibus infertur atrambilem, pro ratione menſuræ, qua cum alijs humoribus permiſcetur, varios effectus parere, non ſecùs quàm vinum, dùm immodicè ſumitur, vt notat, ac docet Ariſtoteles lib. Problem. Sect. 30. problem. primo ſiquidem interdum iracundos, nunc miſericordes, quandoque lætos, aut triſtes, quandoque garrulos, vel taciturnos, & nonnunquam contumelioſos, ſic dicendum eſt de atrabili, ſi cum alijs humoribus commixta inueniatur, vt ſupra adnotauimus ex eodem Ariſtotele, & cæteris Medicis. Nonnullas alias quæſtiones de temperamenti natura, quas exagitant Recentiores hic, nos pertractauimus cum Ariſtotele in lib. 4 Meteorologicorum Diſputatione 3. per totam; alias prælibauimus in ſecundo de Anima Diſput. 1. q. 6. aliaſque ad longum diſcuſſimus in tertio de Anima Diſp. 5. per totam, quare in præſentiarum eiſdem valedicere debuimus, nè illa, quæ aliàs digeſſimus, iterum repetere cogamur, ac proinde legentibus faſtidio ſimus.

De Cauſis Generationis, & Corruptionis Miſtorum.

SVMMA IV.

HÆc eſt ſumma quarta, & vltima huius libri, in qua Ariſtoteles promittit ſe velle agere de Cauſis vniuerſalibus Generationis, & Corruptionis rerum generabilium, & corruptibilium, & illam diuidit in tria capita. In quorum primo inquirit cauſas vniuerſales rerum generabilium, & corruptibilium, quæ, & quot ſint, & quinam errores Antiquorum irrepſerint circa ipſas. In ſecundo oſtendit quænam ſit cauſa perpetuitatis Generationis, & Corruptionis. In tertio declarat quonam pacto in rebus detur neceſſitas conſecutionis, & reuerſionis, & quomodo nem fiat.

Quoad primum caput. in T. LI. duo facit. Primum proponit ſuam intentionem, quæ eſt inueſtigare cauſas vniuerſales generationis, & corruptionis: dicens, quod cum ſint quædam corpora, quæ circa terram ſiunt, ideſt particularia, generationi, & corruptioni, obnoxia, conſentaneum eſt, vt antequam deliberetur de illorum generatione, & corruptione in particulari, vt fiet in alijs operibus, in præſenti agatur de cauſis generationibus, & corruptionibus omnibus, in vniuerſali conuenientibus: ſiquidem hiſce bene perſpectis, non erit difficile deliberare de eiſdem etiam in particulari, quia cognitio particularium facilius deprehēditur per cognitionem vniuerſalium. Alterum, quod exequitur in eodem tex. eſt enumerate cauſas vniuerſales generationis, & corruptionis, inquiens: tres eſſe cauſas vniuerſales generationis, & corruptionis, nempe materiam, formam, & efficientem, ſiquidem duæ tantum non ſufficiunt, ſed tertia de neceſſitate addenda eſt. Probat conſequentiam à ſimili de cæleſtibus corporibus in ordine ad motum; ſicut enim in cæleſtibus corporibus duæ cauſæ, ideſt materia, & forma, quibus coaleſcunt, non ſufficiunt ad motum, ſed oportet adeſſe tertiam, quæ habeat vim mouendi, nempe intelligentiam, ſic in iis quæ mutari debent per generationem, & corruptionem, non ſat erunt materia, & forma, ex quibus conſtant corpora generabilia, & corruptibilia, verùm addenda eſt cauſa tertia nempè efficiens, quæ materiam immutet, & formam inferat.

Hic textus eſt notandus ad probandam compoſitionem Cæli ex materia, & forma, vt probauimus in primo Phyſicorum Diſp. 3. q. 10. & in primo de Cælo, & Mundo Diſp. 2. q. 1. etiam in ſententia Ariſtotelis contra Auerroem lib. de ſubſtan. Orbis c. 2. & lib. 8. Metaph. cap. 4. & lib. 1. de Cælo cap. 2. vbi docuit, Cælum in ſententia Ariſtotelis, eſſe formam per ſe cohærentem abſque materia.

In eodem tex. explicat has tres cauſas per ſuas deſcriptiones dicens. Materia eſt qua res poteſt eſſe, & non eſſe. Ad cuius intelligentiam diuidit res in neceſſarias, quæ aliter ſe habere non poſſunt vt ſunt Cæli, & Intelligentiæ; in impoſſibiles, vt ſunt chimeræ, quibus repugnat eſse à parte rei, & in poſſibiles eſse, & non eſse, vt ſunt res ſublunares, quæ conuertuntur ad eſse, & non eſse: vndè de illis ſolùm intelligitur deſcriptio materiæ, adeò vt ſit ſenſus. Materia eſt qua res poſſibiles, & ſublunares poſ-

ſunt

ſunt eſſe, & non eſſe: quandoquidem dùm materia formam ſuſcipit in ſe, res genita accipit eſſe; cùm verò formam abijcit, res corrumpitur, & accipit non eſſe. Formam autem deſcribit, aiens, eſſe cuius gratia aliquid fit, ſpecies, & ratio ſubſtantiæ vniuſcuiuſque rei; hoc eſt, forma eſt finis, gratia cuius vnaquæque res accipit eſſe, & conſtituitur in determinata ſpecie. Ex his concludit, materiam,& formam eſſe cauſas generationis, & corruptionis rerum generabilium, & corruptibilium omnium vniuerſales.

In T. LII. aggreditur explicare tertiam cauſam vniuerſalem, nempè efficientem, de qua parùm, & quaſi ſomniantes, locuti ſunt Antiqui: Nàm Plato in Phædone, ſubſtituens perſonam Socratis, ſentit, res omnes accipere eſſe, & interire ab idæis, vt à cauſis vniuerſalibus, iuncta tamen materia, in quam defluerent ſpecies, & imagines rerum generabilium, & corruptibilium: vndè putabit idæas facere generationes,& corruptiones omnium rerum; cùm enim in materia ſuſciperentur imagines rerum impreſſæ ab idæis, fiebant generationes, & corruptiones, cùm illæ abijcerentur ab idæis: ac proindè ponebat idæas, cum materia, eſſe cauſas effectrices vniuerſales omnium rerum. Alij verò, ex Antiquioribus, ponebant in materia duplex officium, & efficientis, & materiæ: efficientis quidem, cùm accidentibus, & qualitatibus diſpoſitiuis affecta, ſe mouet ad generationem, vel corruptionem: materialis verò cauſæ, dùm formas genitas à ſe, in ſe recipit, vel abijcit, & ſic dicitur generare, & corrumpere omnes formas generabiles, & corruptibiles.

In eodem tex. arguit, & refellit opinionem Platonis dupliciter. Primò, quia data hac poſitione, ſemper eſſet generatio,& nūquam corruptio: Probat ſequelam, quia præſentibus cauſis generationis ex actu, ſemper fit generatio, ſed per hanc poſitionem,materia eſſet ſemper præſens,& diſpoſita ad ſuſcipiendas imagines formarum, hæ itidem præſtò eſſent, quia ſunt ideæ, gerentes etiam vicem efficientis, ergo cùm omnes cauſæ, requiſitæ ad generationem, ſemper præſtò eſſent, ſemper eſſet generatio,& nunquam corruptio. Secundò, quia ex ijs, quæ conſpiciuntur in arte, indagare debemus neceſſaria in natura; ſiquidem ars eſt æmula naturæ,ſed in arte præter materiam, & formam, reperitur cauſa efficiens diſtincta ab eis, ergo materia, & forma non ſufficiunt ad generationes, & corruptiones, verum addenda eſt efficiens ab illis diſtincta. Minorem probat, quia in ſanatione præter ſanitatem, & eius ſubiectum, exigitur Medicus: ſimiliter in docendo preter ſcientiam, & diſcentem, requiritur Magiſter, atqui Medicus in ſanatione, & Magiſter in docendo ſunt efficientes; ſanitas, & ſubiectum. Scientia, & ſcientiam addiſcens ſunt materia, & forma, ergo in arte,præter materiam,& formam neceſſaria eſt efficiens ab eiſdem diſtincta.

In T. LIII.refellit pariter dupliciter etiam opinionem Antiquiorum:tum quia materię eſt pati, & moueri; mouere autem,& agere alterius potentiæ, nempè efficientis, ergo malè dixerunt materiam habere rationem efficientis; ſiquidem materia, & efficiens non coincidunt,vt aliàs probauit in ſecundo Phyſicorum: tùm etiam, quia experientia comperimus, lignum ex ſe non moueri ad Sectum, ſed ab artifice: ergo nec in natura aqua mouebitur ad animal,ſed ab aliquo tertio: tùm denique, quia hæc poſitio aufert à natura nobiliſſimam cauſam agendi,quæ eſt forma; ſiquidem ablatio efficientis,inuoluit ablationem formæ, quia forma vnius, efficiens eſt alterius; ſiquidem agens agit, & efficit per ſuam aliam formam, igitur de neceſſitate in generationibus, & corruptionibus requiruntur iſtę tres cauſę vniuerſales à ſeinuicem diſtinctæ.

In T. LIV. variant expoſitores; alij namque putant, Ariſtotelē proſequi in hoc textu impugnationem præcedentis ſententiæ in eo, quod dixerint, materiam, virtute qualitatum, quibus affecta ſit, generationes,& corruptiones moliri, abſque formæ interuentu, tanquam per inſtrumenta,vt volunt Conimbricenſes, ſequuti interpretationem D. Thomæ, & Auuerois: alij vero, vt Alexander, & Philopponus, quos ſequitur Toletus, autumant, illum carpere opinionem Parmenidis, ponentis calidum,& frigidum, veluti duo actiua principia, quibus mediantibus, materia efficiebat omnium rerum generationes, & corruptiones. Cæterum meo videri, hæc, quæ apparet lis,& controuerſia de intentione Philoſophi, nulla in ſubſtantia exiſtit, ſiquidem ijs rationibus vtraque infrin-

frin-

Digitized by Google

ſtringitur poſitio, ſiuè ſit Antiquorum, vt volunt Conimbricenſes cum D. Thoma, ſiuè Toleti cum Alexandro, & Philoppono, quandoquidem ſic arguit Ariſtoteles, accidentia, ſiue ſint inſtrumenta actiua in materia, ſiue in alijs corporibus, vt calidum, & frigidum, nequeunt agere, niſi virtute principalis agentis, ergo ſi auferatur forma a materia, in qua reſidet virtus agendi, impoſſibile eſt, quod materia, mediantibus illis accidentibus, agat ad generationem, & corruptionem. Conſequentia patet, quia materia abſque forma eſt ſolùm pura potentia paſſiua, cuius eſt pati, & non agere, igitur ad hoc vt poſsit agere, exigitur vt habeat formam, quæ ſecundum ſe eſt actiua, & alteri præbet virtutem agendi. Antecedens patet, quia ſicut in arte, inſtrumenta non agunt abſque virtute principalis agentis, ſerra enim non ſecat, aut diuidit lignum, niſi impulſum recipiat à manu ſerrantis, ſic in natura, accidentia, quamuis ſint actiua, non poterunt agere ad generationem, & corruptionem, niſi vim agendi receperint à principali agente, & efficiente, quod eſt forma, vel aliud diſtinctum ab ea, in eius virtute, non verò materia. Deindè ignis, quamuis per ſuum calorem agat calefaciendo lignum, tamen non comburit, niſi moueatur à propria forma, vel à cauſa vniuerſaliori, ergo multò minus poterit materia, quæ ſolùm eſt potentia paſſiua, cum ſolis accidentibus, abſque forma, in qua ſita eſt vis agendi, mouere ſe ad generationem, & corruptionem. Exigitur ergo etiam cauſa efficiens, ab ipſa diſtincta.

In T. LV. excluſis aliorum opinionibus de cauſis generationis, & corruptionis, propriam ſententiam ſtatuit ex his, quæ alibi diſpoſuit, nempè tres eſse cauſas vniuerſales, ex quibus concluditur perpetuitas generationis, & corruptionis in rebus generabilibus, & corruptibilibus, nimirùm materiam, formam, & efficientem: nàm in ſecundo Phyſicorum oſtendit quatuor cauſas rerum naturalium in vniuerſali. In hoc ſecundo libro in particulari demonſtrauit dari materiam, & formam. In 8. Phyſicorum, & in primo de Cælo motum Cæli eſse perpetuum, & eſse adductiuum Solis, qui eſt pater generationum, & corruptionum, ex quibus concluditur perpetuitas generationum, & corruptionum ſic: nàm ſtantibus cauſis generationis, & corruptionis, perſeuerat perpetuitas generationis, & corruptionum, ſed iſtæ tres cauſæ ſemper conſtituunt, materia enim eſt perpetua, & in ipſa formę ſibi inuicem ſuccedunt, & motus cæli adductiuus Solis, vt efficientis, eſt perpetuus, ergo generationes, & corruptiones erunt perpetuæ.

Quoad ſecundum caput, in quo oſtendere nititur cauſas perpetuitatis generationis, & corruptionis, in T. LVI. arguit, quod motus cæleſtium corporum nequeat concurrere ad huiuſmodi perpetuitatem propter duo: tùm quia, cum talis motus ſit ſemper vnus, & idem, non poſsent eſse generationes, & corruptiones, ſed vel generationes, vel corruptiones ſolùm. Conſequentiam probat, idem enim, & ſimiliter ſe habẽs ſemper idem natum eſt facere: tùm quia contrariarum mutationum debent eſse contrariæ cauſæ, ſed generatio, & corruptio ſunt contrariæ mutationes, ergo ſi motus concurrit, vt cauſa, vel debent eſſe motus contrarij, vel ſi eſt tantum vnus, debet ſe habere inæqualiter erga contrarias mutationes, atqui motus primi mobilis cùm ſit vniformis, nequit inæqualiter ſe habere, igitur nec eſſe cauſa poterit contrariarum mutationum, cuiuſmodi ſunt generatio, & corruptio.

In eodem tex. ſatisfit his duobus argumentis, & oſtenditur quiſnam motus, & quomodo ſit cauſa perpetuitatis generationis, & corruptionis, etſi contrariæ ſint, dicendo motum, qui concurrit ad generationem, & corruptionem, non eſſe lationem primi mobilis, quæ eodem modo ſemper ſe habet, ſed motum Solis ſub circulo obliquo, ſeu Zodiaco, qui prout eſt perpetuus, cauſa eſt quod generationes, & corruptiones nunquam intermittantur; & prout varius, ſeù contrarius, & non ſemper eodem pacto manens, cùm nunc moueatur ab oriente ad occidentem: nunc verò ab occidente ad orientem, præeſt veluti pariens moliendo generationes, & corruptiones, quàmuis contrarias, per acceſſum, & receſſum à nobis: ſiquidem cùm accedit ad nos, & fit propè, generat: cùm autem recedit à nobis, & longè diſtat, corrumpit: ſicque fit, vt contrariarum mutationum, in eodem inæqualiter ſe habente, contrariæ ſint cauſæ.

Digitized by Google

In T. LVII. ex his colligit tempora generationis, & corruptionis eſſe æqualia iuxtà menſuram acceſſus, & receſſus à nobis: quandoquidem cùm recedit à Capricorno in Cancrumque accedit, ſex menſium ſpatium conſumitur,& aliud ſex menſium ſpatium per agitur, cùm à Cancro recedit & in Capricornum redit, ac proinde in tempore æquali fiunt generationes, & corruptiones: illæ namque fiunt Vere, & Æſtate: iſtæ autem Autumno, & Hyeme.

Deindè in eodem textu,ſubijcit vitam cuiuſque viuentis, certa periodo in eodem circulo contineri,& à cæleſti influxu metiri, regulariter tamen loquendo; quia accidit,& non tarò, vt ob in temperantiam in viuendo; vel ob aliquem euentum fortuitum, qui iuxtà temperamentum diù viuere debuerant, breui temporis interuallo, vitam cum morte commutare cogantur.

In T. LVIII. quæ dixit de æqualibus ſpatijs generationis, & corruptionis, videntur experientia etiam comprobari: nàm oculis conſpicimus, vt appropinquante ad nos Sole, fiant generationes in viuentibus,vt accidit in Vere, & Æſtate: & recedente à nobis, vt euenit in Autumno, & Hyeme,fiant corruptiones in plantis,& cæteris viuentibus.Et licet interdùm accidat, vt generationes, & corruptiones citius in aliquibus fiant,in alijs verò tardiùs, dicit hoc euenire ob fælicitatem, vel infælicitatem materiæ præparandæ, ex quibus formæ viuentium educendæ ſunt.

In T. LIX. tradit cauſam finalem perpetuitatis in generationibus,& corruptionibus quæ eſt conſeruatio rerum in proprijs ſpeciebus, & probat, quia natura intendit id, quod melius eſt, ſed melius eſt eſſe, quàm non eſſe; quia per eſſe participatur ab vnaquaque Diuina natura: ergo conſeruatio rerum intenditur a natura; at res nequeunt conſeruari ſemper in vnitate numerica, ergo intenditur illarum conſeruatio in vnitate ſpecifica, quæ nequit fieri, niſi per viciſſitudinem generationum, & corruptionum, abſque vlla intermiſſione, ergo conſeruatio rerum per continuas generationes, & corruptiones indiuiduorum, ſibi ſuccedentium, in vnitate ſpecifica erit finis perpetuitatis generationis, & corruptionis, a natura intentus.

Ex hoc infert, quod huiuſmodi generationum, & corruptionum perpetuitas, per continuam ſucceſſionem vnius ad aliã imitatur motum circularẽ corporum cæleſtiũ: nam ſicut ille progrediens ab vno pũcto redit in idem punctũ,ſic ex aqua,v. g. per mutuam generationem fit recurſus ad eandem aquam, cum ex aqua generatur aer, ex aere ignis, ex igne iterum aer, & aerea aqua.

In T. LX.Ex hac doctrina ſoluit dubium, cur elementa, quæ naturaliter tendunt in propria loca, cùm infinitum tempus tranſierit, non ſint adinuicem diſtracta, & in proprijs regionibus ſeparata conſiſtant, dicendo, ideò hoc euenire non poſſe, quia adinuicem congrediendo, mutuò generantur, & corrumpuntur, & quaſi circulatiter lata, redeunt ad idem punctum, a quo prius receſſerant, abſque hoc, quod valeant in ſuis regionibus quietè conſiſtere.

In T. LXI. quia enim ſuperius dixit motum concurrere ad perpetuandas generationes, & corruptiones, propterea neceſſatiò debuit ad motorem, vt ad cauſam efficientem motus,ſe conuertere:non enim reperiri poteſt motus abſque motore. Verùm quia etiam ſuperius dixerat,non vnum duntaxat eſſe motum,ſed plures,propterea infert,plures etiam eſſe motores: Et ſicut plures illi motus reducebantur ad vnum omnium primum, ſic & motores recognoſcere debeat vnum omnium primum motorem,à quo cæteri dependeant in eſſe,& in mouere. Vnde ex his infert has conſequentias. Motus eſt, ergo motor eſt:Deinde motus ſemper eſt,ergo motor ſemper eſt.Iterùm motus eſt perpetuò cõtinuus,ergo motor vnus eſt immobilis,ingenerabilis,& inalterabilis.Ex his demùm infert, ſi motus ſint plures, perpetuò continui, & motores debent eſſe plures perpetui, & immobiles, qui tamen perpetuò,& continuò moueant, quamuis dependenter ab vno primo, vt oſtendit in lib.8. Phyſicorum, & lib. 12. Metaphyſicorum.

Quod autem motus ſit continuus oſtendit à poſteriori ex tempore, quod cum ſit contiuum, & nõ poſſit ſeparari à motu,quia eſt eius numerus, vt dictum eſt in Phyſicis ſequitur de neceſſitate,motũ eſſe continuũ.

In T. LXII. mouet dubium de continuitate motus circularis, an ſit continuus, eo quod mobile ſit continuum:aut ex parte loci,

ci, vel ex parte termini, ſi motus ſit ad terminum continuum, vel in loco continuo. Reſpondet motum circularem eſſe continuum, ex parte mobilis, ſeù ſubiecti, ſuper quo fit: ſiquidem accidens ſumit denominationem à ſubiecto, in quo exiſtit; cũ igitur motus circularis fiat ſuper magnitudine continua circulo concluſa, ſequitur motũ circularem eſſe continuum ex parte ſubiecti, ſeù mobilis.

Quo ad tertium, & vltimum caput, in quo determinare nititur neceſſitatem, aut contingentiam generationum in particulari, proinde mouet hanc quæſtionem. An, cum generationum ſenes ſit perpetua, ſit quæuis generatio neceſſaria, aut omnes contingentes, itaut ſingulæ poſſent non fieri, ſic dubitatur ab eo in T. LXIII.

In T. LXIV. reſpondet quaſdam generationes eſſe neceſſarias, & quaſdam contingẽtes, & probat dupliciter. Primò ex modo loquendi, nàm ſi velimus exprimere aliquã rẽ futuram, duplici phraſi poſſumus vti, priori dicendo, hanc rem eſſe futuram aliquando, & tunc ſignificamus, illam ſic fore euenturã, vt poſſit non euenire, ac proindè eſſe cõtingentem futuritionem: poſteriori verò ſi vtamur, ſolemus dicere, hæc res erit, & tunc innuimus neceſſitatem futuritionis, vt cùm dicimus craſtina erit circulatio Solis, quia Sol de neceſſitate eueniet, ergo idem dicendum eſt de generationibus, vt aliæ ſint contingentes, & aliæ neceſſariæ, quamuis vna ſuccedere alteri debeat.

In T. LXV. & LXVI. Secundo probat reſpõſionem, quia generatio eſt via ad eſſe eius rei, quæ generatur, ſed rerum generabilium, quædam habent eſſe neceſſarium, & quædã contingens, ergo & generationes debẽt eſſe quædam neceſſariæ, & quædam contingentes. Minor probatur, quia Solem eſſe modo in Cancro, & modo in Capricorno, eſt neceſſarium, Socratem autem currere eſt contingens, ergo ſicut rerum generabilium, aliæ ſunt neceſſariæ, & aliæ contingentes, ita & generationum aliquæ erunt neceſſariæ, & aliquæ contingentes.

In T. LXVII. mouet aliud dubium. An ſicut prius in generatione conſequitur neceſſario ex poſteriori in generatione, ita ex poſitione prioris colligatur poſterius hoc eſt, ſi neceſſariò ſequitur, domus eſt, igitur fundamenta fuerunt; & ſi fundamenta ſunt, igitur fuerunt lapides, & lutum, quia hæc ſunt priora, & illa poſteriora: ita neceſsariò valere debeat, ſi lapides sũt, ergo fundamẽta sũt: ſi fũdamẽta sũt, ergo domus eſt, vel erit? Soluit dubiũm diſtinguendo, vel enim poſterius, quod ſequitur ex priori, eſt neceſſarium in ſe, vt fiat, tunc ex poſitione prioris, ſequitur eſſe poſterioris, vt ſi eſſet neceſſarium domum eſſe, ſequeretur de neceſſitate, domum fore, ſi fundamenta ſint; verum hæc conſecutio non erit virtute prioris, ſed quia neceſſarium eſt in ſe, vt fiat domus vel autem poſterius, quod ſequitur ex priori, non eſt neceſſarium in ſe, vt fiat, & ſic poſterius non ſequitur ſimpliciter ad poſitionem prioris, verùm duntaxat neceſſitate conſequentiæ non verò conſequentis ſequetur, & ſic contingenter, & non neceſsariò.

In T. LXVIII. nititur oſtendere, quonam pacto in generationibus rerum corruptibilium poſſit eſse perpetuitas, & neceſſitas, & ad hoc demonſtrandum ſupponit duplicem poſse inuenire progreſsum in generationibus: Rectum vnum, & circularem, alterum. Progreſsus rectus eſt cũ generatur vnum poſt alterum ſucceſſiuè, & ſunt diuerſæ ſpeciei, vt cum ex terra fit aqua, ex aqua aer, & ex aere ignis. Progreſsus circularis eſt, cum non omnia, quæ generantur ſunt diuerſæ ſpeciei, ſed fit regreſsus ad alterum eiuſdẽ ſpeciei, vt cùm ex terra madefacta, ſiuè ex aqua generantur vapores, & ex vaporibus pluuia, & ex pluuia, iterum madefit terra, & ex terra ruſſus generantur vapores.

Hoc ſuppoſito reſpondet ad dubium dicẽs: in generationibus non dari perpetuitatẽ ſecundũ progreſsum rectum; verùm reperiri in eiſdem ſecundum circularẽ. Probat primam partem, ſi generationes eſsent neceſſariò perpetuæ ſecundum progreſsum rectũ vel eſsent finitæ, vel infinitæ, ſed neutrũ eſt dicendũ, ergo &c. Maior patet, quia inter finitum, & infinitum, non datur medĩũ Minorem probat: Non poteſt dici, eſse finitas, quia finitum indè procedens abſque repetitione tandem conſumitur. Neque poteſt dici eſse infinitas, quia tũc nulla eſset neceſsaria, nec in ſpecie, nec in indiuiduo. Sequela probatur quia in ſibi inuicem ſuccedentibus, non poteſt generatio prioris eſse neceſsaria, niſi præſuppoſita neceſſitate poſterioris; ſicut non poteſt concludi neceſſitas fundamenti, niſi præſuppoſita neceſſitate domus, ſuper

Q 2 illo

Digitized by Google

illo conſtituendi; ſed non ſequitur neceſſariò poſterius, ex poſitione prioris, niſi præſupponatur neceſſitas poſterioris abſolutè, & in ſe, quæ tamen nequit dari in infinitis, in quibus, nec primum, nec vltimũ valet aſſignari; ergo nec poterit aſſignari ſeries generationũ ſecundum rectum in infinitis rebus, quæ ſit neceſſariò perpetua. Probat ſecundam partẽ de progreſſu circulari, ſuppoſita æternitate Mundi, quam viſus eſt probare, ſed falsò, in lib. 8. Phyſicorũ, vt ibidem aduertimus: & ſic poteſt confici argumentum: Exiſtentia Mũdi eſt æterna, ergo Elementa, in ea diſpoſitione, quam modò habent, æterna ſunt, ſed in elementis datur circularis generatio perpetua per regreſſum in idem; ſiquidem ex terra madefacta generantur vapores: ex vaporibus nubes, ex nube pluuia, ex pluuia iterùm madefacta terra, ex hac iterum generantur vapores, & ſic in perpetuum fiunt generationes circulares, ac proindè habetur perpetuitas generationum per circularem progreſſum.

In T. LXIX. probat eandem ſecundã partẽ, quia ſol ſuo motu circulari perpetuò mouetur, generando, & corrũpendo in his ſublunaribus, ergo cùm generationes, & corruptiones rerum ſublunarium pendeant à motu Solis, ſequitur illas circulò eſſe perpetuas, ſicut perpetuus eſt motus Solis, à quo, vt à cauſa, veluti effectus procedunt.

In T. LXX. & vltimo huius libri, mouet hoc dubium, cum in quibuſdam detur regreſſus circularis generationum in idem, vt patet de aqua genita ex nube, & hæc ex vaporibus, ac ex vaporibus iterùm nubes, & aqua, cur hoc non accidat etiam in generationibus animalium? An ſicut in homogeneis datur reuerſio eiuſdem in ſeipſum, ſic non admittatur etiam in Etherogeneis, vt ſunt homines, & cætera animalia? Reſpondet res eſſe in duplici diſcrimine: aliæ namque ſunt natura ſua incorruptibiles, vt Sol, & cætera corpora cæleſtia: aliæ verò ſunt natura ſua corruptibiles, vt hæc omnia ſublunaria. Si ſermo ſit de prioribus, certum eſt, illas poſſe reuerti in idem numero: Sol enim, cùm occumbit, & quodammodo videatur corrumpi, cùm mutatur ab vno ad aliud ſignum, idem numero renaſcitur, & reuertitur ad idem ſignum in quo viſus fuit occumbere, quia eſt incorruptibilis ſubſtantialiter; ſimiliter quia motus ſequitur natura mobilis, cùm Sol ſit natura incorruptibilis, etiam eius motus reuerti poteſt in idem numero, ſicut Sol. Si verò ſermo fuerit de ijs rebus, quæ corruptioni ſunt obnoxiæ, dari etiam poterit reuerſio in idem ſpecie, non verò in idem numero, & ſicut manifeſtum eſt in generationibus circularibus rerum homogenearum, vt exemplificatum eſt de aqua, & cæteris Elementis; ita etiam videri poteſt in generationibus circularibus rerum Ethetogenearum, cuiuſmodi ſunt homines, & cætera animantia: ſiquidem etiam in his perpetuantur generationes circulares in ſpecie, licet non in numero, cùm illarum ſubſtantiæ ſint corruptibiles indiuidualiter, & poſſunt non eſſe. Et hæc de textu huius ſecundi libri de Generatione, & Corruptione dicta ſint ſatis.

De Cauſis vniuerſalibus Generationis, & Corruptionis.

DISPVTATIO IV.

Cauſarum rerum naturalium numerum variè fuiſſe ſtatutum ab Antiquis, alias adnotauimus; quandoquidem alij numerum minorem quaternario, & alij maiorem poſuerunt. Democritus enim, teſte Cicerone lib. 1. Quæſt. Academicarum, ſolam materiam ponebat: Stoici, vt refert Seneca libro 8. Epiſtol. 66. efficientem duntaxat concedebant: Socrates ſolam finalem poſuit: Plato autem, addendo ijs, quas recenſuimus, formalem, exemplarẽ, & inſtrumentalem, cauſas ad numerum ſenarium reduxit. Cæterum Ariſtoteles, diſtinguendo inter Cauſas Vniuerſales, & Particulares: Has enumerauit quatuor in ſecundo Phyſicorũ à t. 27. vſque ad t. 31. nempè Efficientem, Finalem, Materialem, & Formalem: Illas autem recenſuit tres in hoc lib. ſecundo de Gener. & Corrupt. Sum. 4. cap. 1. per totum, nimirum Materiam, Formam, & Efficientem, de quibus agendum nobis eſſet in præſenti diſputat. quarta, & vltima: verùm quoniam omnium naturas, & quiditates ſufficienter conſiderauimus in ſecũdo Phyſicorũ Diſp. 3. q. 3. & Diſp. 4. & 5. per totas, propterea nunc ab eiſdem abſtinentes, nè videamur idem repetere, ſolùm nonnullas difficultates, quæ illarum cauſalitates in vniuerſum

ſum tangere videbuntur, breuiter exagitare, & enucleare tentabimus, vt finem imponamus huic operi de Gener. & Corruptione. Et prima ſit.

Vtrum omnia viuentia, ex eo, quod coaleſcunt ex materia, & forma, habeant, de lege natura, determinatam periodum vita, & neceſſitatem moriendi.

QVÆSTIO I.

QVàmuis quotidiana experientia nos doceat omnia viuentia, etiam poſt longum vitæ curſum, tandem fore ſubiecta extinctioni, ac morti: nihilominus, quoniam nonnulli ambigunt, an mors obuentura ſit nobis, tanquam pœna culpæ originalis, vel vt defectus naturæ, propterea oritur controuerſia hic exagitanda, & pro viribus decidenda: An nimirum mors in viuentibus ſit pœna peccati Adæ protoparentis, vt dicitur Geneſ. cap. 2. *In quocumque die, comederis ex eo, morte morieris*: vel ſit defectus naturæ, quem poſt breuem, aut longam luctam quatuor primarum qualitatum contrariarum, velint, nolint debent incurrere omnia viuentia, vel directè, vel indirectè.

Priorem partem viſi ſunt tueri multi Sancti Patres, fundati ſuper illud D. Pauli ad Romanos cap. 5.12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors per tranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Et paulò inferius. *Vnius delicto mors regnauit, & regnauit peccatum in morte.* Et ibidem cap. 6. ſubditur. *Stipendia peccati mors.* & ibidem cap. 8. & 10. *Corpus propter peccatum mortuum eſt.* Ita Eccleſia in Concilio Mileuitano can. primo vbi inquit: *Quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, itaut ſiuè peccaret, ſiuè non peccaret, hoc eſt de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate natura, anathema ſit.* Sic D. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioan. & lib. 1. in Geneſim ad finem. Theodoretus Dialogo 3. ad princip. tom. 2. D. Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſionibus cap. 2. & Ser. 101. de tempore. lib. 13. de Ciuit. Dei, vbi per omnia fermè capita, hanc noſtræ mortis cauſam aſſignat. D. Chryſoſt. hom. 17. in Gen. in Serm. de Interdictione Arboris. Homil. de lapſu primi hominis. Beda in mille locis, & præcipuè in cap. 5. ad Rom. mutuatus doctrinam D. Auguſtini ſuper eodem cap. D. Bernardus Ser. ad Milites Templi, & communiter omnes Doctores Catholici, qui de hac re ſcripſerunt, agnouerunt, & faſſi ſunt, mortis cauſam in hominibus fuiſſe peccatum primi Parentis Adæ.

Poſteriorem partem, ex oppoſito docuerunt communiter Philoſophi, & plures ex Theologis, ſequuti Ariſtotelem hic cap. 10. & lib. 4. de Gener. Animal. cap. vltimo Galenum in lib. Artis Medicæ, Auicen. Fen. 1. primi Doctr. 3. cap. 3. ad finem. Ita D. Thom. 1. par. q. 13. ar. 4. ad ſecundum Doctor Subtilis in 2. d. 19. q. vn. prope finem, & omnes eorum Diſcipuli, partim ibidem, partim verò ad t. Ariſtotelis hic, & in opuſc. de longitud. & breuit. Vitæ, ac præſertim Conimbric. hic cap. 10. q. 1. art. ſecundo & de longitud. & Breuit. Vitæ, Zanardus de Vniuerſo Cæleſti q. 6. & de Gener. & Corruptione q. 29. & alij multi, tum Philoſophi, tum Theologi, quorum meminit Vvadingus noſter in opuſculo de morte corporali B. Virg. Mariæ cap. 2. & 5. vbi concludunt, illam mortem oppetijſſe ob debitum naturæ, non verò culpæ, ſiuè originalis, ſiue actualis, à quibus penitùs immunis fuit.

Quid verò ſit nobis dicendum ſecundum mentem genuinam Doctoris Subtilis, aliquibus de more notatis, ac præmiſſis, dicemus reſoluendo quæſtionem in ſequentibus concluſionibus.

Primo igitur notandum eſt, vt colligitur ex Doctore Subtili in 2. d. 19. q. vn. ac ex alijs, & præſertim Conimbricenſibus, ac Zanardo nuperrime citatis, periodum vitæ, eſſe menſuram, ſeù durationem, qua rem corruptibilem viuentem metimur determinato ſpatio annorum, vel menſium, vel dierum, à Diuina Prouidentia, omnibus viuentibus præfixam, vt poſſint noſſe longitudinem, aut breuitatem vitæ, de qua videntur locuti D. Paulus ad Hebreos cap. 9. 27. inquiens: *Quemadmodum ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*: & Pſalmographus pſal. 89. dùm ait: *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta*

Digitized by Google

anni; ſi autem in potentatibus octoginta anni, amplius eorum labor, & dolor, quia demùm hominum periodus, eo temporis, vt plurimùm claudebatur morte. Et licet in hominum ſpecie vitæ periodus ſic poneretur incerta; non ita in ancipiti res agebatur in cæteris animalibus: ſiquidem vt adnotauit Ariſtoteles in ſua Animalium Hiſtoria, ſaltem in ſua quaque ſpecie, vitæ curſus determinatus videtur: nàm Aues dicuntur viuere vſque ad 13. annos: Capræ vſque ad 11. Canes vſque ad 12. Leones ad 20. Aſini ad 30. & Muli vſque ad annos octoginta, vt ipſe ſcripſit lib. 6. cap. 24. eiuſdem Hiſtoriæ, quod an tunc temporis, & modò ſit veritati conſonum, aliorum iudicio ſubmittimus: certum tamen eſt etiam nunc huiuſmodi animalia eſſe diuturnioris vitæ, præ cæteris, quæ nobiſcum domeſticè verſantur, vt experientia comprobari poteſt. Et quod dictum eſt de vita periodica animalium, idem philoſophandum eſt etiam in plantis, cæteriſque vegetabilibus, ſiquidem in ijs quoque apparet vita periodica, cùm alia ſint diuturnioris, alia breuioris vitæ, vt tradit Ariſtoteles in opuſculo de longitudine, & breuitate vitæ, & fuſiùs in hiſtoria Plantarum. Ex quibus infertur, quod, cùm omnia viuentia ſubeant hanc naturæ pœnam communem viuendi, & emoriendi, quod pariter ex communi cauſa cogantur hunc pati defectum, quæ potiſſimum eſt, vt docet Ariſtoteles in textu huius Summæ, quia omnia conſtant ex materia, & forma: materia namque eſt vniuerſalis cauſa, quares poſſibilis, vt diſtinguitur à ſempiterna, ſit, & non ſit: forma verò, vt res ſumat ſuum eſſe ſpecificum ſecundum propriam naturam; ac proindè inferendum identidem, omnia viuentia, ex eo, quod coaleſcunt ex materia, & forma, habere de lege naturæ, ſuam determinatam periodum viuendi, & neceſſitatem moriendi.

Secundò. Notandum, ex alias à nobis obſeruatis in tertio de Anima Diſp. 5. q. 6. Sect. 1. & 2. vitæ longioris, & breuioris periodum in quibuſcumque viuentibus, pendere partim ab intrinſecis, & partim ab extrinſecis cauſis. Si enim de prioribus ſit ſermo, dicendum in animalibus longiorem, aut breuiorem vitæ periodum deriuari à ſuppari, vel impari proportione calidi, & humidi; nam ſicut vita animalis conſiſtit in calidi, & humidi temperata coniunctione, ita dicendum eſt ab eorundem ſuppari, vel impari proportione, longiorem, aut breuiorem vitæ in animalibus periodum auſpicari debere: vnde colligitur frigidum, & ſiccum eſſe breuis vitę cauſam intrinſecam, ſicut humidum, & calidum diuturnæ: verum tamen eſt, quod vtrumque debet eſſe in tali proportione, vt vnum alteri vim inferre non poſſit: Equidem ſi humidum nimis excellat, calorem debilit, non ſecùs ac oleum ſeſe effundens flammam extinguit; calidum etiam ſi fuerit præualidum, humidum citò exiccabit, & comburet. Inſuper humidum debet eſſe neque purè aereum, neque purè aqueum, ſed tenax, miſtum, & benè compactum, ita tamen, vt aeris, & aquæ proprietates retineat: ſiquidem debet eſſe ſubtile, & de facili conuertibile, ſicut eſt aer, & benè cohærens, & ſpiſſum, quod eſt proprium aquæ, in tali denique ſtatu, vt humidum ſit magis aereum, quàm aqueum, & calidum potius ignem emuletur, vt humidi decoquendi actiuitatem exercere valeat. Si verò de poſterioribus agatur plures cauſæ ad diuturnitatem, ac breuitatem vitæ concurrere ſolent, nempè Cælorum influxus, Regionis fauor, aut inclementia, & victus ratio: nàm Ariſtoteles lib. 1. Meteorologicorum cap. ſecundo inquit, Mundum hunc inferiorem debere eſſe continuum lationibus ſuperioribus, vt indè regatur, vnde ſi influxus ſint benefici, qualitates proficuas, quæ vitam prorogant; ſi vero malefici, noxias qualitates congenerant, quæ breuem vitam ducere ſolent. Similiter ſi fauor, aut inclementia regionis ſpectentur, vt docet Ariſtoteles lib. 4. de Gener. Animal. cap. vltimo, corpora aſſiduè alterantur, & permutantur, quia aut nimio calore diſſoluuntur, aut nimio frigore indurantur, & congelantur: Itidem ratio victus eſt neceſſaria, & valdè confert ad conſeruationem, vel deſtructionem complexionum, & temperamentorum; qui enim moderato vtuntur victu, humidi radicalis incomoda ac diſpendia reſarciunt, vires confirmant, vitamque ad plures annos prorogant: qui verò immoderato potu, ciboque replentur, natiuum calorem obruunt, humidum radicale vehementiori humore præfocãt, vim nutritiuam infirmant, & intempeſtiuè vitam cum mor-

te commutant: Deniquè ſicut praua alimenti qualitas morbos excitat mortemque accelerat, ita ſalubris, & exquiſita Bonitas valetudini prodeſt, & dies in longum protendit vitæ. Præ omnibus tamen velim adnotari ab his, qui longitudinem vitæ cumulare, & in tempeſtiuam vitæ periodum arcere deſiderant, obligare ſatagant à ſe immodicas animi curas, & noxias voluptates, quæ natiuum calorem, ac vitales ſpiritus diſſipare, ac præfocare ſolent. Non multùm diſſimiles cauſæ exiguntur etiam in vita periodica plantarum ſi mutatis mutandis applicari velent vegetabilibus ea, quæ viuentibus animalibus iam conuenire hactenus oſtendimus.

Tertio. Notandum ex Doctore Subtili in 2. d. 19. quæſt. vn. ſub A. cauſas mortis, in viuentibus animalibus, & potiſſimum in hominibus, eſſe duas in genere, nempè ab intrinſeco, & ab extrinſeco. Prior refunditur, aut in mutuam actionem contrariorum adinuicem pugnantium vſque ad internecionem alterius, vel in defectum alterius contingentis, ſicut eſt ſubtractio alimenti, neceſſarij ad reſarciendum deperditum, in conflictu caloris natiui cum humido radicali. Occaſione prioris, actio vnius partis organicæ agit in aliam ipſam corrumpendo, vt indè corpus fiat indiſpoſitum, & inhabile ad animationem. *Iſta autem actio ponitur caloris naturalis in humidum radicale, conſumendo, & corrumpendo illud, ad cuius corruptionem, & conſumptionem, corruptio, & conſumptio ſequitur etiam caloris, & per conſequens animalis, & hoc modo, quia pars ſecundum ſpeciem habet certam periodum, & determinatam, in qua poteſt conuertere in ſe partem nutrimenti appoſitam, & in qua non, hoc autem poteſt, quandiu poteſt agere ſufficienter in nutrimentum: & quia omne agens phyſicum, agendo repatitur, & repatiendo debilitatur, ita tandem, quod non poteſt amplius conuertere, nec reſiſtere corrumpenti, & tunc huiuſmodi pars ſecundum ſpeciem incipit eſſe ſecundum materiã, & fluere in partem ſecundum materiam, deſinendo eſſe ſecundum ſpeciem: hac ergo eſt cauſa corruptionis, ſcilicet deperditio paulatiua illarum partium.* Et licet dicant aliqui, loquendo de iſta corruptione hominem in ſtatu innocentiæ non fuiſſe corruptum, *quia deperditio paulatiua fuiſſet reſtaurata per eſum fructus ligni vitæ, vt probatur per illud Gen. cap. 2. Ne fortè ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum*; tamen hoc non obſtante non impediretur corruptio, quia ex actione edendi debilitaretur, ſiquidem omne agens phyſicum in agendo debilitatur. *Eſto ergo, quod natura eſſet debilitata, & ſumeret de fructu, non potuiſset ſuſtentari per iſtum fructum, niſi conuertendo ipſum vt alimentum in ſubſtantiam, & naturam ſuam, ſed illud conuerſum, non potuit eſſe nobilius, quam conuertens: ſimiliter natura conuertens prius fuit debilitata, & in conuertendo etiam nutrimentum illius fructus debilitatur magis, ſicut enim in vna actione, ita, & in alia: & ideò magis, & magis debilitatur, quantò magis agit in conuertendo, ergo ſemper debilitatur, & ideò quandoque deficiet, vt patet exemplum Ariſtotelis primo de Gener. t. 42. de aqua mixta vino: nam vinum primò conuertit aquam in ſe: toties autem poteſt apponi aqua, quod deficiet virtus vini in conuertendo: vndè ſecunda vice minus fortiter operatur, quàm prima.* Ex defectu autem poſterioris, nempè per ſubtractionem alimenti, poteſt accidere mors: ſiquidem reſtauratio partis deperditæ eſt neceſſaria ad conſeruationem vitæ in quocumque viuente, quæ tamen non poſſet euenire, ſi alimentum foret ſubtractum. Ex cauſa deniquè corruptiua ab extrinſeco, inquit Doctor ibidem ſub E, *vel propter diſpoſitionem contrariam continentis: vel propter violentam actionem illatam ab aliquo extrinſeco. Primo modo contingit dupliciter, quia vno modo continens directè corrumpit, vt ignis corpus, quod continet: aliud eſt continens, quod non directè corrumpit, ſed prohibet illud, quod eſt neceſſarium ad vitam, cuiuſmodi eſt aqua, quæ prohibet reſpirationem, & inſpirationem, & ſimiliter terra, & iſta ſunt citò corrumpentia: Eſt etiam continens corrumpens, ſed non ita ſubitò vt aer regionis intemperata. Secundo modo poteſt fieri violentia corruptiua, vel ab homine, vel ab Angelo malo, vel à beſtia, ſiuè ab animali quocumque.* Ex his ergo cauſis, cum ſequatur mors, inferendum eſt, quodcumque viuens ſenſibile, & præcipuè homines, de lege naturæ, habere neceſſitatem moriendi, adeò vt non poſſint effugere mortem, & naturaliter immorta-

litate donari ; quandoquidem præſentibus cauſis, ex neceſſitate agentibus, non poteſt non ſequi effectus ab eis dependens.

Quarto. Notandum ex eodem Doctore Subtili ibidem reſpondendo ad argumenta principalia, mortem eſſe pœnam peccati originalis Prothoparentis Adæ atque adeò in hominès, vti pęnam transfuſam poſſe dupliciter intelligi, vno modo in actu primo, & originatiuè alio modo in actu ſecundo, & applicatiuè : vel in potentia remota, & potentia propinqua. Primo modo mors nequit dici pœna peccati Adæ; ſiquidem primus parens fuit conditus mortalis, vt innuūt Sancti Patres, & præcipuè D. Auguſtinus lib. 6. de Gèn. ad litteram cap. 25. vbi inquit, *quodammodo creatus eſt homo immortalis, quod erat ei de ligno vitæ, non de conditione naturæ. Mortalis erat de conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris.* Et in lib. Quæſt. Veteris, & Noui Teſtam. cap. 23. ſubdit : *Corpus Adæ tale non erat, quod diſſolui impoſſibile videretur, ſed guſtus arboris vitæ corruptionem corporis inhibebat. Nàm quòmodo immortale corpus habebat, quod cibo ſuſtentabatur? Immortalis enim non eget cibo, neque potu.* Morti igitur obnoxius erat primus homo in ſua primæua, & originaria conditione ; vnde ſi non peccaſſet, *mors non fuiſset plus pœna in hominibus, quam in brutis, & fuiſset conditio, vel paſsio conſequens talem naturam, ſic per mixtionem compoſitam, ſicut modo*, addidit Scotus ibidem ſub H. Secundo modo autem mors dicitur pœna peccati Adæ, *quia*, ſubdit idem Doctor §. Ad argumentum in oppoſitum : *propter peccatum fuit potentia illa reducta ad actum : ſi tamen non peccaſset, nihilominus habuiſsent homines huiuſmodi potentiam moriendi*. En quonam pacto conciliari poſſent huiuſmodi opiniones Philoſophorum, & Sanctorum Patrum, ne ſint diuerſæ, quæ contrariæ toto cælo apparent : Quandoquidem illi intelligi poſſunt de morte, ſecundum applicationem, & in actu conſiderata in natura lapſa : iſti verò de eadem in potentia, & in ſua originaria conditione ſpectata in natura integra, & ante peccatum.

Ex his igitur ſit prima concluſio. Omnia, & quæcumque Viuentia, ex eo, quod coaleſcunt ex materia, & forma phyſica, expoſtulant ſibi determinatam periodum viuendi. Eſt Ariſtotelis in hoc ſecundo lib. de Gener. & Corrupt. t. 58. Probatur prime auctoritate, inquit enim, *& in æquali tempore corruptio, & generatio, quæ ſecundum naturam. Ideò, & tempus, & vita vniuſcuiuſque numerum habet, & hoc determinantur: omnium enim eſt ordo. Et omne tempus, & vita menſurantur circuitu, ſed tamen non eadem omnia: ſed hæc quidem minori, hæc autem maiori*, ſed omnia viuentia, ex eo, quod coaleſcunt ex materia, & forma habent naturam, ergo omnia habent tempus, & numerum in generatione, & corruptione, ac vitam determinatam. Secundo probatur, quia materia eſt, qua res poſſibilis, poteſt eſſe, & non eſſe : forma verò, qua res conſtituitur in eſſe, vel non eſſe ſpecifico, ac determinato ex eodem Ariſtotele ibidem t. 51. ergo viuentia, ex eo, quod coaleſcunt ex materia, & forma, poſſunt eſſe, & non eſſe in ſua determinata ſpecie; atqui non eſſe in ſua determinata ſpecie, eſt habere determinatam periodum viuendi, & non viuendi, ergo viuentia, ex eo, quod conſtant ex materia, & forma, ſibi expoſtulant determinàm periodum viuendi, & non viuendi. Tertio probatur, generationes, & corruptiones in viuentibus æqualiter menſurantur ex eodem Ariſtotele ibidem t. 58. ſed in generationibus apparere, etiam ad ſenſum, determinata periodus, ſiquidem videmus Sole ad nos appropinquante in ſigni fætu, ac partu euaſei viuentia, ergo etiam in corruptionibus debet apparere, in ſigno interitus, determinata periodus, quam quoque experimur in abſceſſu Solis à nobis. Minor, & conſequentia clareſcit ex t. 58. iam citato, vbi Ariſtoteles inquit, *Videmus enim quod adueniente quidē Sole generatio eſt: recedente autem corruptio, & in æquali tempore vtrumque: æquale enim tempus generationis, & corruptionis, quæ ſecundum naturam*. Ergo quemadmodum in generationibus datur determinata periodus, ſic eſt quoque danda in corruptionibus, quod intelligendum eſt in indiuiduis, quia in ſpecie generationes, & corruptiones ſunt æternæ, & perpetuæ, vt probat in vltimo capite huius libri ſecundi de Generatione, & Corruptione.

Secunda Concluſio. Omnia, & quæcūque viuentia, de lege naturę, habent determinatā vitæ periodum, & neceſſitatem moriendi. Eſt Ariſtotelis hic cap. 10. & lib. 4. de

Gener.

Gener. Animal. cap. vltimo, & aliorum Philoſophorum, quos ſequuti ſunt plures ex Theologis, præſertim Scotus in 2. d. 19. q. vn. §. Concedo, quod primus parens habuit potentiam ad mori &c. Probatur primo auctoritatibus, nàm Ariſtoteles lib. 1. de Cælo, & Mundo t. 129. inquit, *Manifeſtum eſt autem, & ex diffinitione ipſorum*, (ideſt generabilis, & corruptibilis) *ſi generabile, corruptibile eſſe* neceſſe eſt, & in t. 127. ſubdit, generabile enim, & corruptibile ſequuntur ſeinuicem: ſed omnia, & quæcumque viuentia ſunt generabilia, igitur cum ſeinuicem ſequantur, neceſſe eſt eſſe etiam corruptibilia. Et in t. 140. habet: *Et naturaliter impoſſibili eſt, aut quod ſempiternum erat prius, corrumpi poſterius: aut quod prius non erat, poſterius ſempiternum eſſe: corruptibilia enim omnia, & generabilia, & alterabilia ſunt: alterantur autem contrarijs, & ex quibus conſtant, quæ natura ſunt, & ab eiſdem corrumpuntur.* Sed omnia, & quæcumque viuentia prius non erant, & poſterius fuerunt, & conſtant ex contrarijs naturaliter, ergo de lege naturæ omnia neceſſario debent corrumpi, ac mori. Secundo probatur ratione, quia vbicumque reperiuntur cauſæ naturales, & naturaliter agentes ad corruptionem, & mortem, ibi de neceſſitate ſequi debent corruptiones, & mortes, ſed in omnibus viuentibus reperiuntur huiuſmodi cauſæ naturaliter agentes ad corruptionem, & mortem, ergo de neceſſitate in eis, & de lege naturæ, ſequi debent interitus, & mortes. Maior patet, quia hæc eſt conditio agentium, & cauſarum naturalium, vt applicatæ, & non impeditæ, agant, & producant effectus ſibi correſpondentes. Minor probatur, quia in omnibus viuentibus, cum ſint mixta conſtantia ex quatuor elementis, ſaltem virtualiter, adſunt contraria adinuicem pugnantia vſque ad interitum, & cæteræ cauſæ, tùm ab intrinſeco, tùm ab extrinſeco, cõducẽtes miſtũ ad diſſolutionem, & interitũ, vt oſtẽdimus ex Doct. Subtili in tertio Nor. ergo in omnibus, & quibuſcumque viuentibus reperiuntur cauſæ naturales, & naturaliter agentes ad corruptionem, & mortes.

Tertia Concluſio. Mors originatiuè, ſiuè quoad potentiam conſiderata, in omnibus viuentibus fuit ſemper conditio, vel paſſio naturæ, in ſua puritate attentæ: in actu verò ſecundo, ſeù applicatiuè ſpectata in natura lapſa, & quoad genus humanum, eſt pœna peccati originalis Adæ. Eſt Doctoris Subtilis Scoti in ſecundo d. 19. q. vnica reſpondendo ad argumenta principal a: contra D. Thom. 1. p. q. 97. art. 1. in corpore, & art. 3. ad primum & in ſecundo d. 19. q. 1. art. 2. & art. 4. & D. Bonauent. ibidem art. 2. & 3. q. 1. aſſerentes hominem in ſtatu naturæ integræ, ſiuè innocentiæ fuiſſe immortalem, & ſolùm incurriſſe mortem ob peccatum contractum, comedendo de ligno vetito, vt habetur Geneſ. cap. 3. *In quacumque hora comederis ex eo, morte morieris:* Probatur prima pars, quia Hugo de Sancto Victore lib. 1. Eruditio. Theologic. p. 7. cap. 18. inquit. In primo illo ſtatu *habuiſse hominem poſse mori, & poſse non mori, quia habuit corpus animale egens alimonijs ciborum: vnde & homo factus dicitur in animam viuentem, non ſpiritualem, ideſt in animam corpus ſenſificantem, quod adhuc erat animale, non ſpiritua le, quo egebat cibis, & tunc erat corpus mortale, quia poterat mori, & poterat non mori.* Et D. Auguſtinus lib. 6. de Gen. ad litteram, cap. 25. ſubdidit. *Quodammodo creatus eſt homo immortalis, quod erat ei de ligno vitæ, non de conditione naturæ. Mortalis erat de conditione naturæ, immortalis beneficio conditoris. Non enim immortale erat, quod omninò mori non poſset, quod non erit niſi cum fuerit ſpirituale.* Deinde confirmatur ratione, tùm quia, vt ſuperiùs etiam expoſitum eſt, corpus Adæ fuit compactum de limo terræ, cui addidit inimicitiam, & contrarietatem quatuor elementorum adinuicem pugnantium, quibus, niſi Diuinus opifex præparaſſet retinaculum, iuſtitiam videlicet originalem, & Vitæ Arborem, tàm nobile opificium breui ruiturum, demonſtrabatur, ergo à tali compactione, mortem ſuam traxiſſe originem, liquidò conſtare poteſt. Antecedens clareſcit ex Sanctis Patribus, Auguſtino lib. 13. de Ciuit. Dei. c. 23. Beda in c. 2. Geneſis, & Bernardo ſerm. 2. de Annũciat. B. V. M. nàm primus inquit *lignum vitæ poſuit per quod à mortis neceſſitate prohibebatur, atque in iuuentutis flore tenebatur.* Secundus ſubdit *lignum hoc diuinitus acceperat, vt qui ex eo manducaret, corpus eius ſtabili ſanitate firmaretur, nè vel ætate in deterius, vel infirmitate in occaſum*

dila-

dilaberetur. Tertius, quaſi rem complet, addidit: *Summam eis addidit pacem manus benigniſſima creatoris. Pacem vtique duplicem, vt nec intus pugna, nec foris timores, ideſt nec caro concupiſceret aduerſus ſpiritum, nec eſset ei creatura vlla formidini*, igitur ſi non poſuiſſet ſummus opiſex hæc retinacula, ſed reliquiſſet opificium ſub naturæ viribus, illud breui temporis ſpacio diſſolui debebat, ac proindè primum hominem mortis legibus ſubiacere, tùm etiam, quia Beatiſſima Virgo Maria, ad exemplum ſui Filij, mortem ſubiuit, vt piè tenet Eccleſia Catholica, & tamen nec originalem, nec actualem culpam contraxit, vt de hac decreuit Concilium Tridentinum, & de illa pie credit communior ſententia, ergo mors, ſaltem originatiuè, non fuit pœna originalis culpæ Adæ, ſed vel conditio, vel naturæ defectus. Accedit denique, quod experientia quotidiana erudimur, potiorem Viuentium partem, mortem ſubire ex debito naturæ, ergo mors, ſuam non traxiſſe originem ex culpa, meritò iudicanda eſt, alioquin daretur pœna abſque culpa. Antecedens liquet in Animalibus, & Plantis, quæ millenario numero, nidicam infinito, excedunt hominum genus. Secunda pars probatur ex D. Paulo ad Rom. c. 5. numero 17. Vnius delicto mors regnauit, & regnauit peccatum in mortem, ergo prius erat mors abſque actu regnandi verùm ex Adæ delicto cœpit regnare. Conſequentia videtur ſuaderi ex D. Auguſt. lib. de Verb. Apoſtoli cap. 13. vbi interrogat: *Cur ob vnius delictum mors regnauit per vnum*? Et reſpondet. *Quia mortis vinculo tenebantur in illo vno, in quo omnes peccauerunt, etiam ſi propria peccata non adderent*. Deinde ſuadetur ex illa comminatione Diuina facta Adamo: *In quacumque hora comederis ex eo, morte morieris*, vbi D. Auguſt. lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 12. *Cum requiritur quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, ſi ab eo mandatum tranſgrederentur acceptum, nec obedientiam cuſtodirent: vtrùm animæ, an corporis, an totius hominis, an illa, quæ ſecunda dicitur? Reſpondendum eſt, omnes*. Ex quo inferi licet, has omnes mortes præceſſiſſe mandati comminationem, & ipſum peccatum, ſaltem in potentia ad moriendum, & poſtea accedente peccato, omnes tales mortes in actum exiſſe, ac proinde iuſte dicere poſſumus hominem in ſtatu innocentiæ fuiſſe moriturum, quia etſi non peccaſſet, habuiſſet tamen potentiam moriendi, quæ tamen propter peccatum fuit reducta ad actum, ergo de primo ad vltimum concludendum eſt, mortem originatiuè, & in potentia preceſsiſſe peccatum; in actu verò, & applicatiuè, vti pœnam deriuaſſe à peccato primorum parentum, ex quo poſtea vires reſumpſit, & regnauit in omnes homines, in quibus regnauit peccatum.

Obijcitur nihilominus multipliciter contra ea, quæ concluſimus, & primo contra primam concluſionem nam omnes res viuentes, non modò certam vitę periodum non habent, ſed poſſunt immortales eſſe, ait Ariſt. lib. 1. Politic. cap. ſecundo ergo omnia, & quæcumque viuentia expoſtulare non debent ſibi determinatum viuendi finem, & neceſsitatem moriendi. Conſequentia tenet, quia finis vitæ corporalis, & neceſsitas moriendi pugnant cum immortalitate. Antecedens ſuadetur ex Ariſtotele in hoc ſecundo lib. cap. 10. t. 59. & ſecundo de Anima cap. 4. t. 34. vbi habet, quod omnibus rebus inſitum eſt à natura ſempiternitatis deſiderium, ſed hoc deſiderium nequit fruſtrari, quia Deus, & natura nihil agunt fruſtra ex eodem in primo de Cęlo, & Mundo t. 32. & lib. 2. t. 50. & 59. & tertio de Anima t. 45. ac alibi, ergo res viuentes cupiunt eſſe immortales, ac proinde non affectare tenentur certam vitæ periodum, & neceſsitatem moriendi.

Reſpondetur antecedens, & eius probationem habere veritatem de ſempiternitate in ſpecie, de qua loquitur Ariſtoteles in præcitatis t. & hanc cupiunt, & deſiderant, nedùm res viuentes, verùm & vita expertes, abſque hoc, quod fruſtrari poſsint, quia omnibus prouidit Deus, & natura, vt ſemper ſint in ſpecie per continuatas generationes, & corruptiones indiuiduorum ad manutentionem, & perpetuitatem ſingulorum in ſuis ſpeciebus: ſic enim affectare videntur immortalitatem, vt valeant participare aliquo pacto diuinum eſse, quod ſemper eſt, & non poteſt non eſse.

Reſpondetur ſecundo negando vltimam conſequentiam, quatenus videtur illata ex principio falſo, ſiquidem Ariſtotelis citatus in lib. 1. Politicorum cap. 2. nec verbum

qui-

quidem babet de immortalitate, aut mortalitate rerum viuentium, ſed ibi demonſtrat, quæ bona conferat optima ſocietas ciuium in vnaquaque ciuitate, quæ nihil fecit, aut officir ad rem præſentem. Supereſt igitur, vt ſi alicnbi hoc dixerit Ariſtoteles, ſit exponendus de immortalitate ſecundum ſpeciem, cum qua conſiſtit mortalitas indiuiduorum, quæ facir ad intentum noſtræ concluſionis, vt in calce eiuſdem aduertimus.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam concluſionem ſi viuentia de lege naturæ haberent determinatam periodum viuendi, & neceſſitatem moriendi, ſequeretur mortem ſequuturam in eis abſque dolore, & timore, ſiquidem eſſet connaturalis viuentibus, ſed conſequens eſt contra id, quod ſcriptum reliquit Ariſtoteles in tertio Ethicorum cap. 6. nempè. *Mors autem maximè omnium rerum eſt horribilis; quippè cum terminus ſit, nihilque amplius homini mortuo neque bonum neque malum eſſe videtur*. Ergo falſum eſt, viuentia, ex lege naturæ, habere determinatam periodum viuendi, & neceſſitatem moriendi. Sequela maioris probatur ex eodem Ariſtotele hic t. 59. vbi inquit, naturam deſiderare ſemper id, quod melius eſt, ergo ſi mors foret opus naturæ, ſequeretur in viuentibus abſque dolore, & timore, ſiquidem hæc mors eſſet melior, quàm ea, quæ cum dolore, & timore accidere quotidiè cernitur.

Reſpondetur, vt colligitur ex Doctore Subtili in 2. d. 19. q. vn. ſub H. mortem, ſecundum ſe ſpectaram, eſſe connaturalem viuentibus, cùm ſit paſſio, vel conditio conſequens naturam, ſic per mixtionem compoſitam, ac proinde ſequuturam, ita in hominibus, ſicut & in brutis, abſque accidentibus, eidem naturæ diſconuenientibus, quinimò cum delectatione, ac deſiderio, naturam conſequentibus: Verùm quoniam propter peccatum primi Parentis, natura humana fuit iuſtè ſubiecta maledictioni Diuinæ, propterea, & mors noſtra, quæ talem naturam ſic inſequitur, veluti pœna, quaſi hæreditario iure, ſecum affert maledictionis effectus, nempè dolores in carne, timores in animo, & alia non diſſimilia accidentia, naturæ in ſe ſpectatæ diſconuenientia: vndè non eſt mirum, ſi modò, etiam homini forti, vt inquit Ariſtoteles, videatur maximè horribilis, & terribilis: Nam ſi poſſet noſtra natura releuari à tali maledictione, vt pie creditur fuiſſe conceſſum B. V. Mariæ per gratiam præſeruantem, & D. Paulo per ſubleuantem, non ſolum non haberemus horrori, aut timori mortem, ſed vnuſquiſque diceret cum Paulo: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto: ſiquidem mors noſtra eſſet ſimilis dormitioni, vt fuit illa Beatiſſimæ Virginis, ſi fidem præſtamus D. Damaſceno orat. 2. de Dormitione Beatæ Virginis Mariæ.

Obijcitur tertio contra tertiam concluſionem Concilium namque Mileuitanum can. 1. anathemati ſubijcit eos, qui dixerint, Adam, ſi non peccaret, moriturum quidem in corpore, non peccati merito, ſed neceſſariò neceſſitate naturæ, his verbis: *Quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſiuè peccaret, ſiuè non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit*: ergo male dicimus in noſtra concluſione ſecunda, omnia viuentia, de lege naturæ, habere neceſſitatem moriendi, & in tertia, mortem eſſe, in ſe conſideratam, conditionem, ſeù paſſionem naturæ, vt etiam docet Scotus in 2. d. 19. q. vn. Sub. H.

Reſpondetur negando conſequentiam: Concilium nàmque ſuo Decreto ferit vtique Pelagianos aſtruentes, Adamum etiam in ſtatu innocentiæ ineuitabiliter, ex ſuæ naturæ conditione moriturum, non verò Scotum, & noſtram concluſionem ex ipſo, qui aſſerimus quidem Adamum in eo ſtatu perſeuerantem, potuiſſe mori; ſed non fuiſſe moriturum, niſi peccaret, atque adeò fuiſſe mortalem, quoad potentiam, immortalem verò, quoad actum moriendi, vt optime expoſuit Gloſa ad dictum Canonem relatum in cap. Placuit diſt. tertia ſequentibus verbis: *Adam erat immortalis, ideſt poterat non mori, non autem non poterat mori, & ita fuit mortalis, & immortalis*; quod planè ſentit etiam Scotus, cùm ſub A. inquit. *Concedo, quod primus parens habuit potentiam ad mori*, & ſub B. ſubdit: *Dico, quod ſtante innocentia, non accidiſſet mors, ſed fuiſſet translatus in paradiſum, antequam fuiſſet alteratus alteratione improportionata animæ, ſiuè formæ*. En quomodo Scotus non ſentit quid diuerſum a

Mi-

Digitized by Google

Mileuitano, nec pariter nos in noſtris concluſionibus, in quibus aſtruimus ſolùm potentiam, & negamus actum moriendi, ſtante innocentia originali.

Obijcitur quartò ex D. Auguſtino ſerm. 101. de Tempore vbi inquit: *Mors à morſu nomen accepit, quia generi humano morſu antiqui ſerpentis acciderat*. Ergo ante talem morſum, ideſt peccatum non aderat mors, nec in potentia. Item lib. 1. Hyppognoſticon cap. 4. & lib. 4. contra Iulianum cap. 16. ait, *Graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris meæ in matrem omnium non fuiſſet, niſi delicti originalis meritum præceſſiſſet*. Et lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſion. cap. 2. complet rem dicens: *Si non peccaſſet Adam, non erat expoliandus corpore, ſed ſuperueſtiendus immortalitate, & incorruptione, vt abſorberetur mortale à vita, ideſt ab animali in ſpirituale tranſiret*. Et capit. 4. ex D. Paulo ad Rom. cap. 8. *Corpus, inquit Apoſtolus, mortuum eſt, non propter fragilitatem terrenam, quia de puluere factum, ſed propter peccatum. Quid amplius quærimus?* ergo ex doctrina D. Auguſtini, apertiſſimè deducitur, mortem ſuam traxiſſe originem à peccato Adæ, & non à natura.

Reſpondetur conſequentiam veriſſimam eſſe de morte ſumpta pro actu, non verò pro potentia ad mori, quia ſic habuit eſſe à natura, vt ſuperius oſtendimus, nedùm ex eodem D. Auguſtino; verùm etiam ex alijs Patribus. Neque auctoritates in præſentiarum allatæ aliter ſonare videntur ſi rectè perpendantur. Quare eodem modo reſpondendum eſt ad omnes, & ſingulas auctoritates, quæ ſunt allatæ in principio quæſtionis, aut quæ ab alijs adduci poſſunt: ſiquidem hac diſtinctione ſuppoſita, de morte in potentia, & in actu; vel originaria, & applicatiua, omnes dilucidatæ remanebunt.

Vtrum Motus acceſſus, & receſſus Solis ſit cauſa generationis, & corruptionis rerum naturalium.

QVÆSTIO II.

Iſta quæſtio mouetur occaſione text. 55. vbi Ariſtoteles aſſignans cauſam efficientem generationis, & corruptionis rerum naturalium inquit: *Latio enim facit generationem inceſſanter, quia adducit, & abducit generatiuum*, hoc eſt, Solis Aſtrũ, vt ſuo lumine, & influxu accedat generando, & recedat corrumpendo. Hinc inſurgit difficultas, aliàs à nobis aliquantulum exagitata in noſtris Meteorologicis diſp. 1. q. 6. de cauſa caloris per motum, an nimirum motus circularis Solis poſſit eſſe per ſe cauſa generationis, & corruptionis; vel ſolùm conditio neceſſariò requiſita, ad hoc, vt Solis Aſtrum, ſiuè Corpus Solare valeat eſſe principium vniuerſale generandi, & corrumpendi res naturales ſublunares.

Nàm D. Thomas hic cap. 10. relatus à Bañez hic cap. 10. quæſt. 1. concl. 4. & multi alij ex eiuſdem Diſcipulis ſuſtinere videntur, motum circularem Cœli, & conſequenter omnium corporum cœleſtium, eſſe illis rationem, ſeù virtutem agendi in mundum inferiorem. Fundanturque in Ariſtotele lib. 8. Phyſicorum t. 1. vbi aſſerit, etiam ex Antiquis motum Cœli eſſe ita neceſſarium ad generationes, & corruptiones obeundas in his inferioribus, vt ſit quaſi vita ceteris corporibus in natura exiſtentibus. Et lib. 1. Meteorologicorum cap. 2. vbi ſubdit: Oportere inferiorem mundum ex neceſſitate eſſe continuum, ſeù contiguum lationibus ſuperioribus, vt omnibus virtus indè præſtetur gubernij: *Vnde enim motus principium omnibus ineſt, illam cauſam putandum primam*. Cui addunt Platonem in Theæteto dicentem: *Nil aliud inquit per catenam, quàm Solem Homerus intelligit, quia quouſque Solis circuitus prætereat, omnia, tàm Deorum, quàm hominum ſunt, atque ſeruantur*. Exindè deducunt iſti Doctores, motum corporum cœleſtium eſſe illis cauſam, & rationem formalem agendi in his inferioribus, & non ſolùm conditionem ſine qua non.

Doctor Subtilis ex oppoſito in 2. d. 14. quæſt. 3. ſub L. docet, motum localem, non eſſe rationem formalem agendi Corporibus Cœleſtibus, ſed ſolùm conditionem adductiuam, neceſſariò tamen requiſitam, vt illa poſſint agere, & citat pro ſe Ariſtotelem in hoc 2. lib. ad t. 55. in ſuo exemplo de motu Solis. Scotum ſequuntur omnes eius Diſcipuli, ac ex alienis non pauci, vt Valleſius de ſacra Philoſophia cap. 31. & libr. 4. Controuer. Medicarum capit. 3. & Toletus hic q. 12. Fundam. 1. vbi inquit, quod motus

dici-

dicitur cauſa, nō quia per ſe producat quicquam, ſed quia eſt vniuerſalis quædam conditio cauſæ, vt docet expreſsè Ariſtoteles hic t. 55. quem refert, ac ſequitur Ruuius lib. 2. de Cœlo, & Mundo cap. 3. quæſt. 3. Eandem ſententiam videntur tueri Conimbricenſes ibidem capit. 8. quæſt. 5. vbi quoque citant plures alios, inquiunt enim art. 1. ad medium: Quippe Sol, dùm alia, atque alia ſigna continuato curſu peragrat, mutationem illam opportuna, caloris, frigoris, humoris, & ſiccitatis varietate inducit animantium ortus, ſationes, plantationes, & ea, quæ rebus gignendis, ſuſtentandiſque proueniunt. Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, quod ſecundum mentem horum Doctorum, motus localis non ſit cauſa efficiens, verùm duntaxat conditio adductiua, aut abductiua paſsi, vel agentis in proxima diſtantia, vt poſsint in ſeinuicem agere, & pati, vel generari, vel corrumpi.

Hanc ſententiam, quibuſdam notatis, pro viribus tueri tentabimus, & vt loquamur conſequenter ad ea, quæ tradidimus in primo libr. Meteorologicorum diſput. 1. quæſt. 6. & ne videamur deflectere à genuina opinione Magiſtri, quam ſuperius expreſsimus.

Primò igitur notandum eſt ex Doctore Subtili in 2. d. 14. quæſt. 3. in fine, motum localem Solis per acceſſum, & receſſum concurrere ad generationem mixti, poteſt contingere dupliciter, vel per ſe, vel per accidens. Si per ſe, hoc poteſt iterum dupliciter attendi, vno modo per ſe productiuè, itaut Sol per ſuum motum, vt per rationem formalem agendi, attingat terminum generationis, aut corruptionis mixti: alio modo per ſe diſpoſitiuè, itaut per motum acceſſus, & receſſus cauſentur qualitates caloris, vel luminis in corpore luminoſo, quibus mediantibus, diſponatur materia ad generationem mixti. Non poteſt attendi perſeitas in motu Solis primo modo, quia cum motus ſit accidens, & terminus generationis, & corruptionis ſit ſubſtantia, non poterit ab eo produci; ſiquidem accidens, ob imperfectionem ſuæ entitatis, nequit producere ſubſtantiam, vt optimè demonſtrat idem Doctor Subtilis in 4. d. 12. q. 3. Neque etiam ſecundo modo, quandoquidem motus localis, formaliter ſit forma relatiua, & materialiter ſit quantitas, quæ ob imperfectionem agendi, non valent attingere effectiuè qualitates caloris, & luminis, quæ ſunt formæ abſolutę in Aſtro Solis, propterea motus acceſſus, & receſſus eiuſdem Solis non poterit agere diſpoſitiuè per ſe ad generationem, aut corruptionem mixti. Sin autem ſpectetur concurſus motus Solis, per acceſſum, & receſſum, ad generationem, & corruptionem mixtorum, peroptimè admitti poteſt, vt docet Ariſtoteles in præcitato text. 55. per accidens, vt videlicet haberi poſsit præſentia agentis generantis, & corrumpentis ad paſſum, quæ nullatenus haberi poſſet abſque motu locali adductionis, vel abductionis: latio enim faciet inceſſanter generationem, quia adducit, & abducit generatiuum, ideſt Aſtrum Solis. Ex his infertur, motum acceſſus, & receſſus Solis, cùm nequeat eſse cauſa per ſe generationis, & corruptionis, ipſum eſſe cauſam per accidens, ſiuè conditionem requiſitam, ad hoc, vt Solis forma ſubſtantialis, mediante motu, & ſuo calore virtuali, ac lumine, poſsit influere ad generationem, aut corruptionem mixti.

Secundò Notandum ex Ariſtotele libr. 2. de Cœlo, & Mundo t. 42. ac ex Doctore Subtili libr. 1. Meteorologicorum quæſt. 10. art. 3. & in 2. d. 14. quæſt. 3. ſub A, & L. calorem, non ſolùm gigni per motum localem in his corporibus inferioribus, ex confricatione, ſiuè colliſione duorum corporum, ſed etiam in ſuperioribus per motum localem corporum cœleſtium; inquit enim Scotus in ſecundo loco citato, quod accedentibus Sole, & alijs Aſtris ad Zenith alicuius regionis, elementa ſuperiora, nempe ignis, & aer augentur. Huiuſmodi autem acceſſus fieri nequit, niſi per motum localem: nàm cum ignis ex ſua inclinatione moueatur ſurſum, fiatque proximus corpori cœleſti, & ei fortiter adhæreat, indè conſequitur, quod in motione circulari, qua ambo ſimul cientur, fiat confricatio ignis ad corpus cœleſte, partes eius in tali confricatione rareſiant, diſponanturque ad maiorem caliditatem recipiendam, ſicque ignis magis incaleſcat per nouum calorem, ex huiuſmodi motu locali, ſal-

Digitized by Google

tem per accidens, a forma cœleſtis corporis productum in ipſo. Ex quo deducitur, quod ſi mediante motu circulari corpus cęleſte calefacit ſphæram ignis, & per ipſam, etiam ſupremam regionem aeris, etiam Solis aſtrum, per motum circularem acceſſus, & receſſus mediante ſuo calore virtuali, & lumine, cùm fortiter adhæreat his inferioribus, poterit in eiſdem augere calorem, quo diſponantur ad generationem, aut illum remittere, quo ad corruptionem præparentur; ſicque motus acceſſus, & receſſus Solis, in his inferioribus, poterit per optimè ſubire rationem cauſæ per accidens, generationis, & corruptionis.

Ex his fit prima Concluſio. Motus acceſſus, & receſſus localis Aſtri Solaris, in his inferioribus, eſt cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis rerum ſublunarium. Eſt Ariſtotelis hic in t. 55. 56. & 58. & Scoti in 2. d. 14. quæſt. 3. ſub A. Probatur primo auctoritate Ariſtotelis in t. 56. vbi inquit. *Oportet autem multos eſſe, & contrarios motus, aut latione, aut inæqualitate: contrariorum enim contraria ſunt cauſæ: ideoque non prima latio cauſa generationis, & corruptionis eſt, ſed quæ ſecundum obliquum circulum*, ideſt Zodiacum, *in hac enim, & continuum vnum eſt, & moueri duobus motibus*; hoc eſt, acceſſus, & receſſus Solis ſuper ipſo circulo obliquo. Et in t. 58. clariùs rem explicat, dicens: *Videmus enim, quod adueniente quidem Sole generatio eſt: recedente autem corruptio, & in æquali tempore vtrumque: æquale enim tempus generationis, & corruptionis, quæ ſecundum naturam*, ergo ſecundum Ariſtotelis mentem, motus acceſſus, & receſſus localis Solis in his inferioribus, eſt cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis rerum ſublunarium.

Secundò probatur ratione à Doctore Subtili in citato loco, nàm accedente Sole, & alijs Stellis calidis ad Zenith alicuius regionis, elementa ſuperiora, ſcilicet ignis, & aer augentur, & inferiora ſcilicet terra, & aqua minuuntur, & conuertuntur in ſuperiora: & econuerſo recedente Sole, & accedentibus ſtellis effectiuè frigidis, vt eſt Saturnus, & Mercurius, accidit generatio elementorum aquæ, & terræ, ſed tales generationes, & corruptiones fiunt per acceſſum, & receſſum Solis, & aliorum Aſtrorum ad Zenith alicuius regionis, ergo motus acceſſus, & receſſus Aſtri ſolaris confert, vt cauſa vniuerſalis ad generationem, & corruptionem rerum ſublunarium. Tertiò probatur ab eodem, quia non tantùm Solis Aſtrum, verùm omnes ſtellæ, tàm Errantes, quàm Fixæ influunt in hæc inferiora generando, corrumpendo, & alterando, nedùm elementa, ſed etiam mixta, ſiuè perfecta, ſiuè imperfecta, ſiuè animata, ſiuè inanimata, vt probat idem Doctor Subtilis idem per totam quæſtionem, ſed huiuſmodi actiones habentur in his ſublunaribus, mediante motu Solis, & aliorum Aſtrorum, vt nos probauimus libr. 1. Meteorologicorum diſput. 1. quæſt. 8. per totam, ergo motus localis, etiam Solis, ſecundum acceſſum, & receſſum erit cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis. Conſequentia tenet, quia ſi omnes Stellæ habent tales actiones in his inferioribus, cùm Sol ſit vna ex eis, & potior, ac efficatior in agendo, etiam ipſe influere debet, ſuo motu ad generationem, & corruptionem rerum ſublunarium, ac proindè eſse cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis.

Secunda Concluſio. Motus tamen localis Solis, ſecundum acceſſum, & receſſum in his inferioribus, non eſt cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis per ſe, ſiuè productiuè, ſiuè diſpoſitiuè, ſed tantùm per accidens, & veluti conditio agendi. Eſt Ariſtotelis ibidem, & Scoti in Meteorologicis libro 1. quæſt. 10. & in 2. Sent. d. 14. quæſt. 3. ſub L. §. Ad tertium dico, quod non poſſunt tantum per motum localem &c. Probatur ex dictis in primo Not. & ex Scoto in ſecundo loco citato, quia cauſa per ſe eſt illa, quæ per ſe, quauis alia ſemota, attingit effectum ex Ariſtotele ſecundo Phyſicorum t. 33. & 50. ſed motus localis non eſt huiuſmodi reſpectu generationis, & corruptionis, ſiuè productiuè, ſiuè diſpoſitiuè, ergo motus localis Solis, ſecundum acceſſum, & receſſum, nequit eſſe cauſa per ſe generationis, & corruptionis. Minor probatur, quia motus localis, ſiuè formaliter, ſiuè materialiter

Digitized by Google

liter ſumatur, eſt accidens, terminus autem generationis eſt ſubſtantia, ergo motus localis nequit eſſe productiuus per ſe ſubſtantiæ, alioquin imperfectius per ſe poſſet producere perfectius, quod nemo concederet: Nec poſſet in diſpoſitiones qualitatiuas ad generationem & corruptionem, ſiquidem motus localis, formaliter ſumptus, eſt forma relatiua, diſpoſitio vero eſt forma abſoluta, cum ſit qualitas; materialiter verò acceptus eſt quantitas, vt aliàs probauimus, ſed neutra forma poteſt in qualitates diſpoſitiuas ad generationem, & corruptionem, tùm ob imperfectionem ſuarum entitatum: tùm quia quantitas, & relatio ſunt de genere ſterilium, vt aſt in confeſſo apud omnes, ergo motus localis Solis nequit eſſe cauſa per ſe generationis, & corruptionis. Supereſt igitur, motum localem, cùm aliqualiter conferat ad generationem, & corruptionem, vt probatum eſt in præcedenti concluſione, eſſe cauſam vniuerſalem, ſaltem per accidens, & concurrere cum forma actiua Solis, vt conditionem, ſine qua, vel non fieret, vel non ità expeditè, generatio, & corruptio virtute Solis, vt manifeſtè docet Ariſtoteles in præcitatis textibus 55. 56. & 58.

Obijcitur primò contra Concluſiones iàm poſitas, nàm Sole quieſcente, poſſent eſſe alterationes ad generationem, & corruptionem in his inferioribus, ergo motus localis Solis ſecundum acceſſum, & receſſum, non erit cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis, vt diximus in prima Concluſione. Antecedens patet ex ſcriptura, quia tempore Ioſuè, ſtetit Sol donec conficeretur bellum, ſed tunc temporis Sol ſuo lumine illuſtrabat aerem, vt milites videre poſſent inimicos, contra quos pugnabant, & ſuo calore accendere ad illorum interitum, & internectionem, ergo quieſcente Sole, poterant eſſe alterationes diſpoſitiuæ ad corruptiones, & generationes in his inferioribus, ac proinde motus eius localis non eſt neceſſarius ad generationes, & corruptiones.

Reſpondetur conſequens eſſe verum de cauſa vniuerſale per ſe, falſum de cauſa per accidens; modò dicimus motum Solis localem eſſe cauſam per accidens generationis, & corruptionis, non verò per ſe, & per ſe abſque illo poſſe fieri alterationes diſpoſitiuas ad generationes, & corruptiones obeundas per virtutem Solis.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam Concluſionem, quia Ariſtoteles 8. Phyſicorum t. 53. docet omnes motus inferiores reducendos fore in motum Cœli, vt in primum, qui eſt cæterorum cauſa, inquit enim: *Eſt autem hoc manifeſtum quidem, & ex eo, quod non aliter eſſet generatio, & corruptio, & mutatio in alijs, niſi aliquid moueat id, quod mouetur*. Ergo motus Solis localis ſecundum acceſſum, & receſſum, non ſolùm eſt cauſa per accidens, & conditio agentis, verùm etiam per ſe, cùm non aliter eſſet generatio, & corruptio, & mutatio in alijs.

Reſpondetur ex Doctore Subtili in 2. d. 14. quæſt. 3. in fine, & in 4. d. 48. quæſt. 2. ſub L. negando conſequentiam; nec viget textus allatus ex Ariſtotele, quia inquit: *Primitas motus caleſtis: ad alios motus, non eſt primitas cauſa, vel alicuius à quo dependet eſſentialiter; ſed tantummodo cuiuſdam perfectionis in quibuſdam conditionibus motus, quæ ſunt regularitas, & velocitas: patet enim, quod eſſentialiter non dependet actio corporis caleſtis in aliquod inferius, ex motu illius corporis, quia ſecundum Philoſophum ſecundo de Generat. t. 55. nihil facit latio ad generationem, niſi quia adducit generans, ergo ſi ſine illo motu generans, eſſet aquè approximatum; aquè ageret*. Ex his remanet ſoluta illa quæſtio, quam communiter exagitare ſolent, tàm Antiqui, quam Moderni in libro 2. de Cœlo, & Mundo, & in 4. ſentent. d. 48.

An

rem per accidens, a forma cœleſtis corporis productum in ipſo. Ex quo deducitur, quod ſi mediante motu circulari corpus cęleſte calefacit ſphæram ignis, & per ipſam, etiam ſupremam regionem aeris, etiam Solis aſtrum, per motum circularem acceſſus, & receſſus mediante ſuo calore virtuali, & lumine, cùm fortiter adhæreat his inferioribus, poterit in eiſdem augere calorem, quo diſponantur ad generationem, aut illum remittere, quo ad corruptionem præparentur; ſicque motus acceſſus, & receſſus Solis, in his inferioribus, poterit per optimè ſubire rationem cauſæ per accidens, generationis, & corruptionis.

Ex his ſit prima Concluſio. Motus acceſſus, & receſsus localis Aſtri Solaris, in his inferioribus, eſt cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis rerum ſublunarium. Eſt Ariſtotelis hic in t. 55. 56. & 58. & Scoti in 2. d. 14. quæſt. 3. ſub A. Probatur primo auctoritate Ariſtotelis in t. 56. vbi inquit. *Oportet autem multos eſſe, & contrarios motus, aut latione, aut inæqualitate: contrariorum enim contraria ſunt cauſæ: ideoque non prima latio cauſa generationis, & corruptionis eſt, ſed quæ ſecundum obliquum circulum*, ideſt Zodiacum, *in hac enim, & continuum vnum eſt, & moueri duobus motibus*; hoc eſt, acceſsus, & receſsus Solis ſuper ipſo circulo obliquo. Et in t. 58. clariùs rem explicat, dicens: *Videmus enim, quod adueniente quidem Sole generatio eſt: recedente autem corruptio, & in æquali tempore vtrumque: æquale enim tempus generationis, & corruptionis, quæ ſecundum naturam*, ergo ſecundum Ariſtotelis mentem, motus acceſſus, & receſsus localis Solis in his inferioribus, eſt cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis rerum ſublunarium.

Secundò probatur ratione à Doctore Subtili in citato loco, nàm accedente Sole, & alijs Stellis calidis ad Zenith alicuius regionis, elementa ſuperiora, ſcilicet ignis, & aer augentur, & inferiora ſcilicet terra, & aqua minuuntur, & conuertiuntur in ſuperiora: & econuerſo recedente Sole, & accedentibus ſtellis effectiuè frigidis, vt eſt Saturnus, & Mercurius, accidit generatio elementorum aquæ, & terræ, ſed tales generationes, & corruptiones fiunt per acceſsum, & receſsum Solis, & aliorum Aſtrorum ad Zenith alicuius regionis, ergo motus acceſsus, & receſsus Aſtri ſolaris confert, vt cauſa vniuerſalis ad generationem, & corruptionem rerum ſublunarium. Tertiò probatur ab eodem, quia non tantùm Solis Aſtrum, verùm omnes ſtellæ, tàm Errantes, quàm Fixæ influunt in hæc inferiora generando, corrumpendo, & alterando, nedùm elementa, ſed etiam mixta, ſiuè perfecta, ſiuè imperfecta, ſiuè animata, ſiuè inanimata, vt probat idem Doctor Subtilis idem per totam quæſtionem, ſed huiuſmodi actiones habentur in his ſublunaribus, mediante motu Solis, & aliorum Aſtrorum, vt nos probauimus libr. 1. Meteorologicorum diſput. 1. quæſt. 8. per totam, ergo motus localis, etiam Solis, ſecundum acceſsum, & receſsum erit cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis. Conſequentia tenet, quia ſi omnes Stellæ habent tales actiones in his inferioribus, cùm Sol ſit vna ex eis, & potior, ac efficatior in agendo, etiam ipſe influere debet, ſuo motu ad generationem, & corruptionem rerum ſublunarium, ac proindè eſse cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis.

Secunda Concluſio. Motus tamen localis Solis, ſecundum acceſſum, & receſſum in his inferioribus, non eſt cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis per ſe, ſiuè productiuè, ſiuè diſpoſitiuè, ſed tantùm per accidens, & veluti conditio agendi. Eſt Ariſtotelis ibidem, & Scoti in Meteorologicis libro 1. quæſt. 10. & in 2. Sent. d. 14. quæſt. 3. ſub L. §. Ad tertium dico, quod non poſſunt tantum per motum localem &c. Probatur ex dictis in primo Not. & ex Scoto in ſecundo loco citato, quia cauſa per ſe eſt illa, quæ per ſe, quauis alia ſemota, attingit effectum ex Ariſtotele ſecundo Phyſicorum t. 33. & 50. ſed motus localis non eſt huiuſmodi reſpectu generationis, & corruptionis, ſiuè productiuè, ſiuè diſpoſitiuè, ergo motus localis Solis, ſecundum acceſſum, & receſſum, nequit eſſe cauſa per ſe generationis, & corruptionis. Minor probatur, quia motus localis, ſiuè formaliter, ſiuè materia-

liter

liter ſumatur, eſt accidens, terminus autem generationis eſt ſubſtantia, ergo motus localis nequit eſſe productiuus per ſe ſubſtantiæ, alioquin imperfectius per ſe poſſet producere perfectius, quod nemo concederet: Nec poſſet in diſpoſitiones qualitatiuas ad generationem & corruptionem, ſiquidem motus localis, formaliter ſumptus, eſt forma relatiua, diſpoſitio vero eſt forma abſoluta, cum ſit qualitas; materialiter verò acceptus eſt quantitas, vt aliàs probauimus, ſed neutra forma poteſt in qualitates diſpoſitiuas ad generationem, & corruptionem, tùm ob imperfectionem ſuarum entitatum: tùm quia quantitas, & relatio ſunt de genere ſterilium, vt aſt in confeſſo apud omnes, ergo motus localis Solis nequit eſſe cauſa per ſe generationis, & corruptionis. Supereſt igitur, motum localem, cùm aliqualiter conferat ad generationem, & corruptionem, vt probatum eſt in præcedenti concluſione, eſſe cauſam vniuerſalem, ſaltem per accidens, & concurrere cum forma actiua Solis, vt conditionem, ſine qua, vel non fieret, vel non ità expedirè, generatio, & corruptio virtute Solis, vt manifeſtè docet Ariſtoteles in præcitatis textibus 55. 56. & 58.

Obijcitur primò contra Concluſiones iàm poſitas, nàm Sole quieſcente, poſſent eſſe alterationes ad generationem, & corruptionem in his inferioribus, ergo motus localis Solis ſecundum acceſſum, & receſſum, non erit cauſa vniuerſalis generationis, & corruptionis, vt diximus in prima Concluſione. Antecedens patet ex ſcriptura, quia tempore Ioſuè, ſtetit Sol donec conficeretur bellum, ſed tunc temporis Sol ſuo lumine illuſtrabat aerem, vt milites videre poſſent inimicos, contra quos pugnabant, & ſuo calore accendere ad illorum interitum, & internectionem, ergo quieſcente Sole, poterant eſſe alterationes diſpoſitiuæ ad corruptiones, & generationes in his inferioribus, ac proinde motus eius localis non eſt neceſſarius ad generationes, & corruptiones.

Reſpondetur conſequens eſſe verum de cauſa vniuerſale per ſe, falſum de cauſa per accidens; modò dicimus motum Solis localem eſſe cauſam per accidens generationis, & corruptionis, non verò per ſe, & per ſe abſque illo poſſe fieri alterationes diſpoſitiuas ad generationes, & corruptiones obeundas per virtutem Solis.

Obijcitur ſecundo contra ſecundam Concluſionem, quia Ariſtoteles 8. Phyſicorum t. 53. docet omnes motus inferiores reducendos fore in motum Cœli, vt in primum, qui eſt cæterorum cauſa, inquit enim: *Eſt autem hoc manifeſtum quidem, & ex eo, quod non aliter eſſet generatio, & corruptio, & mutatio in alijs, niſi aliquid moueat id, quod mouetur*. Ergo motus Solis localis ſecundum acceſſum, & receſſum, non ſolùm eſt cauſa per accidens, & conditio agentis, verùm etiam per ſe, cùm non aliter eſſet generatio, & corruptio, & mutatio in alijs.

Reſpondetur ex Doctore Subtili in 2. d. 14. quæſt. 3. in fine, & in 4. d. 48. quæſt. 2. ſub L. negando conſequentiam; nec viget textus allatus ex Ariſtotele, quia inquit: *Primitas motus cæleſtis: ad alios motus, non eſt primitas cauſæ, vel alicuius à quo dependet eſſentialiter; ſed tantumodo cuiuſdam perfectionis in quibuſdam conditionibus motus, quæ ſunt regularitas, & velocitas: patet enim, quod eſſentialiter non dependet actio corporis cæleſtis in aliquod inferius, ex motu illius corporis, quia ſecundum Philoſophum ſecundo de Generat. t. 55. nihil facit latio ad generationem, niſi quia adducit generans, ergo ſi ſine illo motu generans, eſſet æquè approximatum; æquè ageret*. Ex his remanet ſoluta illa quæſtio, quam communiter exagitare ſolent, tàm Antiqui, quam Moderni in libro 2. de Cœlo, & Mundo, & in 4. ſentent. d. 48.

An

An ceſſante motu corporum cæleſtium, & præcipuè primi Mobilis ceſſare debeant omnes motus, & actiones inferiorum corporum, etiam ſublunarium?

QVÆSTIO III.

CVi breuiter, omiſſis omnibus, reſpondemus cum Doctore Subtili in locis nuperrimè relatis, negatiuè. Nàm in 2. d. 14. quæſt. 3. in fine, inquit, quod enim eſt primum ſolùm ſecundum eminentiam, & non eſſentialiter reſpectu aliorum, non oportet, quod ipſo deſtructo, alia deſtruantur: ſiquidem in ſolo ordine eſſentiali, deſtructo priori, deſtruitur omne poſterius, ex Ariſtotele lib. 2. Metaphiſicorum t. c. 6. ex quo ſequitur, quod vbi non eſt ordo eſſentialis, ſicut accidit in motibus corporum inferiorum, & ſuperiorum, non neceſſariò infertur horum ceſſatio ad illorum ceſſationem, vt optimè demonſtratur à Scoto in 4. d. 48. quæſt. 2. per ſufficientem virtutem cauſarum inferiorum independenter à Cœlo, & Corporibus Cœleſtibus, ad quem remittimus lectorem curioſum, eò maximè, quia cum hæc quæſtio inuoluat alias difficultates Thologicas, quæ in Philoſophia non poſſunt adæquatè explicati, propterea ad Theologiam recurrendum eſt, nè videamur confundere, quæ diſtinctius tractanda ſunt.

Nequè iuuare poterunt Aduerſariorum opinionem, quæ adduci ſolent ex Ariſtotele libr. 1. Meteorologicorum cap. 2. nempè ex neceſſitate, Mundum inferiorem, eſſe quodammodo continuum ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus indè gubernetur; & ex Platone in Thræteto, nempe circuitum Solis, quem Homerus Catenam vocitabat, connectentem hæc inferiora cum ſuperioribus, præſeruare omnia, tàm Deorum, quàm hominum; Quandoquidem, vt expoſuimus in Meteorologicis dip. 1. quæſt. 2. Ariſtoteles accipit ibi neceſſitatem, pro connexione naturaliter eueniente, cui oppoſitum naturaliter ſuccedere non eſt poſſibile; non verò pro neceſſitate eſſentiali, de qua loquimur in propoſito, ſiquidem huiuſmodi neceſſitas reperitur tantum in primo Principio Immobili, *à quo tùm Cælum, tùm Natura dependet*, vt docet libro 12. Metaphyſic. t. 38. Cùm igitur hic Mundus ſublunaris ſit in Natura, & entia naturalia contineat, dicendum, ſecundum Ariſtotelem, quod neceſſariò dependeat in eſſe, conſeruari, & gubernari ab ipſo Deo, qui eſt Primum Principium Immobile, non autem à motu corporum cœleſtium, vel ab ipſis corporibus cæleſtibus, à quibus nullatenus dependet in fieri, & conſeruari. Et licet Plato addiderit circuitu Solis præſeruati omnia, tàm Deorum, quàm hominum, ex quo forſan ſumpſit etiam Ariſtoteles, illud axioma prolatum ſecũdo Phyſicorum t. 26. *Sol, & homo generant hominem*: non ſunt intelligenda illorum verba abſolutè, verùm cum præciſione, nempè in ordine ad generationes viuentium, & aliorum, quorum, vel non datur cauſa particularis inferior per ſe, vel non omnis ſufficiens: Quandoquidem viuentium, & non viuentium generationes omnes, de neceſſitate naturæ, expoſtulant diſpoſitiones qualitatinas, quæ ſine influxu Solis haberi nequeunt, vt eſt manifeſtum in generationibus animalium, plantarum, & rerum metallicarum: vndè licet in his ſit neceſſarius, neceſſitate naturæ, influxus Solis per ſuam virtutem, non tamen exigitur illius motus per circuitum, quia exiſtens quietus in vna regione, poſſent in ea fieri generationes vniuerſaliter loquendo; cùm motus non requiratur, niſi vt adducat ſolem præſentialiter, vbi contingit illius virtutem generatiuam poſſe deeſſe, vt toties inculcatum eſt ex eodem Ariſtotele in hoc ſecundo de Generatione, & Corruptione t. 55. 56. & 58. Quare concludendum eſt cum Scoto in locis citatis. D. Thoma referente libr. 2. de Cælo lect. 4 etiam Alenſi, Richardo, Durando, & alijs pluribus, quos refert, ac ſequitur Ruuius libr. 2. de Cœlo, & Mundo capit. 2. quæſt 4. quod ceſſante motu Cæli, & Corporum Cæleſtium, non debeant ceſſare neceſſariò motus, & actiones horum Corporum inferiorum, cùm non habeant ordinem eſſentialem ad Cælum, & Cæleſtia, ſed tantùm ad primam Cauſam, à qua, tùm in fieri, tùm in conſeruari, tàm Cælum, quàm

Na-

Digitized by Google

Natura eſſentialiter dependet, vt docet Ariſtoteles lib. 12. Metaphyſicorum ſum. 2. c. 2. t. 38. in fine.

Vtrum idem numero ſemel corruptum, & extinctum, poſſit in idem redire, ſiuè naturaliter, ſiuè ſupernaturaliter?

QVÆSTIO IV.

HAnc celebrem Difficultatem, communiter pertractant Doctores Philoſophi in hoc 2. lib. de Generat. & Corrupt. ad t. 70. vbi Ariſtoteles docet poſſe fieri reuerſionem in Generationibus, & Corruptionibus, ad identitatem ſpecie, non vero numero; & Theologi in 4. ſent. d. 43. q. 3. vbi agunt de reſurrectione finali Mortuorum; an nimirum ſit poſſibilis; illam diuidentes, vel inordine ad virtutem naturalem, vel ſupernaturalem cùm in rebus premanentibus, tùm ſucceſiuis, & primò querunt? An res permanentes, ſemel corruptæ per potentiam Diuinam poſſint redire? Secundò an hoc poſſint per virtutem naturalem? Tertio an res ſucceſſiuæ ſemel tranſactæ, ſaltem per Diuinam potentiam redire poſſint?

De his hactenus egimus in ſuperioribus Operibus, nempe in 5. Phyſicorum Diſp. 2. q. 2. & in primo libr. de Cælo, & Mundo diſp. 4. q. 4. vndè in primo loco cum Doctore Subtili in 4. d. 43. q. 3. ſoluimus primam quæſtionem in ordine ad potentiam ſupernaturalem, non tantùm in permanentibus, verumetiam in ſucceſſiuis, vniuerſaliter dicendo concluſione prima: omnia entia, ſiuè permanentia, ſiuè ſucceſſiua; tàm corrupta, quam annihilata, poſſunt virtute Diuina in idem numero redire, vel per reproductionem, vel per recreationem, contra Durandum, & alios citatos ibidem in prima ſententia, ſiquidem Deus poteſt facere ea, quæ non includunt repugnantiam; atque, quod omne indiuiduum, tàm permanens, quàm ſucceſſiuum, ſemel corruptum, vel annihilatum, denuò reproducatur, aut recreetur, nullam dicit repugnantiam, vt de omnibus oſtenditur ibidem validiſſimis rationibus, ex Scoto deſumptis, quare vniuerſaliter loquendo, nullum erit inconueniens aſſerere, res omnes, tam permanentes, quàm ſucceſſiuas, poſſe virtute ſupernaturali, ſemel extinctas, aut tranſactas, in eadem numero redire.

Deindè ibidem reſpondimus ad ſecundam quæſtionem in ordine ad virtutem naturalem, non omnia, ſed tantùm aliqua, in permanentibus, poſſe naturaliter reproduci, ſaltem mediate; quandoquidem, ex Ariſtotile 8. Metaph. t. 11. & 12. ſi materia, & efficiens ſunt idem, & effectus erit idem; & e conuerſo diuerſificatur idem, effectus numero, alterutro horum numericè mutato, vt ibidem ex Scoto ſufficienter demonſtrauimus. Ex quibus concluſimus vanam, Platonicorum, & Democritorum, opinionem, ni melius dixerimus, errorem, de vniuerſali reditione actuali omnium indiuiduorum, poſt curiculum triginta ſex millium annorum, ad quem locum curioſum lectorem remittimus, nè cogamur omnia repeterè, quæ ibidem adnotata, & probata ſunt, abſque fructu vlterioris doctrinæ: Eo loci enim congreſſimus, & tradidimus ex Doctore Subtili citato, quæ opportuna, neceſſariaq; iudicauimus ad propoſitarum Difficultatum germanam ſolutionē.

Vtrum eſſe futurum neceſſariò ſupponat præteritum factum eſſe, adeoquod ad illud nulla poſſit eſſe potentia, vt denuò fiat, & eueniat?

QVÆSTIO V.

DE hac pariter egimus, & ſatis luculenter pertractauimus in lib. 1. de Cælo, & Mundo Diſp. 4. q. 4. vt innuimus etiam in precedenti, occaſione text. 138. in quo Ariſtoteles docuit nullam poſſe dari potentiam ad fuiſſe cuius oppoſitum videtur hic adſtruere in t. 64. & ſequentibus, dùm inquit. *Quod enim verum dicere, quod oportet hoc eſſe verum, quod eſt quandoque. Quod autem nunc verum eſt dicere, quod facturũ eſt, nihil prohibet non factum eſſe; ambulaturus enim quis non ambulabit.* Quare cùm ibidem ſufficienter expoſuerimus, quonam pacto poſſit, & non poſſit eſſe potentia ad præteritum, nè igitur tempus inutiliter teramus, eadem iterùm, atque iterùm exſcribendo de carta in papy-

rum, ab illa quoque abſtinentes hic, decreuimus etiam eo remittere lectorem, vbi ad plenum habere poterit intelligentiam huius textus ſatis perdifficilis, & ſolutionem propoſitæ quæſtionis. Quibus peractis erit finis huius Diſputationis. Libri ſecundi de Generatione, & Corruptione, necnon abſolutio totius operis, & noſtri Curſus Philoſophici. In quo, ſi quicquam bene dictum, aut ſcriptum fuerit, ſecundum mentem Doctoris Subtilis Scoti, ſit laus Deo, & Patri luminum, à quo omne bonum in nos deſcendit, vt conſtantiſſimè tenemus, & firmiſsimè credimus, vt tenere, & credere debemus. Amen.

F I N I S.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Locupletiſſimus Rerum notabilium, quæ in duobus Libris de Generatione, & Corruptione, continentur.

Primus numerus paginam, ſecundus columnam demonſtrat.

Acceſſus, & Receſſus.

Sunt motus realiter diſtincti, & quomodo. 33. 2.

Accidens, & Accidentia.

Accidentia media inter genitum, & corruptum non remanent in eſſe quieto, veluti principia formæ ſubſtantialis generandæ. 51. 1. *Accidentia cauſant diſpoſitiuè tantum ſubſtantiam.* 179. 1. *iuuant ad conſeruationem ſubſtantiæ, & iuuantur ab ea. ibidem.* 2.

Actio, & Paſſio.

Quid ſint. 122. 2. *Ad omnem actionem agentis naturalis habendam de paſſo contrario, quid requiratur.* 124. 1. *ad talem actionem habendam neceſſaria eſt proportio maioris inæqualitatis inter agens, & paſſum. ibidem.* 1. 2. *Actionum materialium aliæ ſunt directæ, & aliæ indirectæ, ſiuè reflexe.* 138. 2. *quid ſint ſecundum Scotum. ibidem. actio reflexa dupliciter euenire poteſt. ibidem. &* 139. 1. *Actio antiperiſtica dupliciter contingere valet, & quomodo.* 139. 1. *Per actionem antiperiſticam reflexam, intenditur, non ſolum qualitas luminis non habens contrarium ſed etiam quæ habet contrarium circum obſiſtens.* 140. 1. *Actio reciproca, vt intercedat inter agens, & paſſum, plura exigit, & quæ.* 144. 2. *ad actionem directam agentis phyſici triplex potẽtia cõcurrit.* 5. *actiua, paſſiua, & reſiſtitiua, & quæ ſint.* 145. 2. *quomodo vocentur, & diſtinguantur huiuſmodi potentiæ. ibidem. &* 146. 1. *Actio, & paſſio mutua datur inter agens alterans alteratumque paſſum. ibidem. actio, & paſſio, & reactio, ac repaſſio dantur inter agens alterans, & paſſum alteratum alteratione corruptiua ſecundum eandem contrarietatem, & ſecundum totum. ibidem.* 2. *reactio paſſi nulla dari poteſt in agens alterans, quin per ipſam producatur aliquid in eodem alterante.* 147. 1. *eſt ſecundum Maſtrium, & Bellutum, & contra Rubeum. ibidem.* 148. 2. *&* 149. 1. 2.

Aer

Aeri conuenit humiditas in ſummo, & caliditas in remiſſo. 190. 2.

Agens, & Patiens.

Agens naturale qualiter ſe habeat ad generationem, & reſolutionem compoſiti 49. 2. *&* 50. 1. *agens duplex, primum, & vltimum, & quid ſit vtrumque.* 133. 1. *partitur in vniuocum & æquiuocum, & quid ſint.* 128. 2. *conueniunt, & diſconueniunt. ibidem. æquiuocum duplex, totale, & partiale, & quid ſit vtrumque. ibidem. omne agens, ſiue vniuocum, ſiue æquiuocum agit ſolùm per formam, ſeu virtutem per quam eſt in actu, & quare.* 129. 2. *agens actiuum diuiditur in naturale, & ſupernaturale, & liberum.* 130. 1. *quomodo diffiniuntur. ibidem. naturale, ſi non ſit impeditum, agit ſecundum vltimum ſuæ potentiæ ſiuè ſit ſubſtantiale, ſiue accidentale. ibidem. Agens vniuocum ſimile nequit agere in aliud omninò ſimile.* 130. 1. 2. *licet hoc bene poterit præſtare agens æquiuocum.* 132. 1. *agens ſimile poteſt producere effectum ſibi ſimilem, quamuis non ſit penetratum cum paſſo etiam in gradibus intenſionis.* 133. 1. 2.

Alteratio, Alterans, Alteratum.

Alteratio eſt nomen æquiuocum, & multiplex. 55. 2. *alteratio ad qualitatem diſtinguitur realiter à generatione, & corruptione.* 56. 1. 2. *alteratio, & generatio, vt dicunt ordinem ad agens naturale ſunt connexæ, vt impoſſibilitas vnius inferat impoſſibilitatem alterius.* 57. 1. 2. *huiuſmodi connexio non impedit diſtinctionem realem inter illas. ibidem. &* 58. 1. *oppoſitum ſuſtineri poteſt, cum non careat ſua*

R 2 pro-

probabilitate.ibidem. 1. 2. 59. 1.2. & 60. 1 2. *Alterationis diuiſio notanda.*62.1.*alteratio finis nequit ſecundum qualitates inſeparabiles.ibi.*1.2.*alteratio phyſica fieri poteſt ſecundum omnes qualitates ſeparabiles.ibid.etiam per aliquas relationes, ad alterum,non ad ſe,& quomodo.*63.1.*alteratio proprie ſumpta, vt dicit motum diuiſibilem ad qualitates cōtrarias quadrupliciter attendi poteſt.*65.2.*alteratio dicitur motus continuus. vt cōtinuum admittit aliquam ceſſationem.ſecus vt illam excludit.* 67. 1. *alteratio ſiue abſoluta, ſiue comparata eſt motus continuus.& ſucceſſiuus eſſentialiter, non inſtantaneus ibid.* 2.& 68.1.2.& 69. 1. *vtraq; ſi attendatur formaliter, ſunt idem eſſentialiter: ſecus ſi ſpectentur concomitanter & connotatiue.*69.1.2.*comparata intenſa.& remiſſa diſtinguuntur realiter, ſicut poſitiuum,& priuatiuum.*70.1.*etiam de mente Doctoris ſubtilis, & quomodo.* 72.2. & 73.1.*Alterans diuiditur in primum,& vltimum,et quid vtrumque ſit.*113.1 *Alterans,et mouens primum, et vltimum, conueniunt, et differunt,et quomodo ibidem. alterans an aliquid patiatur à paſſo alterato. Controuertitur.*143 2.144. 1. *vel an poſsint agere in ſeipſa actione reciproca. ibi. Alteratio phyſica quid ſit, et eius diuiſio.* 144. 2. *alteratio ſenſibilis qua, et quotuplex.*145.1. *adhuc eſt triplex.*1. *corruptiua, diſpoſitiua, & perfectiua, et quid ſint.ibidem.*

Animalia Bruta.

Quomodo refrigerantur ab aeri, cùm non ſit frigidus, ſed calidus. 193. 1.*cur vincant homines in operationibus vitalibus, & vincantur ab eis in animaſticis.* 231. 2. 233. 1. 2.

Annihilatio.

*Annihilare eſt deſinere eſſe quoad conſeruationem.*25. 1.*competit ſoli Deo, cùm ipſe ſolus habeat in ſua poteſtate purum nihil, quod eſt terminus annihilationis.ibid.*2.

Antipariſtaſis.

*Grecè,ſonat latinè circum obſiſtentiam.*138. 1.2.*actio antipariſtica quid ſit.ibid.*2.*Antipariſtaſis quid ſit.ibid.*

Aqua, & Vinum.

*Probabiliter ſecundum aliquos Doctores miſceri poteſt cum vino propria miſtione.*152. 2.*Probabilius tamen, ſecundum alios dicitur, non intercedere veram miſtionem aquæ cum vino.* 152. 2. 153. 1. 155. 2. & 156.1 *Miſceri tamen poſſunt adinuicem per iuxtapoſitionem. ibid.* & 156. 2.

Augmentatio, Diminutio.

*Augmentatio in quantitate molis, & intenſio in quantitate virtutis, quonam pacto conueniant.*75.1. *Augmentatio eſt nomen æquiuocum,& ſumitur tripliciter.* 86.1.2. *propriiſſimè ſumpta exigit tres conditiones, & quas.ibid.*2.*in viuentibus neceſſario pendet à nutritione. ibid. exigit plures motus, nempe localem, alterationis, generationis noua, conſiſtentia inſtantanea, & extenſionis continua, ac ſucceſſiua.*87. 1.*eſt motus continuus, & ſucceſſiuus, diſtinctus realiter à motu generationis, corruptionis, alterationis, lationis, & nutritionis.ibi.*2. *poteſt fieri probabiliter etiā in inſtāti.*88 1. *nō eſt motus factus ī diuerſis inſtantibus temporis diſcreti.*89. 1. *Poteſt tamen fieri ab agente ſupernaturali in diuerſis inſtantibus temporis continui. ibi. Augmentatio quid ſit.* 93. 1.*eſt motus poſitiuus, et quare.ibid diſtinguitur realiter à diminutione, et quomodo.*94.2.

Beata Virgo Maria.

Obiuit mortem ad exemplum Filij ſui ſecundum aliquos Doctores. 250. 1. *eius mors non fuit pœna peccati originalis, ſed conditio naturæ, vt ſuſtinet communior opinio. ibid.*

Bilis, & Bilioſus.

*Bilis atra duplex, colori coniuncta, coloris lucidi, quæ attenuata vocatur, et frigiditati, ac ſiccitati vinculata, coloris plumbei,quæ denſa nominatur.*238.2.*Prior facit homines magno, et excellenti ingenio præditos: poſterior verò, ſtolidos, ſtupidos, et ad mentales actiones ineptos gignit.*238. 1.*Permiſta vtraque cum alijs humoribus, varijs effectibus non ſecus, ac vinum immodicè ſumptum, homines euulgat. ibid. Bilioſum temperamentum indicat homines, ſtudijs deditos, in carminibus pangendis, et in adminiſtranda republica, ac in exercendis artibus clariores, et qua de cauſa.*236.1.2.*etiam probitate morum conſpicuos, et cur.*237.1.

Calor, caliditas. Frigus, & Frigiditas.

Calor, exiſtens in aquis putealibus, et in ſtomacho quomodo intendi, et remitti poteſt, et quando 1:9.2 *calor maximus, et ſummum frigus vnde oriantur in his ſublunari:*

Digitized by Google

naribus.193.2.

Caro dura,& Lenis.

Carne duri,s nepti mente:molles autem carne bene apti. 2 de Anima.94. 235.2.caro dura quidem, & boni habitus natura inſenſibilem ſignificat: Lenis autem, ingenioſum & inſtabilem: ibidem. caro humidior,& mollior ingenioſos indicat, & qua de cauſa ibidem.

Cauſa vniuoca,& æquiuoca.

Conuenientes ad idem, equiuoca ſemper eſt perfectior,& quare.129.1.vtriuſque comparatio ſecundum Scotum. ibidem.Equiuoca aliqua, vt eſt Deus, poteſt cauſare abſq; vniuoca,alia nequaquam,vt eſt Sol, & quare.ibidem. cauſa breuioris, vel longioris vita,alia ſunt ab intrinſeco, & alia ab extrinſeco,& qua.246.1.2. cauſa mortis in viuentibus animalibus, quot, & qua ſint.247.1.2.

Compoſitum. Simplex.

Aliud completum, & aliud incompletum,& quid ſint.49.1. Vtrumque eſt generabile, & corruptibile,& quomodo.49.1.2. diuiditur in animatum, & inanimatum. ibidem. in corruptione compoſiti animati fit reſolutio vſque ad materiam primam mediatè.50.1. in corruptione verò compoſiti inanimati fit reſolutio vſquè ad materiam primam immediatè,& quare 50.2.

Conditio.

Conditiones bona diffinitionis expenduntur ab Ariſtotele 4. Phyſicorum t.31. & quomodo.158.1.Quot,& qua ſint;ibidem.

Contradictio

Inter extrema eſt ratio venandi diſtinctionem inter aliqua; ſi realis realem, & formalem ſi fuerit formalis.93.2.

Contraria

Contrariorum natura in quo conſiſtat.122.2.123.1. Contrariorum victoria, aut depreſſio, vndè, & quibus de cauſis oriatur. ibidem 1.2.

Conuerſio,& Generatio.

Quomodo differunt inter ſe.29.2.30.1.& 31.1.2.

Corpus naturale

Quid,& quotuplex ſit.255.1.2. diuiditur in ſimplex,& Mixtum, & quid ſit vtrumq; 158.1.corpus naturale ſimplex, ſiuè vt eſt commune ad Cælum, & Elementū ſiuè vt limitatur ad alterutrum, non eſt ſubiectū attributionis horum librorum de Generatione, & Corruptione.6.2. neque eſt commune ad ſimplex, & compoſitum, quatenus mobile ad formam abſolutam.ibidem: Poteſt tamen eſſe ſubiectum prædicationis inadæquatè ſaltem. ibidem. Corpus naturale compoſitum ex materia & forma, vt mobile ad formam abſolutam perfectam, poteſt concedi pro ſubiecto attributionis in his libris.7.2.Corpus naturale mixtum,vt tale, pro vt diſtinguitur à mixto imperfecto, & ſimplici, probabilius aſſignatur pro ſubiecto attributionis in eiſdem libris.8.1.

Corpus viuens

Poſſe manere idem numero in toto decurſu vita,tripliciter intelligi poteſt.99 2.Corpus viuens in augmentatione, & diminutione, nequit ſaluare identitatem numericam,ob perſeuerantiam eiuſdem forma numero. 100.1. Neque ob permanentiam partium primigeniarum, ſeu ſpermaticarum. ibidem. 2. neque ſaluari poteſt identitas numerica, ex eo, quod in ſingulis nutritionibus,et augmentationibus,fit minima pars, que additur,reſpectu entitatis totius.102. probabile eſt ipſam ſaluari per æquiualentiam partium integralium ſucceſſiuè acquiſitarum, & deperditarum.101.1.2. Identitas numerica requiſita ab Ariſtotele in corpore viuentis attenditur per ſolam reſtaurationem deperditi, nempè, quod tantum receperit, quantum dimiſerit, poſt augmentationem, & diminutionem. ibidem. 2. in rigore tamen ſuſtineri nequit,quod viuens maneat,toto tempore vita ſua, idem numero, etiam de mente Ariſtotelis.103.2.

Diffinitio.

Diffinitionis bona conditiones requiſita, qua, & quot ſecundum Ariſtotelem 4. Phyſicorum.t.31.157.2.& 158.1.Diffinitio dupliciter tradi poteſt,nimirum à priori.& à poſteriori,& quomodo.184.2.185.1. Diffinitiones quatuor primarum qualitatum, ſiuè in concreto, ſiuè in abſtracto tradita ab Ariſtotele,ſunt bona.186.1.

Diminutio. Auctio.

Diminuctio quid ſit.93.1.Eſt motus priuatiuus,& quare.ibidem,& 94.1.diſtinguitur realiter ab actione,& quomodo.ibidem.2 & 96.2. quonam pacto dici poteſt motus poſitiuus,& quomodo priuatiuus.95.1.2.& 96.1. An ſit motus ad quantitatem, ſicut actio.95.2. quomodo dici poteſt ſpecies motus ad quātitatem. ibidē. Diminutio ſumi

Digitized by Google

poteſt formaliter, & connotatiuè, & quomodo. 95. 1. Differt à corruptione, licet ambæ dicant amiſſionem termini ad quem poſitiui, & quomodo. ibidem.

Diſpoſitio.

Diſpoſitiones accidentales pro determinata forma generanda, mediant in fieri inter genitum, & corruptũ. 53. 1. 54. 1. 2. &. 55. 1.

Diſtinctio.

Eſt relatio exigens duo extrema realia. ſi eſt realis, formalia verò ſi eſt formalis 93. 2. diſtinctio ſpecifica, vel identitas oppoſita inter aliqua, vnde dignoſci poteſt. 196. 2.

Elementa

Elementorum conſtitutiua, ſubſtantialia, non ſunt caliditas, & frigiditas, humiditas, & ſiccitas, ſed accidentalia. 180. 2. 181. 1. 2. Sunt etiam illorum formæ conſeruatiuæ. ibidem elementorum principia eſſentialia ſunt tantum duo: accidentalia verò quatuor, & quæ. 182. 1. elementa dupliciter poſſunt attendi, & quomodo. 189. 2. quouis modo ſpectentur, exigunt duas qualitates tangibiles, ſiuè vt ſunt partes Vniuerſi, ſiuè vt ſunt transmutabilia in ſeinuicẽ, & in miſto. 189. 2. & 190. 1. Elementa ſingula determinant ſibi vnam qualitatem, in ſummo, quomodo verum 195. 2. 196. 1. Elemẽta an ſint generabilia, & corruptibilia ſecundum totum, vel ſolũ ſecundum partes. Controuertitur. 211. 1. Elementa eſſe generabilia, & corruptibilia dupliciter contingit, & quomodo. ibid. 2. ſunt generabilia, & corruptibilia ſiuè ſecundum partes. ſiue ſecundum totũ. 212. 1. Non ſunt tamen generationi, & corruptioni obnoxia ſecundum totum. ſed tantũ ſecundum partes. ibid. 2. & 213. 1. An elementum quodlibet ex quolibet generari poſſit. Controuertitur. 214. 2. & 215. 1. Elementa ſunt alia ſymbola, & alia diſſymbola, & quæ. 215. 1. Vtraque attendi poſſunt ab intrinſeco, & ab extrinſeco, & quomodo. ibidem. 2. Elementorum tranſmutatio immediata exigit tres cauſas auxiliatrices, & quas. 216. 1. 2. Elementa, ſiuè ſymbola, ſiuè diſſymbola, nequeunt in ſeinuicem tranſmutari immediatè ſecundum totum, ſecus ſecundum partes. 217. 1. 2. elementa, attenta, tùm ab intrinſeco, tum ab extrinſeco, valẽt mutuo conuerti in ſeinuicem ſecundum partes, etiam ſecundum Scotum. 218. 1. 2. Probabile eſt abſq; detrimento ſententiæ Ariſtotelis, ſiuè ſymbola, ſiuè diſſymbola ſint elementa poſſe in ſeinuicem tranſmutari ab intrinſeco, non ſolum mediatè, verum etiã ĩmediatè. 219. 1. etiã ſecũdũ Scotũ. 220. 2. & 221. 1. Elementa diuiduntur in ſymbola, & diſſymbola, & quæ ſint 221. 2. Elementa tranſmutabilia tripliciter attendũtur, & quomodo. 222 1. Elementa, ſecundũ propriam naturã duntaxat, attenta, facilius in ſe tranſeunt ſymbola, quam diſſymbola. ibid. 2. Si verò conſiderentur in comparatione ad virtutes agentium, à quibus efficienter tranſmutari ſolent, eadem facilitate tranſeunt etiam diſſymbola. ibid. Si autem ſpectentur præter has cauſas, etiam penes cauſas auxiliatrices, non poteſt aſſignari facilior, vel difficilior trãſitus potius in ſymbolis, quam in diſſymbolis. ibid. An ex duobus, vel pluribus elementis poſſit gigni tertium, vel vnum ab eis ſpecie diſtinctũ. 224. 1. Controuertitur. ibid. 2. Elemẽta ſymbola, & diſſymbola diſcriminantur, & quomodo. ibid. elementum attendi poteſt dupliciter, & ſecundum eſſe ſubſtantiale, & accidentale. & quomodo. ibid. & 225. 1. ſecundum eſſe ſubſtantiale exigunt tantum materiam, & formam. ibid. 1. ſecundum eſſe verò accidentale duas ex primis quatuor qualitatibus, quæ non ſint cõtrariæ ſed diſparatæ. ibid. Ex duobus, vel pluribus elementis poſſe gigni aliquod elementum diſtinctum. quomodo verum. ibid. Verificatur in diſſymbolis, nequaquam in ſymbolis. ibid. 2. & 226. 1. 2.

Ens.

Ens reale quid, & quotuplex. 172. 2. Ens reale poſitiuum quid, & quotuplex 172. 2. Ens reale priuatiuum, quid, & quotuplex. 173. 1. Ens ſimpliciter, & non ens ſimpliciter, quotupliciter aliquid dici poſſit. 25. 1. Ens ſimpliciter, vt opponitur enti ſecundum quid duplex eſt. ibid.

Forma.

Forma ſubſtantialis eſt indiuiſibilis per generationem in inſtanti ab agenti ſupernaturali, non verò à creato, quomodo verum ſecundum Scotum 44. 1. & 45. 1. Forma ſubſtãtialis, an ſit indiuiſibilis in materiã ab agente creato diuiſibiliter, vt tenet magiſtrius, vel indiuiſibiliter ſaltem formaliter ſecundum Scotum. 45. 1. Forma corporitatis reperitur in quolibet compo-

ſito

Digitized by Google

ſito ſubſtantiali completo, & incompleto. 49. 5. & 50. 1. 2. Forma ſubſtantialis, & accidentalis quid ſint, & quomodo differant. 180. 1 quomodo dignoſcãtur in ſuis effectibus ibid. Forma miſtionis debet proportionari cum forma vltima ſecundum Scotum. in 4. d. 11. q. 3. 232. 1.

Generatio, & Corruptio.

Generatio, & corruptio duplex, s. ſimpliciter, & ſecundum quid ſeu ſubſtantialis, & accidentalis ex Ariſtotele. 18. 2. Quid ſint, et quomodo diſtinguãtur ab alteratione. 19. 1. Generationem ſubſtantialẽ non eſſe poſſibilem, oſtenditur. ibid. Soluũtur argumẽta, & oſtenditur eius poſſibilitas ab Ariſtotele. 19. 2. Mouet quæſtionem de perpetuitate generationis ſubſtantialis & illã ſoluit affirmatiuè. 20. 1 2. & 21. 1. 2 oſtẽdit modũ perpetuã generationes ſubſtãtiales. 21. 2. ponit differẽtiã inter generationẽ ſubſtantialẽ, & alterationẽ. 22. 2. & 23. 1. Generatio, & corruptio ſubſtãtialis neceſſario ponuntur in rerũ natura cõtra Antiquos. 25. 1 2. ſunt neceſſario ponenda et ãſi materia habeat actũ entitat. ib 2. & 26. 2. & 27. 1. 2. Generatio, & Corruptio ſumuntur propriè, & ĩpropriè. 28. 1. Generatio in creatis duo importat. nẽpe mutationẽ, & productionẽ ſecundũ Scotũ. ib 1. 2. Diffinitionẽ generationis vt ſic non ingreditur mutatio. ib. 2. Generatio, & corruptio mutationes dupliciter diffiniuntur. 29. 1. 2. Generatio, & conuerſio differunt. & quomodo. ib. Generatio, & Corruptio ſimpliciter diſtinguũtur realiter 30. 2. Etiã ſi ſumantur in ratione actionis. 31. 2. & 32. 1. 2. & 33. 2. & 34. & 35. 1. 2 Generatio et corruptio, vt ordinantur adinuicẽ dupliciter conſiderãtur. & de poſſibili, & de facto. 36. 2. de facto adhuc dupliciter ſpectantur. 37. 2. Generatio vnius eſt corruptio alterius tripliciter ſpectari poteſt ſecundũ Scotũ. ib. 2. tale axioma poteſt verificari dupliciter in generatione, & corruptione, nimirũ ſimpliciter, & ſecũdũ quid. 38 1. Generatio, & Corruptio poſſunt cõparari ad terminũ formalẽ, & totalẽ. ib. 1. 2. Generatio, & Corruptio de poſſibili attẽta nullũ dicunt ordinẽ prioritatis, & poſterioritatis. ib. 2. de facto verò conſiderata ſecũdũ ordinẽ intentionis. generatio eſt prior natura corruptione. ſecũdũ verò ordinẽ executionis hæc eſt prior naturaliter illa: ambæ verò exiſtunt in vno inſtanti tẽporis ſecundũ Scotum. 39. 1. 2 Generatio, & corruptio ſpectatæ pro diſpoſitionibus formæ inducendæ, vel expellendæ ſunt in tẽpore effectiuè, & formaliter. 40. 1. 2. Axioma Ariſtotelicũ: Corruptio vnius eſt generatio alterius, vel è conuerſo nõ eſt verũ formaliter, ſed tantũ cauſaliter, & concomitãter. 41. 1. valet tantũ in rebus inanimatis vbi eſt tantũ vnica forma ſubſtantialis. ſecus in viuentibus, in quibus reperitur duplex forma 41. 2. Poteſt extendi huiuſmodi axioma etiã in generationibus, & corruptionibus accidentalibus, 42. 1 Generatio in creatis duo importat s productionem & mutationem. 162. 2. Generatio miſti ex miſcibilibus ſimplicibus diſtinguitur tantum accidentaliter à generatione miſti ex miſcibilibus miſtis 164. 1.

Gradus:

Gradus perfectionales in qualitatibus attẽduntur ſecũdum eſſe ſpecificum, & indiuiduale, & quinã ſint. 74. 1. 2. alij ſunt homogenei, et alij etherogenei, et quomodo diſtĩguãtur. 74. 2

Homo; Humanum.

Homo primus in ſtatu Innocẽtiæ fuiſſet mortalis in potentia remota, et immortalis in actu, et quomodo. 249. 1. 2 Humanũ tẽperamentũ, an præſtantius, et nobilius cæ erit. Cõtrouertitur. 230. quoad miſtionẽ et cõſtitutionẽ ſubſtãtialẽ excellit omnia belluarũ tẽperamẽta 232. 1. Vt verò ordinatur ad operationes, et functiones. promiſſiue. ſe habeat ad cætera. 231. 2. et 232. 1.

Idem. Identitas.

Idẽ numero aliquid ſẽper manere poſſe cõtingit tripliciter, et quomodo. 99. 2. Idẽtitas numerica quonã pacto manere, et nõ manere poſſit in viuente poſt nutritionẽ augmentationẽ, et diminutionem toto decurſu tẽporis vitæ ſuæ. Vide Corpus viuẽtis manere poſſe idẽ numero

Ignis.

Ignis expoſcit caliditatem in ſummo, et ſiccitatem in remiſſo.

Ingenium.

Ingenij excellentia, an oriatur ex tẽperamento corporis humani. Controuertitur 233. 2 234. 1. Ingeniorũ excellentia, mentiũ perſpicatia dignoſci poſſunt ex varietate tẽperamentorũ. 235. 2. Ingeniorũ excellẽtia, et mentis perſpicatia poſſunt attendi in ordine ad potentiam intellectiuã vel vt ſit. vel pro ſtatu iſto 234. 2 Quomodo differunt ſic cõparata. ib Ad indagandã excellentiã ingenij, et mentis perſpicatiã multa concurrunt, quot, et quæ 235. 1. Signa indicantia excellentiã ingeniorũ, et mentis perſpicatiã ſecundũ Ariſtotelem, quæ ſint. 235. 2. Nullam melius tẽperamẽtũ. quã quod ex bilis, et melancholiæ permiſtione coaleſcit,

leſcit, indicare poteſt ingenij excellentiam, et mentis perſpicatiā 236.2. Ex hoc tēperamēto oritur etiam morum probitas. 237.1.

Intenſio, & Remiſſio

In qualitatibus fiunt per gradus homogeneos, non autem per Etherogeneos 75.2. *& quomodo. ibid. Intenſio, & remiſſio in qualitatibus quomodo fiat.* 73.1. *Non eſt inter gradus poſitiuos ſed inter priuationem, & formam eorumdem. ib. In motu remiſſionis terminus à quo eſt forma gradus qualitatis intenſa, quæ deperditur per deſitionem priuatiuam: terminus verò à quo in motu intenſionis non eſt gradus poſitiuus vltimus qualitatis remiſſa, ſed priuatio gradus ſuccedentis de nouo producti ab agente, qui debet addi toti qualitati.* 73.1. *Intenſio in qualitatibus, & augmentatio in quantitatibus conueniunt, cum libæ fiant per additionem formæ ſequētis ad totū preexiſtēs: & quomodo.* 75.1.76.1.77.1.2. *Intenſio in qualitatibus attēditur in ordine ad agens naturale, & vocatur ſumma.* 189.1.

Latitudo gradualis

In qualitatibus quomodo vocetur. 189.1. *quot gradus comprehendere valet. ibid.*

Lignum

Vitæ, quomodo prohibebat mortem in ſtatu innocentiæ. 249.2.

Libri

De Generatione, & Corruptione communiter ponuntur inter quatuor libros de Cælo, & Mundo, & quatuor Meteorologicorum 10.2. *Non eſt tamen improbabile aſſerere, illos conſtituere vnum opus integrum cum libris de Cælo, & Mundo.* 11.1. *aut coniungi cum libris Meteorologicorum ad faciēdum alterum opus integrum. ib.* 2. *Libri de generatione, & corroptione, cur potius ſic inſcribantur, cum Ariſtoteles in eiſdem agat de pluribus alijs mutationibus.* 2.

Liquores :

Contrarietatibus affecti, poſſunt propriè miſceri. 152.1.2.

Materia prima

Quid ſit ſecundum Ariſtotelem, & Scotum. 24.1.2. *Eſt non ens ſimpliciter, & ens ſimpliciter, quomodo intelligitur.* 25.1. *Eſt ens in potentia ſubiectiua, & non obiectiua, quomodo ſit verum.* 25.2. *Materiam primam eſſe ſubiectum accidentium poteſt intelligi, vel de ſubiecto immediato, vel mediato, & quomodo.* 49.2. *In materia prima nō remanent accidētia in facto eſſe media inter genitum, & corruptū, vt ſint principia formæ ſubſtātialis generandæ.* 51.2. *Materia prima quid ſit:* 211.2. *Eſt principium generabilitatis, & corruptibilitatis ibid.*

Miſtio, & Miſcibile.

Miſtio, an ſit poſſibilis in natura? Controuertitur. 149.2.150.1. *Miſtio quid ſit, quotuplex.* 150.1.2. *Ad veram miſtionem tria requirūtur, & quæ. ib.* 2. *Miſſibilia quæ ſint, & quas conditiones exigunt.* 151.1. *Miſtio, ſiuè propria, ſiuè impropria eſt poſſibilis in natura.* 151.1.2. *Miſtio deſcripta ab Ariſtotele de facto datur in natura. ib. Miſtio propriè accepta datur etiam in liquoribus, non tamen omnibus, ſed tantum in iis, qui qualitatibus cōtrariis ſunt affecti.* 152.1.2. *Probabile eſt, aquam miſceri propriè cum vino.* 152.2. *Probabilius tamen eſt non dari veram miſtionem inter aquam, & vinum. ibid. Miſtio dupliciter attendi poteſt.* 157.1. *Diffinitur à Ruuio, & à Scoto, quomodo. ibid.* 2. *Miſtio ſiuè materialiter, ſiuè formaliter attenta, rectè diffinitur ab Ariſtotele ſecundū expoſitionem Scoti, & Ruuii.* 158.2. *Miſtio perfecta neceſſariò exigit alterationem quatuor Elementorum: imperfecta verò eſt contenta duobus.* 159.1. *Miſtio perfecta ſecundum Ariſtotelem nequit conſtare vnico tantum elemento, neque ſecundum Scotum.* 159.2. *Miſtio an diſtinguatur eſſentialiter à Generatione, & Corruptione. Cōtrouertitur.* 161.1.2. *Ad miſtionem ſubſtantialem tria de neceſſitate prærequiri, & quæ. ibid.* 2. *Miſtionis diffinitio per eſſentialia, & per connotata, quænam ſit.* 162.1.2. *Miſtio, vt quædam generatio mutatio eſt idem formaliter cum generatione in communi, & ſolum diſtincta ex natura rei.* 163.1. *Miſtio, vt eſt quædam generatio Miſti diſtinguitur eſſentialiter ſpecificè à generatione mutatione corporis ſimplicis. ib.* 2. *Miſtio formaliter ſumpta diſtinguitur eſſentialiter ab alteratione, & corruptione miſcibilium, & connotatis.* 164.1. *Miſtio materialiter attenta inuoluit omnia talia eſſentialiter ibid.*

Mors, & Morum, probitas.

Mors quid ſit. 248.1. *Eſt pęna peccati originalis in omnes poſteros Adę transfuſa, & ſolus naturę, & quomodo. ib. Mors originatiuè eſt cōditio naturę in ōnibus viuētibus* 249.1. *applicatiuè verò in hominibus poſt lapſū naturę, eſt pęna peccati Adę. ib.* 2. *Mors regnans in Mundo per peccatum Adę, quomodo verum.*

Digitized by Google

verùm . 250. 1. *Mors B.V. fuit defectus, & paſſio naturę, & non peccati pęna ſecundum Scotum ibidem*. 1. *Mortua fuit ad exemplum Filij, vt piè tenet Eccleſia cum communiori ſententia.ibidem . mors. ſecundum ſe ſpectata, eſt connaturalis viuentibus, & quomodo*. 251. 1. *Eſt vltimum terribilium, & horribilis, & quomodo verum, cum ſit connaturalis viuentibus. ibidem* . 1. 2. *Mors à morſu nomen accepit ex D. Auguſtino & quomodo* 252. 1. *morum probitas, ex temperamento melanconico, improbitas verò ex ſanguineo, & phlegmatico oriri ſolent*. 237. 1. 2.

Motus

Conſiderari poteſt pro materiali, & pro formali, & vtroque modo quotupliciter. 65. 2. *Vnde ſumat ſuam ſpeciem*. 66. 1 *adhuc tripliciter ſpectari poteſt, nempè formaliter, materialiter, et cõcomitanter. ibidem*. 1. 2. *motus formaliter diuiditur in continuum, ſeù diuiſibilem, et inſtãtaneum ibidem*. 2. *Diuiſibilis. ſeù ſucceſſiuus partitur in augmentationem, diminutionem, alterationem, et loci mutationem. ibidem. Idẽ eſt eſſentialiter continuus, et ſucceſſiuus. ibidem. Motus continuus, et ſucceſſiuus poteſt comparari ad agens naturale; et ſupernaturale: Si comparetur ad prius. eſt eſſentialiter diuiſibilis, ſi verò ad poſterius ſucceſſio eſt ſibi accidẽtalis*. 67. 1. *Quinimo tranſit in inſtantaneum, et in mutationem ſecundum ſcotum ibidem. Motuũ diſtinctio ſumitur à terminis ad quos diuerſis*. 87. 1 *Motus augmentationis poteſt fieri in inſtanti ab agente ſupernaturali*. 88. 1. 2. *et* 89. 1. *abſtraere valet à motu continuo, et ſucceſſiuo. ibidem. Motus eſt actus entis in potentia, vel actus mobilis, vt mobile eſt*. 92. 2. *Diuiditur in poſitiuum, et priuatiuum; ibidem. et* 93. 1. *Motus augmentationis, et diminuitionis quid ſint. ibidem. Motus eſt ſemper acquiſitiuus alicuius termini poſitiui, vel priuatiui*. 93. 2. *Motus generationis, et corruptionis, ſicut motus acceſſus, et receſſus habent quatuor terminos ſecundum Scotum*. 33. 2. *Motus acceſſus, et receſſus Solis, an ſit cauſa generationis, et corruptionis. Controuertitur de modo*. 252. 1. 2. *Motum localem Solis per acceſſum, et receſſum concurrere ad generationem, et corruptionem contingit dupliciter, et quomodo*. 253. 1. *Motum localem eſſe cauſam caloris in his inferioribus, quomodo verum* 253. 2. *Motus acceſſus, et receſſus localis ſolis eſt cauſa vniuerſalis generationis, et corruptionis rerum ſublunarium*. 254 1. *Non eſt tamen cauſa per ſe, ſed ſolum per accidens; vt conditio, non vt ratio agendi. ibidem*. 2. *Quomodo ſit verum ſecundum ſcotum*. 255 2 *Motu corporum caleſtium, an ceſſare debeant motus corporum inferiorum Controuertitur*. 256. 1. 2.

Mouens

Diuiditur in primum et vltimum, et quid ſit vtrumquè 113. 1. *Mouens primum, et primum alterans, ſeù agens conueniunt, et differunt inter ſe, et quomodo. ibidem.*

Non Ens

Eſt duplex. ſ. ſimpliciter, et ſecundum quid. 251. 1. *opponitur enti ſimpliciter et ſecundum quid. ibidem. Nihil purum ſicut eſt terminus à quo creationis, ità eſt terminus ad quem annihilationis*. 35. 1. 2.

Nutritio,

Et augmentatio quomodo conueniant. et diſcriminentur. 84. 1. 2. *Nutritio eſt motus inſtantaneus ſecundum Scotum, et augmentatio continuus, et ſucceſſiuus* 88 1 *diſtinguuntur realiter à ſeinuicem, etiamſi fiant ſimul, et ſub vna continuitate, et quomodo*. 91. 1. 2.

Oleum

Incraſſatur à calido, et frigido, licet diuersiè modè, et quomodo. 193. 1.

Oppoſita

Sunt triplicia, nempè contraria, contradictoria, et priuatiua, et quomodo differunt inter ſe. 173 2.

Ordo

Librorum de Generatione, et Corruptione, ſi attendantur vt opus integrum, mediare debent inter libros de Calo, et Mundo, ac de Meteorologicis 10. 2 *Si verò ſpectentur tamquam pars, annecti poſſunt, vel libris de Calo, vel de Meteoris ad faciendum vnum opus integrum*. 11. 1. 2.

Partes

Corporis viuentis, alię dicuntur materiales, et alię formales, quę ſint. 98. 2. *Vtrę que poſſunt dici tales, vel ſecundum eſſe, vel ſecundum agere, et quomodo, ibidem. Partes ſecundum materiam fluunt decurſu tẽporis in viuente; partes ſecundum ſpeciem, ſeù formales permanent ſemper dum viuit.*

uit. 99.1. Partes nutriendæ dupliciter nutriri poſſunt, vel per aggenerationem partis nouæ: vel per iuſta poſitionem, & quomodo. ibidem. 1.2.

Paſſum

Reſiſtere agenti, quid ſit ſecundum Scotum. 123.2. Paſſio, & actio inter ſe contraria quid ſint. 122. 1.

Periodus

Vitæ quid ſit. 245.1. Eſt in hominibus incerta. 246.1. Cauſæ periodi vitæ, aliæ ſunt ab intrinſeco, & aliæ ab extrinſeco, & quæ ſint. ibidem. 1. 2.

Permanentia

Omnia, ſiue ſucceſſiua, tum corrupta, tum annihilata poſſunt virtute diuina in idem numero: redire, vel per reproductionem, vel per recreationem 157.1. Non omnia tamen poſſunt naturaliter reproduci ibi.2. multa tamen poſſunt naturaliter reproduci, non quidem immediate ſed mediate ibidem. 2. Arguitur opinio Platonicorum de reprodutione.ibidem.2.

Perpetuitas

Generationis vnde ſumatur. 20. 2.& 21.2.

Potentia

Materia duplex obiectiua, & ſubiectiua, & vtraque quid ſit. 25 2 Potentia triplex, actiua,paſſiua,& reſiſtitiua,quæ ſint, quomodo vocentur,& diſtinguantur à ſemuicem. 145.2.& 146.1.

Præteritum

Ad præteritum,vt tale formaliter ſumptum nulla datum potentia, ſiue actiua, ſiue paſſiua 157.2. Ad præteritum tamen pro connotato, poteſt dari potentia ſaltum diuina ibid.

Principia

Rerum, alia ſunt eſſentialia, & alia accidentalia & quæ.180. 2.Principia eſſentialia Elementorum ſunt tantum duo: ſ.materia,& forma ſubſtantialis.182.1. Accidentalia vero ſunt quatuor contrarietates primarum qualitatum. ibidem.

Prioritas

Temporis,& naturæ,quæ.37.1.

Priuatio,

Et forma ſunt termini motus formales, & incompoſſibiles. 72.2.

Proportio

In actione, & paſſione duplex, maioris, & minoris inæqualitatis, quæ. 123.1.2.Proportio maioris inæqualitatis neceſſaria eſt inter agens, & patiens, ad habendam actionem de paſſio contrario. 124.1.2.

Qualitas.

Qualitates corporis naturalis, cui ineſt alteratio, aliæ ſunt ſeparabiles, & aliæ inſeparabiles à ſubiecto & quæ.61.1.2. Qualitatum comparatio quo ad actiuitatem, paſſiuitatem,& reſiſtentiam, quæ. & qualis. 122.2. & 124. 1.Qualitas eadem an poſſit ſeipſam intendere.controuertitur. 137.2. quomodo poſſit. ibidem. & 138.1.Qualitas exiſtens in alieno ſubiecto & contrario ſuæ naturæ dupliciter intendi valet. 139. 2. Qualitas exiſtens in ſuo connaturali ſubiecto, circumobſeſſa tamen à contrarijs, nequit intendi à ſeipſa actione vniuoca, licet benè actione æquiuoca, & quomodo. 140.2.Qualitas exiſtens in alieno ſubiecto, ſi fuerit circumobeſſa à cõtrarijs probabile, eſt quod intendatur, ne multa expellatur ab eo,ibidem. & 141. 1. Probabilius tamen ipſum roborari, & intendi per ſe à circumobſiſtentibus contrarijs. ibidem. & quomodo. ibidem. Qualitas exiſtens in alieno ſubiecto pluribus modis intendi poteſt.141.1.2.Qualitates quatuor primæ, an ſint; entitates poſitiuæ, & omnium primæ. Controuertitur. 172.1.2. Qualitas diuiditur in quatuor ſpecies, & quas. ibidem.2.& 173.1.Qualitas ſenſibilis,quæ & quotuplex. 173. 1 Qualitas tangibilis diuiditur in ſeptem contrarietates, & quæ ſint. 173. 1. Quatuor qualitates tangibiles dicuntur primæ,& quomodo. 173. 2. Omnes quatuor qualitates tangibiles. ſ. caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas ſunt entitates poſitiuæ, & non priuatiuæ. 174.1.2.Humiditas,& ſiccitas ſunt qualitates diſtinctæ a corporibus humidis, & ſiccis. 175.1.Quatuor qualitates tangibiles ſunt omnium qualitatum tangibilium æqualiter primæ, & quonam pacto. ibidem. 2. Qualitates virtuales priores formalibus non dantur in Elementis. 176.1. Qualitates formales in elementis, ſemel amiſſa, quomodo poſſunt recauſari in eis, & a quo agente ſecundum Scotum. 178.1. 2. An huiuſmodi qualitates ſint formæ ſubſtantiales Elementorum, vel accidentales duntaxat. Controuertitur.ibidem.2. & 179. 1. Qualitates Elementares ſunt formæ eorumdem conſtitutiuæ, & conſeruatiuæ. 181. 1. 2. Qualitates tangibiles an

fuerint

Digitized by Google

fuerint rectè diffini ę, vel ſolum deſcripta ab Ariſtotele. Controuertitur. 184. 2. *Poſſunt diffiniri dupliciter, in abſtrato, & in concreto, & quomodo.* 185.1. *poſſunt dupliciter attendi, nempè abſolute, & relatiuè in ordine ad miſtum.* 185.2. *Diuiduntur in actiuas, & paſſiuas, & quonam pacto. ibidem. Illarum diffinitiones datæ ab Ariſtotele, ſiuè in concreto, ſiuè in abſtracto, ſunt bonæ.* 185.1. *Qualitates tangibiles an inſint Elementis, & in quo gradu. Controuertitur.* 188. 2. 189. 1. *Datur in eis latitudo gradualis, & quomodo vocetur, ibidem. Qualitates ſymbolæ Elementorum. & Miſtorum an differant ſpecie infima. Controuertitur,* 194. 2. 195. 1. *Qualitates Elementorum, aliæ ſunt ſymbolæ, aliæ diſsymbolæ, & aliæ contrariæ, & quæ ſint,* 195. 1. 2. *Symbolæ quomodo poſſunt gigni in corporibus miſtis, vniuocè, vel æquiuocè.* 196. 1. *Qualitates ſymbolæ Elementorum ad inuicem comparatę, licet ſint in elementis ſpecie diſtinctis ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ.* 197. 1. *Diſsymbolæ verò, licet ſint in eodem Elemento, diſtinguuntur ſpecie. ibidem. Symbolæ Elementorum, & miſtorum ad inuicem comparatæ, ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ. ibidem.* 2. *Probabile eſt, in ſententia Scoti, eas diſtingui etiam ſpecie. ibidem.* 198. 1. *Eſt cõtra Maſtrium, & defenditur à pluribus Scotiſtis. ibidem.* 198. 1. 2. *In his Scotus videtur problematicus. ibidem. vſque ad n.* 203. *Qualitates diſparatæ quæ vocantur coniugationes, poſſunt ſubiectari in vno elemento, & quę.* 225.1.

Quantitas

Duplex, continua, & diſcreta, & quę 66. 2. *Quantitas duplex. s. molis, & virtutis; quę nam ſint, & quomodo conueniant, & differant.* 74.1.

Reatio

Patientis in agens contrarium quid ſit. 123. 1. *Ad reactionem paſſi in agens requiritur maior reſiſtentia actiua paſſi, quam ſit reſiſtentia actiua agentis.* 124.2.

Receſſus,

Et acceſſus ſunt motus realiter diſtincti, & quomodo. 33. 2. *vnus poteſt eſſe ſine alio. ibidem.*

Refrigeratio

Quomodo fiat ab aere, cum ſit calidus, in animalibus. 193.1.

Relatio.

Relationes ſunt in duplici differentia 61. 2. *Relatio realis, & formalis quomodo diſtinguantur,* 93. 2.

Remiſſio,

Et intenſio in qualitatibus quomodo fieri poſſint. 73.1. 75.1.2. & 76.1. *Vide intenſio in qualitatibus.*

Reſiſtentia

In actione, & paſſione contrariorum eſt duplex. actiua, & paſſiua; ſiuè, formalis, & actiua. 123. 2 *Reſiſtentia, ſiuè actiua, ſiuè paſſiua conueniunt primis quatuor qualitatibus.* 125.1.

Reſolutio

Vſque ad materiam primam, & nudam, tùm ſubſtantialis, tùm accidentalis fit in corruptione compoſiti inanimati. 50.1. *in corruptione verò compoſiti animati fit reſolutio vſque ad materiam primam tantum mediatè. ibidem.* 2. *Non remanent, in corruptione compoſiti ſubſtantialis, accidentia in facto eſſe inter genitum, & corruptum. veluti principia formę generandę.* 51.1. & 53.2. & 54.1.2.

Simile, & æquale

In qualitatibus, & quantitatibus, quomodo poſſint agere in ſibi ſimile, & ęquale. 79.1. *& quomodo non, ibidem. Simile an poſſit agere in ſibi ſimile. Controuertitur.* 127. 1.2. 128.1. *Similia, & diſſimilia ſecundum Ariſtotelem ſunt triplicia, nempè genere, ſpecie, & indiuiduo, & quę.* 129 1.2. *ſimile vniuocum nequit agere in aliud ſibi omninò ſimile.* 130.1.2. *Simile vniuocum non poterit agere in aliud ſibi omninò ſimile per accidens, & quomodo.* 131. 1. *Simile ęquiuocum poterit benè agere in aliud ſibi omninò ſimile in qualitate & gradu.* 132. 1.2. *Similia in ſpecie, & indiuiduo nequeunt agere in ſe ipſa actione corruptiua, licet benè actione vnitiua.* 132. 2.

Sol.

Solis motus receſſus, & acceſſus diſtinguuntur realiter. Vide, acceſſus, & receſſus.

Subiectum

Scientię dupliciter attenditur, ſecundum prędicationem, & ſecundum attributionem, & quid ſit vtrumque. 4.1. *Subiectum ſcientię duplex, materiale, & formale, & quid ſit vtrumque.* 5. 1. *Subiecti attributionis conditiones quot, & quę.* 4. 2. *Scientia naturalis eſt de ente naturali,* 5. 2.

Su-

Digitized by Google

Subiectum in libris de Generatione, & Corruptione non eſt corpus naturale ſimplex, neque vt comprehendit Cœlum, & Elementa, neque vt limitatur ad Elementa. 6. 1. *neque vt eſt commune ad ſimplex, & compoſitum vt mobile ad formam abſolutam. ibidem.* 2. *neque eſt generatio, & corruptio, neque ens mobile, vt generabile, & corruptibile.* 7. 1. *ſed probabile eſt eſſe corpus naturale compoſitum ex materia, & forma, vt mobile ad formam abſolutam perfectam. ibidem.* 2. *probabilius tamen eſt ſubiectum attributionis horum librorum adęquatum eſſe corpus naturale, miſtū qua miſtum* 8. 1., *& vt diſtinguitur à miſto imperfecto, & à ſimplici. ibidem.*

Subſtantia

Nequit habere eſſe productiuè cum accidentibus, licet benè diſpoſitiuè. 179. 1. *Subſtantię, & accidentia mutuo ſe iuuant, ne dum in fieri, ſed etiam in facto eſſe ſecundum Scotum, & quomodo. ibidem.* 2.

Temperamentum

Humani corporis, an ſit praſtantius, & nobilius cæteris temperamentis aliorum animalium. Controuertitur. 230. 1. 2. *Quid intelligatur nomine temperamenti. ibidem.* 2. *temperamentum ordinatur ad generationem, & conſeruationem miſti, & ad operationes, & functiones illius, & quomodo.* 231. 1. 2. *dupliciter ſic attendi poteſt temperamentum, & quomodo. ibidem. temperamentum humani corporis, vt ordinatur ad miſtionem, & conſtitutionem ex materia, & forma, & praſtantius cęteris.* 232. 1. *Vt verò attenditur in ordine ad operationes, & functiones, in multis vincit, et in alijs vincitur à Bellvis.* 231. 2. & 232. 1. *Temperamenta, quæ miſta diſtinguere valent, ſunt quatuor, & quæ.* 235. 2. *Temperamentum melancolicum indicat ingeniorum excellentiam, & mentium perſpicatiam.* 236. 2. *Etiam morum probitatem.* 237. 1. *Sanguineum verò & phlegmaticum improbitatem morum demonſtrat.*

Terminus

Termini motus, alij ſunt formales, & alij concomitantes, & qui ſint. 72. 2. *Quomodo differunt ad inuicem. ibidem. Termini intenſionis, & remiſſionis qui.* 73. 1.

Terra.

Terræ conuenit ſiccitas in ſummo, & frigiditas in remiſſo. 191. 1.

Vinum

Miſceri poſſe propriè cum aqua probabiliter defenditur. 152. 2. *Oppoſitum etiam probabilius ab alijs adſtruitur. ibidem.* 155. 2. & 156. 1. 2.

Vita

Quid ſit, & in quo conſiſtat. 26. 2. *Vitæ longitudo deſumitur ex proportione ſuppari, vel impari calidi, & humidi, vel frigidi, & ſui reſpectu breuitatis. ibidem.* 2.

Viuens.

Viuentia omnia, ex hoc, quod conſtant ex materia, & forma, habeant determinatam vitæ periodum, & neceſſitatem moriendi. Controuertitur. 245. 1. 2. *Viuentia omnia, ex eo, quod ſunt compoſita ex materia, & forma phyſica, habent vitæ determinatam periodum.* 248. 1. 2. *de lege naturę habent neceſſitatem moriendi. ibidem.* 2. & 149. 1.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

Subiectum in libris de Generatione, & Corruptione non eſt corpus naturale ſimplex, neque vt comprehendit Cœlum, & Elementa, neque vt limitatur ad Elementa.6. 1. neque vt eſt commune ad ſimplex,& compoſitum.vt mobile ad formam abſolutam. ibidem. 2. neque eſt generatio, & corruptio,neque ens mobile, vt generabile, & corruptibile. 7. 1. ſed probabile eſt eſſe corpus naturale compoſitum ex materia,& forma, vt mobile ad formam abſolutam perfectam, ibidem. 2. probabilius tamen eſt ſubiectum attributionis horum librorum adęquatum eſſe corpus naturale, miſtū qua miſtum 8.1., & vt diſtinguitur à miſto imperfecto, & à ſimplici. ibidem.

Subſtantia

Nequit habere eſſe productiuè cum accidentibus, licet benè diſpoſitiuè. 179. 1. Subſtantię, & accidentia mutuo ſe iuuant, ne dum in fieri, ſed etiam in facto eſſe ſecundum Scotum & quomodo. ibidem. 2.

Temperamentum

Humani corporis,an ſit præſtantius, & nobilius cæteris temperamentis aliorum animalium. Controuertitur.230. 1. 2. Quid intelligatur nomine temperamenti. ibidem 2. temperamentum ordinatur ad generationem, & conſeruationem miſti, & ad operationes, & functiones illius, & quomodo. 231. 1. 2. dupliciter ſic attendi poteſt temperamentum, & quomodo. ibidem. temperamentum humani corporis, vt ordinatur ad miſtionem, & conſtitutionem ex materia, & forma, & præſtantius cęteris. 232.1. Vt verò attenditur in ordine ad operationes, & functiones, in multis vincit,et in alijs vincitur à Bellnis. 231.2.& 232.1. Temperamenta. quæ miſta diſtinguere valent, ſunt quatuor, & quæ. 235. 2. Temperamentum melancolicum indicat ingeniorum excellentiam, & mentium perſpicatiam.236.2. Etiam morum probitatem. 237. 1. Sanguineum verò & phlegmaticum improbitatem morum demonſtrat.

Terminus

Termini motus, alij ſunt formales, & alij concomitantes,& qui ſint.72. 2. Quomodo differunt ad inuicem. ibidem. Termini intenſionis, & remiſſionis qui.73.1.

Terra.

Terræ conuenit ſiccitas in ſummo, & frigiditas in remiſſo.191.1.

Vinum

Miſceri poſſe propriè cum aqua probabiliter defenditur. 152. 2. Oppoſitum etiam probabilius ab alijs adſtruitur. ibidem. 155. 2.& 156.1.2.

Vita

Quid ſit, & in quo conſiſtat. 26. 2. Vitæ longitudo deſumitur ex proportione ſuppari, vel impari calidi, & humidi, vel frigidi, & ſiui reſpectu breuitatis. ibidem.2.

Viuens.

Viuentia omnia, ex hoc, quod conſtant ex materia, & forma, habeant determinatam vitæ periodum, & neceſſitatem moriendi. Controuertitur. 245.1.2. Viuentia omnia, ex eo, quod ſunt compoſita ex materia,& forma phyſica,habent vitæ determinatam periodum.248. 1. 2. de lege naturę habent neceſſitatem moriendi. ibidem. 2.& 149.1.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

probabilitate.ibidem. 1. 2. 59. 1. 2. & 60. 1 2. *Alterationis diuiſio notanda.*62. 1. *alteratio finis nequit ſecundum qualitates inſeparabiles.ibi.*1. 2. *alteratio phyſica fieri poteſt ſecundum omnes qualitates ſeparabiles.ibid.etiam per aliquas relationes, ad alterum, non ad ſe, & quomodo.*63. 1. *alteratio propriè ſumpta, vt dicit motum diuiſibilem ad qualitates cõtrarias quadrupliciter attendi poteſt.*65. 2. *alteratio dicitur motus continuus. vt cõtinuum admittit aliquam ceſſationem.ſecùs vt illam excludit.* 67. 1. *alteratio ſiue abſoluta, ſiuè comparata eſt motus continuus. & ſucceſſiuus eſſentialiter, non inſtantaneus ibid.* 2. & 68. 1. 2. & 69. 1. *vtraq; ſi attendatur formaliter, ſunt idem eſſentialiter: ſecus ſi ſpectentur concomitanter & connotatiuè.*69. 1. 2. *comparata intenſa. & remiſſa diſtinguuntur realiter, ſicut poſitiuum, & priuatiuum.*70. 1. *etiam de mente Doctoris ſubtilis, & quomodo.* 72. 2. & 73. 1. *Alterans diuiditur in primum, & vltimum, et quid vtrumque ſit.*113. 1 *Alterans, et mouens primum, et vltimum, conueniunt, et differunt, et quomodo ibidem. alterans an aliquid patiatur à paſſo alterato. Controuertitur.*143 2. 144. 1. *vtrum poſſint agere in ſeipſa actione reciproca. ibi. Alteratio phyſica quid ſit, et eius diuiſio.* 144. 2. *alteratio ſenſibilis quæ, et quotuplex.*145. 1. *adhuc eſt triplex.* 1. *corruptiua, diſpoſitiua, & perfectiua, et quid ſint.ibidem.*

Animalia Bruta.

Quomodo refrigerantur ab aeri, cùm non ſit frigidus, ſed calidus. 193. 1. *cur vincant homines in operationibus vitalibus, & vincantur ab eis in animaſticis.* 231. 2. 233. 1. 2.

Annihilatio.

*Annihilare eſt deſinere eſſe quoad conſeruationem.*25. 1. *competit ſoli Deo, cùm ipſe ſolus habeat in ſua poteſtate purum nihil, quod eſt terminus annihilationis.ibid.*2.

Antipariſtaſis.

*Grecè, ſonat latinè circum obſiſtentiam.*138. 1. 2. *actio antipariſtica quid ſit.ibid.*2. *Antipariſtaſis quid ſit.ibid.*

Aqua, & Vinum.

*Probabiliter ſecundum aliquos Doctores miſceri poteſt cum vino propria miſtione.*152. 2. *Probabilius tamen, ſecundum alios dicitur, non intercedere veram miſtionem aqua cum vino.* 152. 2. 153. 1. 155. 2. & 156. 1 *Miſceri tamen poſſunt adinuicem per iuxtapoſitionem. ibid.* & 156. 2.

Augmentatio, Diminutio.

*Augmentatio in quantitate molis, & intenſio in quantitate virtutis, quonam pacto conueniant.*75. 1. *Augmentatio eſt nomen æquiuocum, & ſumitur tripliciter.* 86. 1. 2. *propriiſſimè ſumpta exigit tres conditiones, & quæ.ibid.*2. *in viuentibus neceſſario pendet à nutritione. ibid. exigit plures motus, nempe localem, alterationis, generationis nouæ, conſiſtentiæ inſtantaneæ, & extenſionis continuæ, ac ſucceſſiuæ.* 87. 1. *eſt motus continuus, & ſucceſſiuus; diſtinctus realiter à motu generationis. corruptionis, alterationis, lationis, & nutritionis.ibi.*2. *poteſt fieri probabiliter etiã in inſtãti.*88 1. *nõ eſt motus factus ĩ diuerſis inſtantibus temporis diſcreti.*89. 1. *Poteſt tamen fieri ab agente ſupernaturali in diuerſis inſtantibus temporis continui. ibi. Augmentatio quid ſit.* 93. 1. *eſt motus poſitiuus, et quare.ibid diſtinguitur realiter. à diminutione, et quomodo.*94. 2.

Beata Virgo Maria.

Obiuit mortem ad exemplum Filij ſui ſecundum aliquos Doctores. 250. 1. *eius mors non fuit pœna peccati originalis, ſed conditio naturæ, vt ſuſtinet communior opinio. ibid.*

Bilis, & Billioſus.

*Bilis atra duplex, colori coniuncta, coloris lucidi. quæ attenuata vocatur, et frigiditati, ac ſiccitati vinculata, coloris plumbei, quæ denſa nominatur.*238. 2. *Prior facit homines magno, et excellenti ingenio præditos: poſterior verò, ſtolidos, ſtupidos, et ad mentales actiones ineptos gignit.*238. 1. *Permiſta vtraque cum alijs humoribus, varijs effectibus non ſecus, ac vinum immodicè ſumptum, homines euulgat. ibid. Bilioſum temperamentum indicat homines, ſtudijs deditos, in carminibus pangendis, et in adminiſtranda republica, ac in exercendis artibus clariores, et quæ de cauſa.*236. 1. 2. *etiam probitate morum conſpicuos, et cur.*237. 1.

Calor, caliditas. Frigus, & Frigiditas.

*Calor, exiſtens in aquis putealibus, et in ſtomacho quomodo intendi, et remitti poteſt, et quando.*1:9. 2 *calor maximus, et ſummum frigus vnde oriantur in his ſublunari-*

Digitized by Google

naribus.193.2.

Caro dura, & Lenis.

Carne duri, inepti mente: molles autem carne bene apti. 2 de Anima.94. 235.2. caro dura quidem, & boni habitus natura inſenſibilem ſignificat: Lenis autem, ingenioſum & inſtabilem: ibidem. caro humidior, & mollior ingenioſos indicat, & qua de cauſa ibidem.

Cauſa vniuoca, & æquiuoca.

Conuenientes ad idem; æquiuoca ſemper eſt perfectior, & quare.129.1. vtriuſque comparatio ſecundum Scotum. ibidem. Equiuoca aliqua, vt eſt Deus, poteſt cauſare abſq; vniuoca, alia nequaquam, vt eſt Sol, & quare. ibidem. cauſa breuioris, vel longioris vita, alia ſunt ab intrinſeco, & alia ab extrinſeco, & qua 246.1.2. cauſa mortis in viuentibus animalibus, quot, & qua ſint.247.1.2.

Compoſitum. Simplex.

Aliud completum, & aliud incompletum, & quid ſint.49.1. Vtrumque eſt generabile, & corruptibile, & quomodo.49.1.2. diuiditur in animatum, & inanimatum. ibidem. in corruptione compoſiti animati fit reſolutio vſque ad materiam primam mediatè. 50.1. in corruptione verò compoſiti inanimati fit reſolutio vſquè ad materiam primam immediatè, & quare 50.2.

Conditio.

Conditiones bona diffinitionis expenduntur ab Ariſtotele 4. Phyſicorum t.31. & quomodo.158.1. Quot, & qua ſint; ibidem.

Contradictio

Inter extrema eſt ratio venandi diſtinctionem inter aliqua; ſi realis realem, & formalem ſi fuerit formalis.93.2.

Contraria

Contrariorum natura in quo conſiſtat.122.2.123.1. Contrariorum victoria, aut depreſſio, vndè, & quibus de cauſis oriatur. ibidem 1.2.

Conuerſio, & Generatio.

Quomodo differunt inter ſe.29.2.30.1. & 31.1.2.

Corpus naturale

Quid, & quotuplex ſit.255.1.2. diuiditur in ſimplex, & Mixtum, & quid ſit vtrumq; 158.1. corpus naturale ſimplex, ſiuè vt eſt commune ad Cælum, & Elementū ſiuè vt limitatur ad alterutrum, non eſt ſubiectū attributionis horum librorum de Generatione, & Corruptione.6.2. neque eſt commune ad ſimplex, & compoſitum, quatenus mobile ad formam abſolutam. ibidem: Poteſt tamen eſſe ſubiectum prædicationis inadæquatè ſaltem. ibidem. Corpus naturale compoſitum ex materia & forma, vt mobile ad formam abſolutam perfectam, poteſt concedi pro ſubiecto attributionis in his libris.7.2. Corpus naturale mixtum, vt tale, pro vt diſtinguitur à mixto imperfecto, & ſimplici, probabilius aſſignatur pro ſubiecto attributionis in eiſdem libris. 8.1.

Corpus viuens

Poſſe manere idem numero in toto decurſu vita, tripliciter intelligi poteſt.99 2. Corpus viuens in augmentatione, & diminutione, nequit ſaluare identitatem numericam, ob perſeuerantiam eiuſdem forma numero. 100.1. Neque ob permanentiam partium primigeniarum, ſeù ſpermaticarum. ibidem. 2. neque ſaluari poteſt identitas numerica, ex eo, quod in ſingulis nutritionibus, et augmentationibus, ſit minima pars, qua additur, reſpectu entitatis totius. 102. probabile eſt ipſam ſaluari per æquiualentiam partium integralium ſucceſſiuè acquiſitarum, & deperditarum. 101.1.2. Identitas numerica requiſita ab Ariſtotele in corpore viuentis attenditur per ſolam reſtaurationem deperditi, nempè, quod tantum receperit, quantum dimiſerit, poſt augmentationem, & diminutionem. ibidem. 2. in rigore tamen ſuſtineri nequit, quod viuens maneat, toto tempore vita ſua, idem numero, etiam de mente Ariſtotelis.103.2.

Diffinitio.

Diffinitionis bona conditiones requiſita, qua, & quot ſecundum Ariſtotelem 4. Phyſicorum.t.31.157.2. & 158.1. Diffinitio dupliciter tradi poteſt, nimirum à priori. & à poſteriori, & quomodo.184.2.185.1. Diffinitiones quatuor primarum qualitatum, ſiuè in concreto, ſiuè in abſtracto tradita ab Ariſtotele, ſunt bona. 186.1.

Diminutio. Auctio.

Diminuctio quid ſit.93.1. Eſt motus priuatiuus, & quare. ibidem, & 94.1. diſtinguitur realiter ab actione, & quomodo. ibidem. 2 & 96.2. quonam pacto dici poteſt motus poſitiuus, & quomodo priuatiuus.95.1.2. & 96.1. An ſit motus ad quantitatem, ſicut actio.95.2. quomodo dici poteſt ſpecies motus ad quātitatem. ibidē. Diminutio ſumi

Digitized by Google

poteſt formaliter, & connotatiuè, & quomodo. 96. 1. Differt à corruptione, licet ambæ dicant amiſſionem termini ad quem poſitiui, & quomodo. ibidem.

Diſpoſitio.

Diſpoſitiones accidentales pro determinata forma generanda, mediant in fieri inter genitum, & corruptũ. 53. 2. 54. 1. 2. & 55. 1.

Diſtinctio.

Eſt relatio exigens duo extrema realia. ſi eſt realis, formalia verò ſi eſt formalis 93. 2. diſtinctio ſpecifica, vel identitas oppoſita inter aliqua, vnde dignoſci poteſt. 196. 2.

Elementa

Elementorum conſtitutiua, ſubſtantialia, non ſunt caliditas, & frigiditas, humiditas, & ſiccitas, ſed accidentalia. 180. 2. 181. 1. 2. Sunt etiam illorum formæ conſeruatiuæ. ibidem elementorum principia eſſentialia ſunt tantum duo: accidentalia verò quatuor, & quæ. 182. 1. elementa dupliciter poſſunt attendi, & quomodo. 189. 2. quouis modo ſpectentur, exigunt duas qualitates tangibiles, ſiuè vt ſunt partes Vniuerſi, ſiuè vt ſunt transmutabilia in ſeinuicẽ, & in miſto. 189. 2. & 190. 1. Elementa ſingula determinant ſibi vnam qualitatem, in ſummo, quomodo verum 195. 2. 196. 1. Elemẽta an ſint generabilia, & corruptibilia ſecundum totum, vel ſolũ ſecundum partes. Controuertitur. 211. 1. Elementa eſſe generabilia, & corruptibilia dupliciter contingit, & quomodo. ibid. 2. ſunt generabilia, & corruptibilia ſiuè ſecundum partes. ſiue ſecundum totũ. 212. 1. Non ſunt tamen generationi, & corruptioni obnoxia ſecundum totum. ſed tantũ ſecundum partes. ibid. 2. & 213. 1. An elementum quodlibet ex quolibet generari poſſit. Controuertitur. 214. 2. & 215. 1. Elementa ſunt alia ſymbola, & alia diſſymbola, & quæ. 215. 1. Vtraque attendi poſſunt ab intrinſeco, & ab extrinſeco, & quomodo. ibidem. 2. Elementorum tranſmutatio immediata exigit tres cauſas auxiliatrices, & quas. 216. 1. 2. Elementa, ſiuè ſymbola, ſiuè diſſymbola, nequeunt in ſeinuicem tranſmutari immediatè ſecundum totum, ſecus ſecundum partes. 217. 1. 2. elementa, attenta, tùm ab intrinſeco, tum ab extrinſeco, valẽt mutuo conuerti in ſeinuicem ſecundum partes, etiam ſecundum Scotum. 218. 1. 2. Probabile eſt abſq; detrimento ſententiæ Ariſtotelis, ſiuè ſymbola, ſiuè diſſymbola ſint elementa poſſe in ſeinuicem tranſmutari ab intrinſeco, non ſolum mediatè, verum etiã ĩmediatè. 219. 1. etiã ſecũdũ Scotũ. 220. 2. & 221. 1. Elementa diuiduntur in ſymbola, & diſſymbola, & quæ ſint 221. 2. Elementa tranſmutabilia tripliciter attendũtur, & quomodo. 222. 1. Elementa, ſecundũ propriam naturã duntaxat, attenta, facilius in ſe tranſeunt ſymbola, quam diſſymbola. ibid. 2. Si verò conſiderentur in comparatione ad virtutes agentium, à quibus efficienter tranſmutari ſolent, eadem facilitate tranſeunt etiam diſſymbola. ibid. Si autem ſpectentur præter has cauſas, etiam penes cauſas auxiliatrices, non poteſt aſſignari facilior, vel difficilior trãſitus potius in ſymbolis, quam in diſſymbolis. ibid. An ex duobus, vel pluribus elementis poſſit gigni tertium, vel vnum ab eis ſpecie diſtinctũ. 224. 1. Controuertitur. ibid. 2. Elemẽta ſymbola, & diſſymbola diſcriminantur, & quomodo. ibid. elementum attendi poteſt dupliciter, & ſecundum eſſe ſubſtantiale, & accidentale. & quomodo. ibid. & 225. 1. ſecundum eſſe ſubſtantiale exigunt tantum materiam, & formam. ibid. 1. ſecundum eſſe verò accidentale duas ex primis quatuor qualitatibus, quæ non ſint cõtrariæ ſed diſparatæ. ibid. Ex duobus, vel pluribus elementis poſſe gigni aliquod elementum diſtinctum, quomodo verum. ibid. Verificatur in diſſymbolis, nequaquam in ſymbolis. ibid. 2. & 226. 1. 2.

Ens.

Ens reale quid, & quotuplex. 172. 2. Ens reale poſitiuum quid, & quotuplex 172. 2. Ens reale priuatiuum, quid, & quotuplex. 173. 1. Ens ſimpliciter, & non ens ſimpliciter, quotupliciter aliquid dici poſſit. 25. 1. Ens ſimpliciter, vt opponitur enti ſecundum quid duplex eſt. ibid.

Forma.

Forma ſubſtantialis eſt indiuiſibilis per generationem in inſtanti ab agenti ſupernaturali, non verò à creato, quomodo verum ſecundum Scotum 44. 1. & 45. 1. Forma ſubſtãtialis, an ſit indiuiſibilis in materiã ab agente creato diuiſibiliter, vt tenet magiſtrius, vel indiuiſibiliter ſaltem formaliter ſecundum Scotum: 45. 1. Forma corporitatis reperitur in quolibet compo-

ſito

ſito ſubſtantiali completo, & incompleto. 49.5 & 50. 1. 2. Forma ſubſtantialis, & accidentalis quid ſint, & quomodo differant. 180.1 quomodo dignoſcãtur in ſuis effectibus ibid. Forma miſtionis debet proportionari cum forma vltima ſecundum Scotum. in 4. d.11.q.3. 232.1.

Generatio, & Corruptio.

Generatio, & corruptio duplex, s. ſimpliciter, & ſecundum quid ſeu ſubſtantialis, & accidentalis ex Ariſtotele. 18.2. Quid ſint, et quomodo diſtinguãtur ab alteratione. 19.1. Generationem ſubſtantialẽ non eſſe poſſibilem, oſtenditur. ibid. Soluitur argumẽtũ, & oſtenditur eius poſſibilitas ab Ariſtotele. 19. 2. Monet quæſtionem de perpetuitate generationis ſubſtantialis & illã ſoluit affirmatiuè. 20.1 2. & 21.1.2 oſtẽdit modũ perpetuã i generationes ſubſtãtiales. 21.2. ponit differẽtiã inter generationẽ ſubſtantialẽ, & alterationẽ. 22.2. & 23.1. Generatio, & corruptio ſubſtãtialis neceſſario ponuntur in rerũ natura cõtra Antiquos. 25. 1. 2. ſunt neceſſario ponenda et ãſi materia habeat actũ entitat. ib 2. & 26.2. & 27.1.2. Generatio, & Corruptio ſumuntur propriè, & ĩpropriè. 28.1. Generatio in creatis duo importat. nẽpè mutationẽ. & productionẽ ſecundũ Scotũ. ib 1.2. Diffinitionẽ generationis vt ſic non ingreditur mutatio. ib. 2. Generatio, & corruptio mutationes dupliciter diffiniuntur. 29.1.2. Generatio, & conuerſio differunt. & quomodo. ib. Generatio, & Corruptio ſimpliciter diſtinguũtur realiter 30.2. Etiã ſi ſumantur in ratione actionis. 31.2. & 32.1.2. & 33.2. & 34. & 35.1.2 Generatio et corruptio, vt ordinantur adinuicẽ dupliciter conſiderãtur. & de poſſibili, & de facto. 36.2. de facto adhuc dupliciter ſpectantur. 37. 2. Generatio vnius eſt corruptio alterius tripliciter ſpectari poteſt ſecundũ Scotũ. ib. 2. tale axioma poteſt verificari dupliciter in generatione, & corruptione, nimirũ ſimpliciter, & ſecũdũ quid. 38 1. Generatio, & Corruptio poſſunt cõparari ad terminũ formalẽ, & totalẽ. ib. 1.2. Generatio, & Corruptio de poſſibili attẽta nullũ dicunt ordinẽ prioritatis, & poſterioritatis. ib. 2. de facto verò conſiderata ſecũdũ ordinẽ intentionis. generatio eſt prior natura corruptione. ſecũdũ verò ordinẽ executionis hæc eſt prior naturaliter illa: ãbæ verò exiſtunt in vno inſtanti tẽporis ſecundũ Scotum. 39.1.2 Generatio, & corruptio ſpectata pro diſpoſitionibus formæ inducendæ, vel expellendæ ſiunt in tẽpore effectiuè, & formaliter. 40.1.2. Axioma Ariſtotelicũ: Corruptio vnius eſt generatio alterius, vel è conuerſo nõ eſt verũ formaliter, ſed tantũ cauſaliter, & concomitãter. 41.1. valet tantũ in rebus inanimatis vbi eſt tantũ vnica forma ſubſtantialis. ſecus in viuentibus, in quibus reperitur duplex forma 41.2. Poteſt extendi huiuſmodi axioma etiã in generationibus, & corruptionibus accidentalibus, 42.1 Generatio in creatis duo importat s productionem & mutationem. 162.2. Generatio miſti ex miſcibilibus ſimplicibus diſtinguitur tantum accidentaliter à generatione miſti ex miſcibilibus miſtis 164. 1.

Gradus:

Gradus perfectionales in qualitatibus attẽduntur ſecũdum eſſe ſpecificum, & indiuiduale, & quinã ſint. 74.1.2. alij ſunt homogenei, et alij etherogenei, et quomodo diſtĩguãtur. 74.2

Homo; Humanum.

Homo primus in ſtatu Innocẽtiæ fuiſſet mortalis in potentia remota, et immortalis in actu, et quomodo. 249.1.2 Humanũ tẽperamentũ, an præſtantius, et nobilius cæteris. Cõtrouertitur. 230. quoad miſtionẽ et cõſtitutionẽ ſubſtãtialẽ excellit omnia belluarũ tẽperamẽta 232. 1. Vt verò ordinatur ad operationes, et functiones. promiſcue. ſe habeat ad cætera. 231.2. et 232.1.

Idem. Identitas.

Idẽ numero aliquid ſẽper manere poſſe cõtingit tripliciter, et quomodo. 99.2. Idẽtitas numerica quonã pacto manere, et nõ manere poſſit in viuente poſt nutritionẽ augmentationẽ, et diminutionem toto decurſu tẽporis vitæ ſuæ. Vide Corpus viuẽtis manere poſſe idẽ numero

Ignis.

Ignis expoſcit caliditatem in ſummo, et ſiccitatem in remiſſo.

Ingenium.

Ingenij excellentia, an oriatur ex tẽperamento corporis humani. Controuertitur 233.2 234. 1. Ingeniorũ excellentia, mentiũ perſpicatia dignoſci poſſunt ex varietate tẽperamentorũ. 235.2. Ingeniorũ excellẽtia, et mentis perſpicatia poſſunt attendi in ordine ad potentiam intellectiuã vel vt ſit. vel pro ſtatu iſto 234. 2 Quomodo differunt ſic cõparata. ib Ad indagandã excellentiã ingenij, et mentis perſpicatiã multa concurrunt, quot, et quæ 235. 1. Signa indicantia excellentiã ingeniorũ, et mentis perſpicatiã ſecundũ Ariſtotelem, quæ ſint. 235.2. Nullum melius tẽperamẽtũ. quã quod ex bilis, et melancholiæ permiſtione coaleſcit,

Digitized by Google

leſcit, indicare poteſt ingenij excellentiam, et mentis perſpicatiā 236.2. Ex hoc tēperamēto oritur etiam morum probitas. 237.1.

Intenſio, & Remiſſio

In qualitatibus fiunt per gradus homogeneos, non autem per Ethero geneos 75.2. & quomodo. ibid. Intenſio, & remiſſio in qualitatibus quomodo fiat. 73.1. Non eſt inter gradus poſitiuos, ſed inter priuationem, & formam eorumdem. ib. In motu remiſſionis terminus à quo eſt forma gradus qualitatis intenſæ, quæ deperditur per deſitionem priuatiuam: terminus verò à quo in motu intenſionis non eſt gradus poſitiuus vltimus qualitatis remiſſæ, ſed priuatio gradus ſuccedentis de nouo producti ab agente, qui debet addi toti qualitati. 73.1. Intenſio in qualitatibus, & augmentatio in quantitatibus conueniunt, cum ābæ fiant per additionem formæ ſequētis ad totū preexiſtēs, & quomodo. 75.1.76.1.77.1.2. Intenſio in qualitatibus attēditur in ordine ad agens naturale, & vocatur ſumma. 189.1.

Latitudo gradualis

In qualitatibus quomodo vocetur. 189. 1. quot gradus comprehendere valet. ibid.

Lignum

Vitæ, quomodo prohibebat mortem in ſtatu innocentiæ. 249.2.

Libri

De Generatione, & Corruptione communiter ponuntur inter quatuor libros de Cælo, & Mundo, & quatuor Meteorologicorum 10. 2. Non eſt tamen improbabile aſſerere, illos conſtituere vnum opus integrum cum libris de Cælo, & Mundo. 11. 1. aut coniungi cum libris Meteorologicorum ad faciēdum alterum opus integrum. ib. 2. Libri de generatione, & corruptione, cur potius ſic inſcribantur, cum Ariſtoteles in eiſdem agat de pluribus alijs mutationibus. 2.

Liquores

Contrarietatibus affecti, poſſunt propriè miſceri. 152.1.2.

Materia prima

Quid ſit ſecundum Ariſtotelem, & Scotum. 24. 1. 2. Eſt non ens ſimpliciter, & ens ſimpliciter, quomodo intelligitur. 25. 1. Eſt ens in potentia ſubiectiua, & non obiectiua, quomodo ſit verum. 25. 2. Materiam primam eſſe ſubiectum accidentium poteſt intelligi, vel de ſubiecto immediato, vel mediato, & quomodo. 49. 2. In materia prima nō remanent accidētia in facto eſſe media inter genitum, & corruptū, vt ſint principia formæ ſubſtātialis generandæ. 51. 1. Materia prima quid ſit: 211.2. Eſt principium generabilitatis, & corruptibilitatis ibid.

Miſtio, & Miſcibile.

Miſtio, an ſit poſſibilis in natura? Controuertitur. 149.2.150. 1. Miſtio quid ſit, quotuplex. 150.1.2. Ad veram miſtionem tria requirūtur, & quæ. ib. 2. Miſſibilia quę ſint, & quas conditiones exigunt. 151.2. Miſtio, ſiuè propria, ſiuè impropria eſt poſſibilis in natura. 151. 1. 2. Miſtio deſcripta ab Ariſtotele de facto datur in natura. ib. Miſtio propriè accepta datur etiam in liquoribus, non tamen omnibus, ſed tantum in iis, qui qualitatibus cōtrariis ſunt affecti. 152.1.2. Probabile eſt, aquam miſceri propriè cum vino. 152.2. Probabilius tamen eſt non dari veram miſtionem inter aquam, & vinum. ibid. Miſtio dupliciter attendi poteſt. 157.1. Diffinitur à Ruuio, & à Scoto, quomodo. ibid. 2. Miſtio ſiuè materialiter, ſiuè formaliter attenta, rectè diffinitur ab Ariſtotele ſecundū expoſitionem Scoti, & Ruuii. 158.2. Miſtio perfecta neceſſariò exigit alterationem quatuor Elementorum: imperfecta verò eſt contenta duobus. 159. 1. Miſtio perfecta ſecundum Ariſtotelem nequit conſtare vnico tantum elemento, neque ſecundum Scotum. 159. 2. Miſtio an diſtinguatur eſſentialiter à Generatione, & Corruptione. Cōtrouertitur. 161. 1.2. Ad miſtionem ſubſtantialem tria de neceſſitate pęrequiri, & quę. ibid. 2. Miſtionis diffinitio per eſſentialia, & per connotata, quęnam ſit. 162. 1. 2. Miſtio, vt quędam generatio mutatio eſt idem formaliter cum generatione in communi, & ſolum diſtincta ex natura rei. 163. 1. Miſtio, vt eſt quędam generatio Miſti diſtinguitur eſſentialiter ſpecificè à generatione mutatione corporis ſimplicis. ib. 2. Miſtio formaliter ſumpta diſtinguitur eſſentialiter ab alteratione, & corruptione miſcibilium, & connotatis. 164. 1. Miſtio materialiter attenta inuoluit omnia talia eſſentialiter ibid.

Mors, & Morum, probitas.

Mors quid ſit. 248.1. Eſt pęna peccati originalis in omnes poſteros Adę transfuſa, e ſectus naturę, & quomodo. ib. Mors originatiuè eſt cōditio naturę in ōnibus viuētibus. 249.1. applicatiuè verò in hominibus poſt lapſu naturę, eſt pęna peccati Adę. ib. 2. Mors regnauit in Mundo per peccatum Adę, quomodo

verum.

Digitized by Google

verum . 250. 1. *Mors B.V. fuit defectus, & paſſio naturę, & non peccati pęna ſecundum Scotum ibidem. 1. Mortua fuit ad exemplum Filij, vt piè tenet Eccleſia cum communiori ſententia.ibidem . mors. ſecundum ſe ſpectata, eſt connaturalis uiuentibus, & quomodo.* 251. 1. *Eſt vltimum terribilium, & horribilis, & quomodo verum, cum ſit connaturalis viuentibus. ibidem.* 1. 2. *Mors à morsu nomen accepit ex D. Auguſtino & quomodo* 252. 1. *morum probitas, ex temperamento melanconico, improbitas verò ex ſanguineo, & phlegmatico oriri ſolent.* 237. 1. 2.

Motus

Conſiderari poteſt pro materiali, & pro formali, & vtroquè modo quotupliciter. 65. 2. *Vnde ſumat ſuam ſpeciem.* 66. 1 *adhuc tripliciter ſpectari poteſt, nempè formaliter, materialiter, et cōcomitanter. ibidem.* 1. 2. *motus formaliter diuiditur in continuum, ſeù diuiſibilem, et inſtātaneum ibidem.* 2. *Diuiſibilis. ſeù ſucceſſiuus partitur in augmentationem, diminutionem, alterationem, et loci mutationem. ibidem. Idē eſt eſſentialiter continuus, et ſucceſſiuus. ibidem. Motus continuus, et ſucceſſiuus poteſt comparari ad agens naturale; et ſupernaturale: Si comparetur ad prius, eſt eſſentialiter diuiſibilis, ſi verò ad poſterius ſucceſſio eſt ſibi accidētalis.* 67. 1. *Quinimo tranſit in inſtantaneum, et in mutationem ſecundum ſcotum ibidem. Motuū diſtinctio ſumitur à terminis ad quos diuerſis.* 87. 1 *Motus augmentationis poteſt fieri in inſtanti ab agente ſupernaturali.* 88. 1. 2. *et* 89. 1. *abſtraere valet à motu continuo, et ſucceſſiuo. ibidem. Motus eſt actus entis in potentia, vel actus mobilis; vt mobile eſt.* 92. 2. *Diuiditur in poſitiuum, et priuatiuum; ibidem. et* 93. 1. *Motus augmentationis, et diminuitionis quid ſint. ibidem. Motus eſt ſemper acquiſitiuus alicuius termini poſitiui, vel priuatiui.* 93. 2. *Motus generationis, et corruptionis, ſicut motus acceſſus, et receſſus habent quatuor terminos ſecundum Scotum.* 33. 2. *Motus acceſſus, et receſſus Solis, an ſit cauſa generationis, et corruptionis. Controuertitur de modo.* 252. 1. 2. *Motum localem Solis per acceſſum, et receſſum concurrere ad generationem, et corruptionem contingit dupliciter, et quomodo.* 253. 1. *Motum localem eſſe cauſam caloris in his inferioribus, quomodo verum* 253. 2. *Motus acceſſus, et receſſus localis ſolis eſt cauſa vniuerſalis generationis, et corruptionis rerum ſublunarium.* 254 1. *Non eſt tamen cauſa per ſe, ſed ſolum per accidens; vt conditio, non vt ratio agendi. ibidem.* 2. *Quomodo ſit verum ſecundum ſcotum.* 255 2 *Motu corporum caleſtium, an ceſſare debeant motus corporum inferiorum Controuertitur.* 256. 1. 2.

Mouens

Diuiditur in primum et vltimum, et quid ſit vtrumquè 113. 1. *Mouens primum, et primum alterans, ſeù agens conueniunt, et differunt inter ſe. et quomodo. ibidem.*

Non Ens

Eſt duplex. ſ. ſimpliciter, et ſecundum quid. 251. 1. *opponitur enti ſimpliciter et ſecundum quid. ibidem. Nihil purum ſicut eſt terminus à quo creationis, ità eſt terminus ad quem annihilationis.* 35. 1. 2.

Nutritio,

Et augmentatio quomodo conueniant, et diſcriminentur. 84. 1. 2. *Nutritio eſt motus inſtantaneus ſecundum Scotum, et augmentatio continuus, et ſucceſſiuus* 88 1 *diſtinguuntur realiter à ſeinuicem, etiamſi fiant ſimul, et ſub vna continuitate, et quomodo.* 91. 1. 2.

Oleum

Incraſſatur à calido, et frigido, licet diuerſiè modè, et quomodo. 193. 1.

Oppoſita

Sunt triplicia, nempè contraria, contradictoria, et priuatiua, et quomodo differunt inter ſe. 173 2.

Ordo

Librorum de Generatione, et Corruptione, ſi attendantur vt opus integrum, mediare debent inter libros de Calo, et Mundo, ac de Meteorologicis 10. 2 *Si verò ſpectentur tamquam pars, annecti poſſunt, vel libris de Calo, vel de Meteoris ad faciendum vnum opus integrum.* 11. 1. 2.

Partes

Corporis viuentis, alię dicuntur materiales, et alię formales, quę ſint. 98. 2. *Vtrę que poſſunt dici tales, vel ſecundum eſſe, vel ſecundum agere, et quomodo, ibidem. Partes ſecundum materiam fluunt decurſu tēporis in viuente; partes ſecundum ſpeciem, ſeù formales permanent ſemper dum viuit.*

ult. 99. 1. Partes nutriendæ dupliciter nutriri poſſunt, vel per aggenerationem partis nouæ: vel per iuſta poſitionem, & quomodo. ibidem. 1.2.

Paſſum

Reſiſtere agenti, quid ſit ſecundum Scotum. 123.2. *Paſſio, & actio inter ſe contraria quid ſint.* 122. 1.

Periodus

Vitæ quid ſit. 245.1. *Eſt in hominibus incerta.* 246.1. *Cauſæ periodi vitæ, aliæ ſunt ab intrinſeco, & aliæ ab extrinſeco, & quæ ſint. ibidem.* 1. 2.

Permanentia

Omnia, ſiue ſucceſſiua, tum corrupta, tum annihilata poſſunt virtute diuina in idem numero redire, vel per reproductionem, vel per recreationem 157.1. *Non omnia tamen poſſunt naturaliter reproduci ibi.*2. *multa tamen poſſunt naturaliter reproduci, non quidem immediate ſed mediate ibidem.* 2. *Arguitur opinio Platonicorum de reprodutione.ibidem.*2.

Perpetuitas

Generationis vnde ſumatur. 20. 2.& 21.2.

Potentia

Materia duplex obiectiua, & ſubiectiua, & vtraque quid ſit. 25 2 *Potentia triplex, actiua, paſſiua, & reſiſtitiua, quæ ſint, quomodo vocentur, & diſtinguantur à ſemui cem.* 145.2.& 146.1.

Præteritum

Ad præteritum, vt tale formaliter ſumptum nulla datur potentia, ſiue actiua, ſiue paſſiua 157.2. *Ad præteritum tamen pro connotato, poteſt dari potentia ſaltum diuina ibid.*

Principia

*Rerum, alia ſunt eſſentialia, & alia accidentalia & quæ.*180. 2.*Principia eſſentialia Elementorum ſunt tantum duo: ſ. materia, & forma ſubſtantialis.*182.1. *Accidentalia vero ſunt quatuor contrarietates primarum qualitatum. ibidem.*

Prioritas

*Temporis, & naturæ, quæ.*37.1.

Priuatio,

Et forma ſunt termini motus formales, & incompoſſibiles. 72.2.

Proportio

In actione, & paſſione duplex, maioris, & minoris inæqualitatis, quæ. 123.1.2.*Proportio maioris inæqualitatis neceſſaria eſt inter agens, & patiens, ad habendam actionem de paſſio contrario.* 124.1.2.

Qualitas.

*Qualitates corporis naturalis, cui ineſt alteratio, aliæ ſunt ſeparabiles, & aliæ inſeparabiles à ſubiecto & quæ.*61.1.2. *Qualitatum comparatio quo ad actiuitatem, paſſiuitatem, & reſiſtentiam, quæ, & qualis.* 123. 2. & 124. 1.*Qualitas eadem an poſſit ſeipſam intendere, controuertitur.* 137.2. *quomodo poſſit. ibidem.* & 138.1.*Qualitas exiſtens in alieno ſubiecto & contrario ſuæ naturæ dupliciter intendi valet.* 139. 2. *Qualitas exiſtens in ſuo connaturali ſubiecto, circumobſeſſa tamen à contrarijs, nequit intendi à ſeipſa actione vniuoca, licet benè actione æquiuoca, & quomodo.* 140.2.*Qualitas exiſtens in alieno ſubiecto, ſi fuerit circumobeſſa à cõtrarijs, probabile, eſt quod intendatur, ne inulta expellatur ab eo, ibidem.* & 141. 1. *Probabilius tamen ipſam roborari, & intendi per ſe à circumobſiſtentibus contrarijs. ibidem. & quomodo. ibidem. Qualitas exiſtens in alieno ſubiecto pluribus modis intendi poteſt.*141.1.2.*Qualitates quatuor primæ, an ſint entitates poſitiuæ, & omnium primæ. Controuertitur.* 17:.1.2. *Qualitas diuiditur in quatuor ſpecies, & quas. ibidem.*2.& 173. 1.*Qualitas ſenſibilis, quæ & quotuplex.* 173. 1 *Qualitas tangibilis diuiditur in ſeptem contrarietates, & quæ ſint.* 173. 1. *Quatuor qualitates tangibiles dicuntur primæ, & quomodo:* 173. 2. *Omnes quatuor qualitates tangibiles. ſ. caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas ſunt entitates poſitiuæ, & non priuatiuæ.* 174 1.2.*Humiditas, & ſiccitas ſunt qualitates diſtinctæ a corporibus humidis, & ſiccis.* 175.1.*Quatuor qualitates tangibiles ſunt omnium qualitatum tangibilium æqualiter primæ, & quonam pacto. ibidem.* 2. *Qualitates virtuales priores formalibus non dantur in Elementis.* 176.1. *Qualitates formales in elementis, ſemel amiſſa, quomodo poſſunt recauſari in eis, & à quo agente ſecundum Scotum.* 178.1. 2. *An huiuſmodi qualitates ſint formæ ſubſtantiales Elementorum, vel accidentales duntaxat. Controuertitur ibidem.*2. & 179. 1. *Qualitates Elementares ſunt formæ eorumdem conſtitutiuæ, & conſeruatiuæ.* 181. 1. 2. *Qualitates tangibiles an*

fuerint

Digitized by Google

fuerint rectè diffinitę, vel ſolum deſcriptę ab Ariſtotele. Controuertitur. 184. 2. Poſſunt diffiniri dupliciter, in abſtrato, & in concreto, & quomodo. 185. 1. poſſunt dupliciter attendi, nempè abſolutè, & relatiuè in ordine ad miſtum. 185. 2. Diuiduntur in actiuas, & paſſiuas, & quonam pacto. ibidem. Illarum diffinitiones datę ab Ariſtotele, ſiuè in concreto, ſiuè in abſtracto, ſunt bonę. 186. 1. Qualitates tangibiles an inſint Elemensis, & in quo gradu. Controuertitur. 188. 2. 189. 1. Datur in eis latitudo gradualis, & quomodo vocetur. ibidem. Qualitates symbolę Elementorum. & Miſtorum an differant ſpecie infima. Controuertitur. 194. 2. 195. 1. Qualitates Elementorum, alię ſunt symbolę, alię diſsymbolę, & alię contrarię, & quę ſint. 195. 1. 2. Symbolę quomodo poſſunt gigni in corporibus miſtis, vniuocè, vel ęquiuocè. 196. 1. Qualitates symbolę Elementorum ad inuicem comparatę, licet ſint in elementis ſpecie diſtinctis ſunt eiuſdem ſpeciei infimę. 197. 1. Diſsymbolę verò, licet ſint in eodem Elemento, diſtinguuntur ſpecie. ibidem. Symbolę Elementorum, & miſtorum ad inuicem comparatę, ſunt eiuſdem ſpeciei infimę. ibidem. 2. Probabile eſt, in ſententia Scoti, eas diſtingui etiam ſpecie. ibidem. 198. 1. Eſt cōtra Maſtrium, & defenditur à pluribus Scotiſtis. ibidem. 198. 1. 2. In his Scotus videtur problematicus. ibidem. vſque ad n. 203. Qualitates diſparatę quę vocantur coniugationes, poſſunt ſubiectari in vno elemento, & quę. 225. 1.

Quantitas

Duplex, continua, & diſcreta, & quę 66. 2. Quantitas duplex. ſ. molis, & virtutis; quęnam ſint, & quomodo conueniant, & differant. 74. 1.

Reatio

Patientis in agens contrarium quid ſit. 123. 1. Ad reactionem paſſi in agens requiritur maior reſiſtentia actiua paſſi, quam ſit reſiſtentia actiua agentis. 124. 2.

Receſſus,

Et acceſſus ſunt motus realiter diſtincti, & quomodo. 33. 2. vnus poteſt eſſe ſine alio. ibidem.

Refrigeratio

Quomodo fiat ab aere, cum ſit calidus, in animalibus. 193. 1.

Relatio.

Relationes ſunt in duplici differentia 61. 2. Relatio realis, & formalis quomodo diſtinguantur. 93. 2.

Remiſſio,

Et intenſio in qualitatibus quomodo fieri poſſint. 73. 1. 75. 1. 2. & 76. 1. Vide intenſio in qualitatibus.

Reſiſtentia

In actione, & paſſione contrariorum eſt duplex. actiua, & paſſiua; ſiuè, formalis, & actiua. 123. 2 Reſiſtentia, ſiuè actiua, ſiuè paſſiua conueniunt primis quatuor qualitatibus. 125. 1.

Reſolutio

Vſque ad materiam primam, & nudam, tum ſubſtantialit, tum accidentalis fit in corruptione compoſiti inanimati. 50. 1. in corruptione vero compoſiti animati fit reſolutio vſque ad materiam primam tantum mediatè. ibidem. 2. Non remanent, in corruptione compoſiti ſubſtantialis, accidentia in facto eſſe inter genitum, & corruptum. veluti principia formę generandę. 51. 1. & 53. 2. & 54. 1. 2.

Simile, & æquale

In qualitatibus, & quantitatibus, quomodo poſſint agere in ſibi ſimile, & ęquale. 79. 1. & quomodo non. ibidem. Simile an poſſit agere in ſibi ſimile. Controuertitur. 127. 1. 2. 128. 1. Similia, & diſſimilia ſecundum Ariſtotelem ſunt triplicia, nempè genere, ſpecie, & indiuiduo, & quę. 129 1. 2. ſimile vniuocum nequit agere in aliud ſibi omninò ſimile. 130. 1. 2. Simile vniuocum non poterit agere in aliud ſibi omninò ſimile per accidens, & quomodo. 131. 1. Simile ęquiuocum poterit benè agere in aliud ſibi omninò ſimile in qualitate & gradu. 132. 1. 2. Similia in ſpecie, & indiuiduo nequeuns agere in ſe ipſa actione corruptiua, licet benè actione vnitiua. 132. 2.

Sol.

Solis motus receſſus, & acceſſus diſtinguuntur realiter. Vide, acceſſus, & receſſus.

Subiectum

Scientię dupliciter attenditur, ſecundum prędicationem, & ſecundum attributionem, & quid ſit vtrumque. 4. 1. Subiectum ſcientię duplex, materiale, & formale, & quid ſit vtrumque. 5. 1. Subiecti attributionis conditiones quot, & quę. 4. 2. Scientia naturalis eſt de ente naturali. 5. 2.

Subiectum in libris de Generatione, & Corruptione non eſt corpus naturale ſimplex, neque vt comprehendit Cęlum, & Elementa, neque vt limitatur ad Elementa. 6. 1. neque vt eſt commune ad ſimplex, & compoſitum. vt mobile ad formam abſolutam. ibidem. 2. neque eſt generatio, & corruptio, neque ens mobile, vt generabile, & corruptibile. 7. 1. ſed probabile eſt eſſe corpus naturale compoſitum ex materia, & forma, vt mobile ad formam abſolutam perfectam. ibidem. 2. probabilius tamen eſt ſubiectum attributionis horum librorum adęquatum eſſe corpus naturale, miſtū qua miſtum 8. 1., & vt diſtinguitur à miſto imperfecto, & a ſimplici. ibidem.

Subſtantia

Nequit habere eſſe productiuè cum accidentibus, licet benè diſpoſitiuè. 179. 1. Subſtantię, & accidentia mutuo ſe iuuant, ne dum in fieri, ſed etiam in facto eſſe ſecundum Scotum. & quomodo. ibidem. 2.

Temperamentum

Humani corporis, an ſit praſtantius, & nobilius cateris temperamentis aliorum animalium. Controuertitur. 230. 1. 2. Quid intelligatur nomine temperamenti. ibidem 2. temperamentum ordinatur ad generationem, & conſeruationem miſti, & ad operationes, & functiones illius, & quomodo. 231. 1. 2. dupliciter ſic attendi poteſt temperamentum, & quomodo. ibidem. temperamentum humani corporis, vt ordinatur ad miſtionem, & conſtitutionem ex materia, & forma, & praſtantius cęteris. 232. 1. Vt verò attenditur in ordine ad operationes, & functiones, in multis vincit, et in alijs vincitur à Belluis. 231. 2. & 232. 1. Temperamenta, quę miſta diſtinguere valent, ſunt quatuor, & quę. 235. 2. Temperamentum melancolicum indicat ingeniorum excellentiam, & mentium perſpicatiam. 236. 2. Etiam morum probitatem. 237. 1. Sanguineum verò & phlegmaticum improbitatem morum demonſtrat.

Terminus

Termini motus, alij ſunt formales, & alij concomitantes, & qui ſint. 72. 2. Quomodo differunt ad inuicem. ibidem. Termini intenſionis, & remiſſionis qui. 73. 1.

Terra.

Terrę conuenit ſiccitas in ſummo, & frigiditas in remiſſo. 191. 1.

Vinum

Miſceri poſſe propriè cum aqua probabiliter defenditur. 152. 2. Oppoſitum etiam probabilius ab alijs adſtruitur. ibidem. 155. 2. & 156. 1. 2.

Vita

Quid ſit, & in quo conſiſtat. 26. 2. Vitę longitudo deſumitur ex proportione ſuppari, vel impari calidi, & humidi, vel frigidi, & ſiui reſpectu breuitatis. ibidem. 2.

Viuens.

Viuentia omnia, ex hoc, quod conſtant ex materia, & forma, habeant determinatam vitę periodum, & neceſſitatem moriendi. Controuertitur. 245. 1. 2 Viuentia omnia, ex eo, quod ſunt compoſita ex materia, & forma phyſica, habent vitę determinatam periodum. 248. 1. 2. de lege naturę habent neceſſitatem moriendi. ibidem. 2. & 149. 1.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

Digitized by Google